FRATRIS

CASTI INNOCENTIS ANSALDI

ORD. PRÆDIC.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE RE SACRAMENTARIA

HABITÆ IN TAURINENSI UNIVERSITATE

Nunc primum in lucem editæ

CURA, ET STUDIO

FR. DOMINICI MARIÆ FEDERICI

EJUSDEM ORDINIS,

IN SEMINARIO TARVISINO THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ PROFESSORIS.

TOMUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, DE BAPTISMO CONFIRMATIONE, ET EUCHARISTIA.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

VENETIIS,
Ex Typographia Balleoniana.

MDCCXCII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

NOn una est nobis operis hujus edendi ratio. Continet enim Prælectiones Theologicas de re longe gravissima, nempe de novæ legis Sacramentis, quas primum Cl. Auctor in Taurinensi Regio Archilyceo sub Felicibus Auspiciis Sapientissimi & immortalis memoriæ Caroli Emanuelis Sardiniæ Regis, per viginti ferme annos magna auditorum frequentia, & plausu dixerat. Si vero nominis famam, & laudem hominis quæras, is est Frater Castus Innocens Ansaldus ex Prædicatorum instituto, vir præcellenti ingenio præditus, omnigena eruditione, linguarum peritia, solidæ Theologiæ doctrinis, omniumque sacrorum studiorum exquisita omnino & pene immensa suppellectile ornatissimus; cuique perpetuo cordi fuit, ubicumque studia profiteretur, primum in Neapolitano, dein in Ferrariensi, denique in laudato Taurinensi Archilyceis, in Christianæ Religionis veritate propugnanda in Heterodoxorum hujus temporis præsertim falsis dogmatibus detortisque antiquitatis interpretamentis evertendis curam omnem, vigiliasque impendere. Etenim vix octavum supra vigesimum ætatis suæ annum attigerat, cum primum opere edito Josephi Patriarchæ Ægypti olim pro-Regis religionem a Basnagii criminationibus vindicavit. A quo quidem genere scribendi quoad vixit numquam destitit, adeo ut viginti quinque & amplius volumina ipse vulgaverit, quæ tanto in pretio haberi cæperunt, ut multoties subinde procusa magno plausu semper reciperentur a Theologis, cunctisque doctissimis viris, qui ideo queruntur quod cætera quæ jam parata habebat, literis mandare non potuerit, quia illum nobis non mediocri bonorum, & studiosorum hominum dolore, non Italorum modo, sed & exterorum, ipsiusque Victorii Amadei III. Regis munificentissimi, qui literas & virtutem adeo colit, mors insperata proripuit. Contigit enim anno æræ Christianæ MDCCLXXX.

De hoc ſiquidem opere edendo conſilium cæperat ipſemet Anſaldus, quod ut præſtaret, pleraque in eo contulerat, omnibuſque numeris abſolviſſet ni morte fuiſſet prohibitus. Doctus alter ac pariſi eruditione refertus Taurinenſis Prædicatorum Familiæ in Regia Piſana Univerſitate ſacrarum literarum profeſſor Frater Vincentius Maria Faſſini de hoc eodem opere, quod valde probaverat, edendo cogitabat: ſed aliis, iiſque graviſſimis libros a ſe conſcriptos emittendi curis, maximiſque in Hetruria negotiis tunc effervefcentibus implicatus, quod verbis promiſerat re non implevit; magna ſiquidem literariæ Reipublicæ jactura, virenti adhuc ætate (nondum quinquageſimum agebat annum) & ipſe paucis abhinc annis e vita ereptus. Quapropter opus iſtud intactum e Piſis, Taurinenſibus Cænobii S. Dominici conſodalibus, ad quos tam pretioſa ſuppellex hæreditario quodam jure devenerat, reſtitutum fuit, noſque ipſis lubentiſſime annuentibus, quod valde optaveramus Typis Venetis illud edendi curam ſucepimus, ut tantum beneficium Reipublicæ literariæ impertiremur. Jamdudum inſidet nobis animo deſiderium Anſaldi opera omnia publici Juris jam facta, omniaque inedita in unum aliquando colligendi, notiſque illuſtrata opportuna quadam methodo diſponendi, vitamque Auctoris ex literatorum Hiſtoria, ex operibus ipſius ac ex frequenti Epiſtolico Commercio allatis documentis contexendi, ac præmittendi, quod certe, Superis dantibus, præſtabimus. Sed cur hæ ineditæ de re Sacramentaria lectiones nunc in vulgus exeunt? Hac ſiquidem ratione factum, ut cum Vir Cl. F. Petrus Maria Gazzaniga Imperialis Archylicæi Vindobonenſis Profeſſor Emeritus Theologicas Prælectiones Typis Bononienſibus, & nunc Venetis ſeptem voluminibus comprehenſas nova methodo digeſtas, eas ſiquidem antea Viennæ, Lovanii, & Venetiis minori Voluminum copia ediderat, emendatas, & auctas, quæque integrum dogmaticæ ac Polemicæ Theologiæ veluti curſum complectuntur, ediderit, quibuſque nos utiliter hactenus uſi fuerimus

Digitized by Google

rimus in lectionibus nostris coram Ecclesiasticis Auditorisius, nec rei Sacramentariæ pernecessariam tractationem nobis exhibuerit, nec eam exhibere certo polliceatur; visum est nobis peropportunum Gazzanigæ Prælectionibus has lectiones Ansaldi continua methodo adnectere, & primum in lucem proferre, ut propterea utriusque viri labores, elucubratasque disputationes novem voluminibus contentas, integrum Theologicarum Disciplinarum studium novitiis Theologis & sacrarum rerum studiosis exhiberemus.

Uterque profecto Ordinis Prædicatorum, Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis sententiarum, & purioris Doctrinæ sectator: uterque Regiæ universitatis, & illustrioris Academiæ Professor; uterque animum contentionemque omnem in refellendos nostrorum temporum Hæreticos Novatores, & incredulos incessanter, & summa cum laude contulit: uterque tandem cum solidioris Theologiæ gustu accommodatam, elegantemque disputandi methodum conjungit, & ad amenos minusque usitatos eruditionis Campos sæpe lectorem adducit: quod absit invidia verbo, in adversariorum scriptis commendatur, in Orthodoxorum desideratur. Unum tamen utriusque Auctoris suæ tractandæ materiei discrimen aderat, dispositæ scilicet disputationis methodus, Academicæ orationis instar alia, Scholasticæ pene disputationis altera; quod nos accurate pro virium conditione sustulimus, ut unus universi operis auctor videri queat. Huc accedit quod auctoris scriptionem, omnemque dictionem cum ipsi probe noverimus, ea, sicubi negligentiori calamo exarata lituris ac mendis scateat, signis etiam obelisque prout addere, aut adimere auctori contigit, in aliquibus exactam dicendi rationem ut assequeremur, notasque adornarémus ex materia ipsamet depromptas, suoque loco collocaremus, onus equidem subisse experti sumus, difficile admodum, aleæ periculique plenum, quodque tamen eruditorum votis cessisse speramus.

Haud

Haud equidem dubitamus, quin post tot Cl. Scriptorum de re Sacramentaria edita volumina Estii scilicet, Sylvii, Bellarmini, Contensonii, Natalis ab Alexandro (neque enim omnes majorum gentium Theologos ubi de Sacramentis agunt nominamus, sed illos tantummodo qui id argumenti ex professo tractarunt, nempe Henricum VIII. Angliæ Regem, Joannem Maldonatum, Juveninum, Droenium aliosque, qui nostro sæculo hanc præcipue spartam adornarunt): post Petrum Arcudium, Gabrielem Severum, Thessalonicensem, Simonem, Goarium, qui de Græcæ, latinæque Ecclesiæ circa Sacramenta novæ legis concordia egere: post tot monumentorum thesauros ad amplissimam rei Sacramentariæ doctrinam consequendam aptissimos, Morini, Renaudotii, Martenii, Mabillonii, Bonæ, Chardonii, Assemanii, aliorumque hujusmodi: post tot exanthalatos labores esse supersedendum, ne forte illud Horatii nobis exprobretur. *In Sylvam ne ligna feras.* Attamen fidenter verissimeque asserimus plura in Ansaldi nostri Sacramentaria elucubratione mancisci posse Theologos, quæ novitatis specimen rationemque deferant, nonnulla quæ a tot ejusdem rei tractatoribus hactenus vix delibata fuere: cetera vero omnia ab aliis pertractata, ab Ansaldo si non fusiori calamo certe quantum necessitas fert deprompta atque in medium allata, citatis auctoribus unde copiosius derivanda, cumque Novatoris aliqui novissimis diebus ex antiquitatis scriniis petita contra Romanam Ecclesiam veramque fidem argumenta intorquere nitantur, ut eam demum labefactent si fieri potest: iccirco Theologus noster ita cum adversariis congreditur, ut eos a recta semita aberrantes hortando etiam benevoleque monendo in viam reducere conetur, iisdemque adminiculis usus Historiæ, Criticæ, & Philologiæ, tum a Judæorum, Gentilium, & Christianorum vetustissimis monumentis universa eorum sophismata ita refellit, ut illis nullum effugium relinquat.

In novem itaque libros, quos dissertationes appellabimus universum opus partitus est Auctor. Quatuor complectitur volu-

volumen primum ſcilicet: de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia; quinque vero alterum, nempe de Sacramento pœnitentiæ, de Indulgentiis, de Extrema Unctione, Ordine Sacro, & Matrimonio. Atque in his doctiſſimi juxta ac eruditiſſimi Magiſtri Anſaldi integrum opus & quid in illud evulgandum præſtiterimus paucis habent lectores. A quibus unum hoc viciſſim optamus, ut ſi magno illis uſui futuri ſunt hi labores, hæc ſtudia, ne graventur noſtram etiam probare induſtriam; noſque ad cætera quæ ſunt in manibus perficienda benigno favore alacriores reddant.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Gioan. Tom. Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato *F. Casti Innocentis Ansaldi Ord. Prædic. Prælectiones Theologicæ de re Sacramentaria Tom. II. MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi e Buoni Costumi, concediamo Licenza agli Eredi Baglioni Stampatori di Venezia che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Aprile 1791.

(Andrea Querini Rif.

(

(Zaccaria Vallaresso Rif.

Registrato in Libro a Carte 440. al N. 3233.

Marcantonio Sanfermo Segr.

DIS-

DISSERTATIO I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

AUctor Libri, cui titulus: *Tractandæ, & perdiscendæ Theologiæ ratio*, Lutetiæ Parisiorum editi, anno MDCCLVIII. Parte II. Capite 3. scribit: Prius autem de singulis Sacramentis est dicendum, quam generatim considerentur. Ea nimirum, quæ in Sacramenta universe spectata traduntur, ex illis intelligenda sunt, quæ de Sacramentis singulatim tractatis demonstrata fuerunt. Quamobrem innumeris difficultatibus implicuerunt, qui Sacramenta generatim cernere instituerunt, antequam unumquodque illorum cognovissent, dum cuncta similia esse voluerunt in iis, priusquam an in omnibus partibus similia ea efficere voluerit Deus, exploratum plane & penitus perspectum haberent. Hæc ille.

2. Revera Sacramentum unumquodque differt ab alio: cum quodlibet diversam habeat, ut dicitur, materiam, diversam formam, diversum finem, & effectum singularem, diversum aliquando ministrum, diversum sæpenumero subjectum; ritum semper diversum, & cæremonias diversas: plurima in usu consistant; aliquod vero permanente in re positum esse intelligatur: quare vix univoca in definitione convenire posse videantur: quo collineabat veterum quæstio Scholasticorum, an Sacramentum univoce, vel analogice de cunctis diceretur: illorum enim hominum sub limo gemmæ latebant aliquando non spernendæ.

3. Ejusmodi meditationes tamen officere debent minus, quam in receptam methodum sequamur. Præterquamquod enim ita Præceptoris nostri Thomæ, omniumque Theologorum hodierna dicendi, & hujus Athenæi Leges postulant: etiamsi Sacramentum quodcumque a cæteris materia, forma, fine, effectuque, subjecto, & Ministro pro Christi institutione, & voluntate, differat: unumque sit alio præstantius, vel necessarium magis: attamen in Sacramenti ratione omnia conveniunt; deque Ministrorum qualitatibus, & dona illa administrandi ratione, nonnulla hoc in tractatu disputari solent, de quibus alibi vix inquirendi esset locus.

CAPUT I.

De Sacramenti nomine.

4. SAcramentum itaque generatim acceptum, quatenus tam novæ, quam veteris Sacramenta legis respicit, nihil aliud est, quam sacrum signum rei sacræ sanctificantis animam: vel visibile signum invisibilis gratiæ ad justificationem nostram, vel ampliorem justitiam divinitus institutum. Quatenus autem sola respicit novæ legis Sacramenta, definitur: res sensibus subjecta, quæ, ex Christi institutione, gratiæ tum significandæ, tum instrumentaliter producendæ vim habet.

5. Est igitur Catholica doctrina, tantam Sacramentorum novæ legis virtutem esse, vim, atque efficaciam, signa ut non modo sint, quibus initiati, Christo tamquam milites Imperatori obstringuntur suo, & ab infidelibus Judæisque secernuntur; neque ea modo Symbola, quæ tum præterita Mysteria, tum præsentem justitiam, tum futuram credentibus repræsentent gloriam: nec media tantum, quibus ad fidem, spem & charitatem excitamur: neque signacula solum, quæ divinas promissiones in ea recipientibus obsignent: verum etiam, immo magis, divina sint instrumenta ad cælestem in nobis vel inducendam, efficiendamque, vel reparandam, vel fovendam, augendamque gratiam instituta (*a*).

CA-

(*a*) Hanc sane definitionem cordatiores adversarii admittere quodammodo videntur: in Liturgia saltem Anglicana, similis prope definitio reperitur. Prostat ea gallice hoc titulo: La Liturgie selon l'usage

CAPUT II.

Quare Deus Sacramenta hominibus concesserit.

6. CUm homo anima constet & corpore, nec intelligibiles ac spirituales res concipere hoc in statu valeat, nisi corporalium ministerio imaginum ac sensuum; utque ait Beatus Thomas, naturale homini cum sit, ad intelligibilium cognitionem per sensibilia pervenire, proinde ea Dei fuit maxima benignitas, ut aliqua populo fideli concedere dignatus semper fuerit spiritualis signa Gratiæ, & Sacramenta. Ut enim recte Chrysostomus inquiebat Homilia LXXXIII. in Matthæum: *si tu incorporeus esses Deus, incorporea tibi dona tradidisset: quoniam autem corpori conjuncta est anima tua, sensibilibus in rebus intelligenda tibi spiritualia traduntur*. Accedit id, quod Augustinus rectissime animadvertebat Libro XIX. contra Faustum: nunquam homines in aliquod sive verum, sive falsum Religionis adunari nomen potuisse, nisi aliquo signaculorum, sive Sacramentorum visibilium consortio fuissent colligati.

7. Vix revera coadunato Dei Populo, Mosaicæ sanctione legis, plura constituta fuere spiritualium, ac cælestium rerum sacra Symbola & signa, quemadmodum ex Libris Exodi, ac Levitici intelligimus. Eminebat virtus agni Paschalis, solemniora sacrificia, expiationes quædam, oblationes aliquæ, & Benedictiones & Preces, Consecrationes Sacerdotum, inunctiones Levitarum, augustiores aliæ cæremoniæ, & arcaniores ritus, qui Mysteria Christi sub velamine figurarum prænuntiabant, quorumque ad præsentiam Deus, intuitu Mediatoris gratiam conferebat. Quamvis enim Mosaicæ status legis passionem Christi, ex qua omnis Sacramentorum virtus est, præcesserit: attamen, cum Christi passio fuerit ejusmodi quoque Sacramentorum finalis causa: caussaque finalis necesse non sit præcedat tempore effectum, sed in intentione solum Operantis, sequitur, Mosaicum populum in mysticis illis cælestium ac spiritualium rerum Symbolis ac signis sua habere potuisse ante Christi passionem Sacramenta.

8. Equidem Spencerus celebri in Opere de Legibus Hebræorum ritualibus, earumque rationibus contendit, Deum ritus, & cæremonias illas invitum Israelitis permisisse, vixque non sine aliqua indignatione passum a suo se populo illis adorari, ne falsos iisdem veneraretur Deos; ideoque illorum in institutione rituum nil aliud præstitisse Deum, quam ut reformatis veterum Idololatrarum cæremoniis, suoque cultui aptatis, eas per condescendentiam quamdam toleraret: quo certe in casu solemniores etiam & augustiores aliquam vix habere potuissent rationem Sacramenti.

9. Quam præpostera tamen sit hæc meditatio, dici vix potest. Gentilium siquidem cæremoniarum usum Deus populo interdixit suo, ut Levitici XVI. & Deuteronomii XII. expressissime habetur. Quomodo igitur tales cæremonias in suæ Gentis cultum transtulisset? Ritus illos eo consilio Israelitis Deus dedit, ut eorum observantia, veluti pariete intermedio, eo a Gentium moribus, & communione separaret, ut docet Apostolus ad Ephesios II. Quanam autem ratione congruere ejusmodi cum consilio poterat, non paucos Gentilium ritus suorum in numero Sacrorum ipsum adoptasse. Cæremonias illas a Deo inductas vult Spencerus ipse ad removendam idololatriam. Verisimile ne, ad ejusmodi consequendum finem, uti ipsum voluisse ritibus ac cæremoniis ab Idolorum cultu derivatis? Talis profecto rituum similitudo Israelitas in Idololatriam procliviores reddidisset. Rursus solemniores præsertim cæremonias erant Christi ac Mysteriorum ejus umbræ & figuræ, ut Apostolus docet ad Colossenses I. proindeque minime decebat, Deum ex officina Dæmonis, exque superstitione Ethnicorum, eas imagines ac lineamenta adumbrasse. Denique ritus plerique, quos ab Ethnicis ad Hebræos Spencerus derivatos asserit, a Patriarcharum moribus, ac ritibus manasse manifestum est ex sacris Literis, exque Patriarchis ad Hæbreos, & ad Gentes reliquas traductos innumeris ab Auctoribus ostensum est. Scriptores autem illi, quorum testimoniis probare nititur Spencerus, cæremonias plerasque Mosaicæ legis e moribus Gentilium esse derivatas; Scriptores, inquam, illi longe recentiores sunt vetustioribus illis, vixque cognitis Idololatris, qui ætatem Moysi antecesserant: quare de Gentilium ejusmodi sacris fidem facere non possunt. Tacitus ipse Libro Historiarum V. opinionem Spenceri jam everterat his ver-

ge de l'Eglise Anglicane de la Version de Burrel, à Geneve par de Tournes MDCLXV.... Article XXV. Des Sacraments: Les Sacrements que Christ a institues, ne sont pas seulement des Symboles, & des marques de la Profession des Chretiens; mais ce sont plutot des temoignages certains & assurez & des signes efficaces de la Grace, & de la bonne volontè de Dieu envers nous, par les quels il operè invisiblement au dedans de nous, & par les quels il ne vivifie pas seulement, mais aussi fortifie, & confirme la foy que nous avons en luy. Ejusmodi Liturgiam ad usum Gallicarum, ut inquiunt, Ecclesiarum, quæ se se ad Anglicanam accommodaverant, conscriptam, Carolus Rex, & Londinensis Episcopus solemni decreto probaverunt.

Digitized by Google

His verbis: *Moyses, quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus, contrarioresque ceteris Mortalibus tradidit: profana illis omnia, quæ apud nos sacra: rursus concessa apud illos, quæ nobis incerta. Si ritus quoquomodo inducti, antiquitate defenduntur*. Diversi igitur erant inter se quam maxime Gentilium, ac Israelitarum ritus: ideoque Ethnicorum cæremonias suum Deus non transtulit in cultum, nec invitus eas toleravit. Sed hæc facilia & obvia cuique sunt (*a*).

10. Haud possumus tamen, quin præcipuum adversarii fundamentum hoc loco refellamus. Affert ille Ezechielis verba Capite XX. apud quem, ita Deus de Israelitis loquutus est: *& dedi eis præcepta mea, & judicia mea ostendi eis, quæ faciens homo vivet in eis*: Quibus verbis morales denotantur leges, ac moralia præcepta, suapte natura bona, & ad virtutem perducentia. Quia Israelitæ tamen adversus Deum rebellaverant, ideo subjunxit Numen: *Ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent*. Scilicet, inquit Spencerus, ritus ac cæremonias ab Ethnicorum moribus desumptas, ut ipsis me potius, quam Deos alienos adorarent. Exegetarum communis responsio esse solet, hunc Ezechielis locum non de omnibus, aut solemnioribus, sed de aliquibus modo intelligendum esse cæremonialibus præceptis qualia erant de lepra, de ossibus Cadavericis, de morticinio, de crebris expiationibus, & aliis hujusmodi, quæ ad morales comparata leges, nullam suapte natura habebant bonitatem. Propterea non dixit Deus *mala*, inquiebat Augustinus Epistola LXXXII. sed tantum *non bona*, idest, non talia, ut illis homines boni fierent: ut enim animadvertebat Theodoretus in illa Ezechielis verba: impiam Idolorum religionem nemo recte sentiens non *bonam* dixerit, sed admodum malam.

11. Hoc tamen responsionis genus, candide si loquimur, haud omnino satisfacere videtur: nam & minimi ritus, minimæ a Deo præceptæ Israelitis cæremoniæ, cum eum in finem institutæ fuerint, ut populum ab Idololatria averruncant, propterea omnes *bona* dici merebantur. Ut enim ex Justino Martyre, Cedreno, & Philone, in allegata Præliminari Dissertatione ratiocinabatur Pfaffius, ideo de rebus adeo minutis curasse videtur Deus, ut quocumque se in omni vita verterent Israelitæ, semper levior aliqua obedientiæ Deo vero præstandæ occasio se ingereret, & Legislatoris sui (si forte animis excideret) memoriam continuo revocaret. Quid enim Lex Moysis tot, tantasque rituum, cæremoniarum, ac sacrificiorum circumstantias, aliasque minutias innumeras tam curiose definiret, nisi ut Hebræorum populus ætatem sub Divina quadam disciplina degeret, & Lex illa, ab aris usque ad focos diffusa, tamquam coccineus panniculus, & phylacterium, ad populum monendum inserviret, unde nulla Dei oblivio animis, vel maxime stupidis & somnolentis, obrepere posset? Si itaque ritus illi, atque cæremoniæ unum quidem finem generalem, idololatriæ scilicet abolitionem, varios autem fines speciales, & proximos, quatenus ad generalem promovendum finem conspirarent, habebant, cur earum aliquæ *non bona* appellari potuissent?

12. Magis accuratam sane suppeditare videtur solutionem Marcus Antonius Trivellatus Dissertatione L. de Sacramentis in genere Capite XIII. Scribens: „ Verba illa Dei apud Ezechielem Capite XX. ab eo, quod nunc agitur, sunt, nisi fallor, non parum aliena. Non enim præcepta illa *non bona* erant Mosaicæ Legis cæremonialia præcepta, non Legis ejusdem Sacramenta, & sacrificia; sed erant Ammonitarum, Moabitarum, aliarumque impiarum Nationum leges pessimæ, Sacramenta profana, superstitiosa sacrificia, nefariæ cæremoniæ. His enim sacrilegis Nationibus immixti Judæi, earumque quotidiana consuetudine, & quadam quasi contagione vitiati, corruptique, spreta Mosaica Lege, constitutis a Deo Sacrificiis neglectis, postbabitis divinis ritibus, abjecto, atque abdicato veri Dei cultu Gentium more vivebant, illarum ritus & Sacramenta adhibebant, divinosque honores variis Diis impie tribuebant; & quia hæc Deus non prohibuit, sed justo judicio suo permisit; idcirco, nescio quomodo, dicitur hæc illis *non bona*, atque adeo mala præcepta dedisse: quo ferme modo Christum, quia Judam a concepto scelere patrando non revocavit, Joannes cum illo his verbis loquentem inducit: *quod facis, fac cito*. Vox enim hæc, ut ait Leo Magnus Sermone VII. de Passione Domini, *non jubentis est*, *sed sinentis* „ Hæc ille.

13. Libentius ipse adhærerem sententiæ Cl. Marchinii,

(*a*) Legenda foret quæ Tubingensi Editioni Operis Spenceri anno MDCCXXXII. præmissi est Christophori Matthæi Pfaffii Dissertatio Præliminaris, qua de Vita Spenceri, deque Libri pretio, & erroribus differitur, Auctoresque, qui contra Spencerum scripsere, enarrantur. Vix crediderim opus fuisse ab Orbe condito, quod tot, tantosque, innumeros sane ac prope infinitos, primique subsellii passum sit Contradictores. Universum illius hominis Consilium, totaque hypothesis, ac omnes hypotheses partes hæbraica ex antiquitate ac philosophia vehementissime oppugnatæ intelliguntur. Tyronibus nostris unum satis erit legere Natalem Alexandrum in aliquibus Dissertationibus ad Historiam Ecclesiasticam Veteris Testamenti.

Digitized by Google

chinii, hoc in Athenæo Taurinensi Sacrarum Literarum Interpretis, in Thesibus de Circumcisione ita differentis: Investigantibus nobis totum illud Caput, ex quo testimonium petitum est, videtur commode ita explicari, ut ea præcepta *non bona, & judicia, in quibus non vivent*, non legem designent, non cæremonias, non ritus, sed ultimum exitium, & interitum, quo Deus ab impiis debitas pœnas contumaciæ repetat. Hæc explicatio toti Orationi, & scopo Prophetæ, maxime consentanea est, nec vero abhorret a Scripturæ more, neque a communi atque vulgari loquendi consuetudine qua sacri Scriptores non semel loquuti sunt, quin locum dubitandi de summa veritate, ac veracitate reliquerint. Nolumus tamen quispiam existimet, subdit Marchinius a nobis contemni ac rejici eam explicationem, quam laudato Ezechielis testimonio Sancti Patres attulere: eam enim optimam esse, doctrinæ Sancti Pauli consonam, nec minus refutando errori idoneam agnoscimus, & confitemur. Magnum in Patribus caussæ suæ præsidium collocatum putat Spencerus: verum cum non ex singulis eorum testimoniis id conficiatur, necesse omnino est, aut Patres cum Patribus pugnantes imprudenter committatur, aut fateatur, eorum aliquos, dum magna animi contentione Christianam legem Mosaicæ præstare contra Judæos ostenderent, virosque quandoque fuisse hanc perorando etiam atque etiam deprimere, ut ita magnificentius Christianæ sanctitatem Religionis extollerent ac dignitatem.

14. Sed adversus Spenceri meditationem jam satis. Quemadmodum autem constat Judæos visibilium consortio Sacramentorum in suæ Religionis nomen fuisse a Deo colligatos: ita quoque certum est, novis Christum Sacramentis colligere Ecclesiam suam voluisse, ac porro collegisse. *Ab ipsa Dei sapientia, homine assumpto, pauca saluberrima constituta sunt, quæ societatem Christiani populi continerent*, inquiebat Augustinus Libro de vera Religione Capite XVII.; & Libro XIX. contra Faustum Cap. 13. ita rursus: *Primo itaque tenere te volo Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, levi jugo nos subdidisse & sarcina levi unde. Sacramentis numero paucissimis observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit. Cum itaque primo Sacramenta, quæ observabantur, & celebrabantur ex primitiva Lege, essent Christi venturi prænuntiativa, eaque adventu suo Christus implevisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta: heinc alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, habitu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia Fidei revelata.* Quamvis enim Lex Christi futura fuerit Lex spiritus, cordis, amoris, & gratiæ, & quamvis a cæremonialis jugo legis liberare nos venerit Salvator: attamen cum humana pro conditione, spirituali adhuc sub lege, nisi per sensibilia ad intelligibilium cognitionem pervenire homo non potuerit, nec in unum Christianæ Religionis nomen potuissent Fideles, nisi aliquo visibilium consortio Sacramentorum colligari; propterea hæc instituisse Christum oportuit, ac porro, omnibus fatentibus, instituit, tantæ virtutis ea tamen, atque perfectionis, ut justitiam, & gratiam non significarent modo, verum etiam mirabiliter ac invisibiliter producerent. Ut enim vetus Auctor Dialogi contra Marcionitas inter Opera Origenis inquiebat. *Deus secundum progressus hominum eis leges suas posuit. Adamus enim aliam, velut infanti, proposuit; aliam Noæ; Abrahamo aliam; per Moysem aliam sanxit; aliam Evangelio prodidit; pro captu & profectibus mundi, tunc nascentis, post medii, tandem adulti, perfectis perfecta recondens.* Quæ profecto ad naturam, & essentiam, & varietatem, & Sacramentorum efficaciam, pro diversis, in quibus homines fuerunt Legibus, possunt jure ac merito accommodari.

CAPUT III.

De numero Sacramentorum Novæ Legis.

15. Si qua unquam in re, vera dicenda est Anonymi in limine hujus Tractatus allegati animadversio, prius scilicet dicendum fuisse de Sacramentis singulis, quam de ipsis generatim; eaque, quæ de Sacramentis in universum spectatis affirmantur propugnaturque, ex illis colligenda fuisse, quæ de Sacramentis singillatim spectatis fuerant demonstrata; si qua, inquam, in se, vera dicenda est hæc animadversio, profecto id contingit in Thesi de Septenario numero Sacramentorum; quippe quod veritas hæc sit ac Thesis, quæ inferri solum perfecte potest post bene perceptam, traditam, ostensamque, ac vindicatam de Sacramentis omnibus doctrinam. Innumeris revera se se difficultatibus implicant qui hoc loco propugnare pergunt septem esse Novæ Legis Sacramenta, nec plura, nec pauciora: quippe cum propositio hæc expressis non reperiatur terminis vel in Sacris Literis, vel in Conciliis, aut in Patribus antiquis, propterea ex collectione, atque collatione testimoniorum, atque auctoritatum, quæ in eisdem Sacris Literis, Conciliisque, & Sanctis Patribus reperiuntur, pendet. Testimonia autem ejusmodi & auctoritates hoc in capite si attulerls, infinitum illud sane sit oportet, ac rem prope omnem Sacramentariam contineat: quod incommodum, quale futurum esset, quisque intelligit. Thesim autem si probare pergas, veterum methodo scholasticorum, ratiocinio quodam ex analogia vitam inter naturalem ac spiritualem derivato, rem præstas a forma solidæ Theologiæ, & hodiernis moribus alienam. Si denique dixeris, quemad-

quemadmodum plures hodierna dicere solent die, veram ac solidam septenarii Sacramentorum numeri rationem non aliam esse, quam Christi Domini voluntatem: rem plane optimam dixeris; sed hanc Christi voluntatem compertam sibi ceterisque, Theologice disserendo ac demonstratam jactare numquam poteris, nisi post patefactam ac vindicatam de Sacramentis omnibus doctrinam.

16. Quandoquidem tamen hanc versare quæstionem nobis placuit, animadvertimus, illud commodi haberi saltem posse, ut ea heic proponantur principia, quibus doctrina de Sacramentis magnam partem innixa est, & quorum ope generalia solvuntur adversariorum argumenta. Ponunt itaque Orthodoxi, cuncta quidem Fidei dogmata uno eodemque tempore divinitus Ecclesiæ commissa, simulque evoluta fuisse a Sancto Spiritu, quo Doctore Apostoli ea didicere: verum quamquam omnia pari religione servata in Ecclesia, non eodem tamen tempore & modo, neque eadem perspicuitate fidelibus exposita fuisse, sed pro varia temporum opportunitate, alia citius, alia serius, nonnulla manifeste, cetera subobscurius explanata fuisse: novum quidem post Apostolos Fidei articulum Ecclesiam constituere non posse; verum ipsam multa generali in Articulo comprehensa, vel unum aliquem Mysterii gravitate obscuriorem in plures Articulos distinxisse: unde quod Veteres in genere cognoverunt, nos distinctius, & particulatim cognoscamus, crescente in dies Hæreseon causa, majoris explicationis, ac distinctionis necessitate: immo divina crescente luminis uberioris gratia in sacris litteris interpretandis. Est enim Ecclesia aurora consurgens, quæ semper augetur, ac perficitur, suoque semper lumine amplificatur: Quemadmodum de toto Ecclesiæ decursu scribebat Sanct. Gregorius R. P. Homilia XVI. in Ezechielem: *quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis aeterna scientiæ aditus longius aperitur*. Et Libro IX. Moralium capite 6. *Vergente mundi fine superna scientia proficit & largius cum tempore excrescit*. Et Paulo post: *Quicquid in Sancta Ecclesia initiis latuit, finis quotidie ostendit*. Hæc itaque principia Quæstioni, de qua agimus, Catholici aptantes, doctrinam de septenario Sacramentorum numero fuisse quidem semper Caput Fidei constituunt; olim tamen haud fuisse clare, expresse, expliciteque, ac solemniter ab Ecclesia propositam; quod oppositas ob hæreses in posterioribus Conciliis factum denique fuisse intelligitur.

17. Huic tamen cogitandi rationi opponunt se se adversarii, & dicunt: Pro principiis Catholicorum, illud esse caput Fidei tantum potest, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est; atqui, juxta allegatam doctrinam, ejusmodi non fuit septenarius numerus Sacramentorum; itaque &c.

Resp. Allegatum quidem Axioma, quod est Vincentii Lirinensis in Commonitorio, a Catholicis libentissime admitti, recta tamen. cum interpretatione, rectoque in sensu (*a*), hac tamen via incedendum esse existimarem, atque arbitrarer effatum Vincentii Lirinensis equidem non voluisse denotare, illud solum de fide esse, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper habitum de fide fuit: neque docere ipsum voluisse, illud, quod nec ab omnibus, nec ubique, nec semper, tamquam Fidei Caput creditum non fuit, haberi de fide non posse: sed sensum effati esse constituimus: ea quæ ab omnibus, quæ ubique, quæ semper habita fuere ad fidem pertinentia, ejusmodi, inquam, certissime de fide esse oportere; cum revera invictissimum sit argumentum ex universalitate, antiquitate, ac perpetuitate derivatum. Haud inde tamen sequitur, ut nil aliud, quam quod ejusmodi est evadere explicite possit, & porro credi debeat de Fide. Multa siquidem fuere aliquando implicite tantum de fide, quæ post declarationem, explicationem, propositionem, editamque ab Ecclesia definitionem, explicite credi debuere: non quod evadere possint de fide id quod ejusmodi non erat; sed quod ut de fide explicite credendum tandem proponatur id quod ejusmodi tantum

tum

(*a*) Recens Auctor Operis, cui titulus: *Examen des Defauts Theologiques, ou l'on indique les moyens de les reformer a Amsterdam MDCCXLIV.* Tomo I. Sectione IV. Capite II. Num. 2. p. 176. ita illo de Axiomate scribebat: „ Le principe de „ Vincent de Lerins: *qu'on ne doit regarder comme appartenent à la foi, que ce qu'a etè cru universellement, perpetuellement, & constamment*, ne „ peut s' ètendre a toutes les dècisions du Concile de Trente: autrement on s' exposeroit à ne „ point recevoir les Detero-Canoniques de l' Ancien Testament comme Livres de l' Ecriture, & „ le Mariage comme un Sacrament de la novelle „ Loi. M. l' Abbè de Longuerne dans une Dissertation Mſ. sur les Livres Deuterocanoniques, „ qui a pris à la rigueur la Maxime de Vincent „ de Lerins, n'a pu l' accommoder aux anciens „ Livres Deuterocanoniques: aussi a-t-il conclu „ à les bannir du Canon des Ecritures, ne trouvant „ pas leur auctoritè appuyee sur le consensement „ unanime des Peres, & des Concilies. Pour accommoder la Maxime de Vincent de Lerins a la „ dècision du Concile de Trente sur les Deuterocanoniques l' Auctcur de la justification de M. de „ Fleury use d'un temperament, qu' il propose en „ ces termes: *La Tradition Apostolique a pu s' abscurcir sur certains points dans plusieurs Eglises, „ ce qui n'empeche pas que les point de doctrine ne „ puissent ètre ensuète decides par Eglise à pres avoir „ etè suffisament eclairè.*

tum implicite credebatur, atque erat. Quot enim quantaque intrinsecus ac in seipsis jam ad fidem olim pertinebant, quorum tamen expressam professionem Ecclesia a Fidelibus nondum postulabat? Quomodo etiam nonnullos sæpe adeo vindicabimus Ecclesiæ Patres, ac veteres Orthodoxos in aliquibus ad fidem in præsens pertinentibus hallucinatos? Non alia profecto ratione, nisi propterea quod illis de rebus non accurate dixerint ante expressam Ecclesiæ doctrinam, & definitionem. Etiamsi igitur concederemus, Septenarium Sacramentorum numerum, nec ab omnibus, nec ubique, nec semper, idest, antequam Ecclesia universa in id consentiret, solemniterque declarasset, habitum fuisse Caput Fidei: haud inde sequi oporteret, talem numerum in præsens de Fide non esse: nam tametsi, eo in casu, huic deesse dogmati exterior universalitas, ac perpetuitas, haud ipsi tamen defuit arcana & interior antiquitas, neque illi deest nunc Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, quæ numerum illum de fide tenendum proponens, ac statuens, eandem ipsi confert certitudinem, quam haberet, si expressam ostentare posset consensionem, ac perpetuitatem: nec ideo quidem, quia Ecclesiæ fas sit id affirmare, quod antea negasset: aut id, quod antea docuisset, inficiari, sed quia ipsa demum id credendum de fide proposuerit, quod antea, explicite nondum proponebat; quemadmodum in Canone Sacrarum Scripturarum contigit, in quo Deuterocanonicos Libros Protocanonicis æquavit. Dum igitur itaque de axiomate allegato, diligenter distinguendum est, concedendo, ea omnia de fide esse, quæ ab omnibus, quæ semper credita de fide sunt, sed negando ea sola ac tantummodo de fide esse posse, aut nunc esse; aliqua cum sint, quibus tametsi expressa tribui non possit consensio, ac perpetuitas, cum ab Ecclesia tamen proposita demum fuerint, atque definita, habent propterea & ipsa certitudinem fidei, atque veritatem.

18. Porro in doctrina de septenario numero Sacramentorum id evenit quod in doctrina de valore Baptismi in forma Ecclesiæ ab Hæreticis collati. Cum enim Augustino Donatistæ objicerent, Catholicos aliquos Episcopos ac præcipue Sanctum Cyprianum, qui valorem illius Baptismi inficiabantur, quidnam illis respondebat Hipponensis Præsul? Illud certe Libro II. contra Donatistas Capite IX. *Nondum factum erat Concilium, quia consuetudinis robore tenebantur Orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem: postea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur, & quæritur, non solum inventa est veritas, sed etiam ad Plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta est.* Id, inquam, contigit in doctrina de septenario numero Sacramentorum, ut sequenti capite ostendemus.

CAPUT IV.

Septenarius Sacramentorum numerus ostenditur.

19. Statim atque doctrina de septenario Sacramentorum numero prioribus Ecclesiæ sæculis consuetudinis tantum robore tenebatur, ruant illico necesse est universa quæ primi Heterodoxi proferebant in medium argumenta. Numerum ideo illum negabant olim Protestantes, quia sacris in Literis non habebatur conceptis terminis hæc propositio: *Septem sunt novæ Legis Sacramenta.* Cui difficultati pauci Catholici occurrebant, adversarios rogando, nobis ut ostenderent, ubinam in Sacris Literis scriptum reperiretur: *Duo tantum sunt, vel tria tantum sunt novæ Legis Sacramenta.* Nullibi profecto id expressum reperitur: quemadmodum in Evangelio expressis scriptum terminis non legeris: Tres sunt virtutes Theologicæ: quatuor Cardinales: septem sunt dona Spiritus Sancti: septem sunt Opera Misericordiæ spiritualia: septem sunt Opera Misericordiæ temporalia, &c. Alia igitur procedendum esse via constituebant nostri in hujus inquisitione veritatis: nempe vestigandum esse an ubi Sacræ Literæ, Concilia, & Patres, de aliquo ex Sacramentis sermonem habent, eidem tribuant naturam, vim, & efficaciam Sacramenti: neque hæc alteri symbolo rei sacræ tribuant, quod in hoc septenario numero non comprehendatur. Si res ita sit, consequi ajunt, hæc septem revera, neque plura, aut pauciora esse Novæ Legis Sacramenta. Id tamen, ut diximus, inferri atque colligi non potest, nisi postquam actum est, de quocumque singillatim Sacramento.

20. Urgebant adversarii veterum silentium Patrum, Ignatii, Polycarpi, Athenagoræ, Justini, Irenæi, Minucii Felicis, & aliorum, qui septenarii Sacramentorum numeri non meminere. Quibus jure Nostri regerebant, non illud fuisse illorum veterum Concilium, ut hæc Mysteria tradiderent ac amplificarent: eos plurimum de oppugnanda Idololatria vel de Judæis ac Gnosticis refellendis cogitasse, vel de Christiana Religione vindicanda apud Ethnicos, quibus occultanda erant, pro disciplina Arcani, tam grandia Mysteria: infirmum tandem esse existimare, allegatos Scriptores egisse Catechistas.

21. Hoc Responsi tamen genus audaciores reddebat Adversarios; siquidem inquiebant: Patres antiqui ad Cathecumenos informandos data opera scripsere: quo pertinebant Cyrilli Jerosolymitani Catecheses utriusque generis, tum simplices, tum mystagogicæ, ubi arcana Mysteriorum Sacrorum revelabat: Divi Ambrosii Liber de Initiandis, ejusdemque Lib. VI. de Sacramentis, siquidem is auctor sit: Augustini Libellus de Catechizandis Rudibus, &

Libri

Digitized by Google

Libri quatuor de Symbolo ad Catechumenos; atqui ejusmodi in antiquis Catechesibus duo tantum vel tria memorantur Sacramenta, immo Sanctus Augustinus nil inculcare videtur magis, quam *pauca*, *pauciora*, *paucissima* fuisse a Christo instituta Sacramenta; itaque, &c.

22. Erat hoc Achilleum olim adversariorum argumentum; quod ego legens, non poteram non recordari eorum, quæ prostant in Longueruanis, sive *Recueil de Pensées de M. Louis du Four de Longuerve*, Part. II. pag. 116. ubi ita Abbas Longueruanis: „ Causant un jour avec M. Allix, de quoi, lui disois. Je s'aviserene les „ Auteurs de votre Confession de foi d'aller „ fourer-la cet article, que la persuasion interieure du saint Esprit fait discerner les Livres „ Canoniques, d'avec les autres Livres Ecclesiastiques, ce qui est absolument insoutennable? „ Que ne tenoient-ils, comme font encore aujourdhui les Grecs, & autres, au Canon du Concile de Laodiceè? Les Auteurs de nôtre Confession de foi, me repondit, il ètoient de bonnes gens, qui n'en scavoient pas tant. Ne „ doutez pas que s'ils eussent connu le Canon „ de Laodiceè, & le sentiment de l'Eglisè Greque, ils ne s'en fussent tenus là. On ne faisoit que de commencer à ètudier, & ils ont „ fait tout de leur mieux. " Eadem ratione numquid priores illi Adversarii antiquas confugissent ad Catecheses, eas si novissent? Minime sane gentium; quippe quod illæ non eandem ac hodiernæ Methodum ac naturam habuerint. Ut enim animadvertit Cl. Touttée Dissertatione II. præmissa Operibus Cyrilli Jerosolymitani Cap. IV. & in Præloquio ad Catecheses Mystagogicas ejusdem, in Catechesibus simplicibus explicabatur modo Symbolum Catechumenis, alicubi etiam Dominica Oratio, quemadmodum patet in prioribus decemocto hujus Sancti Patris Catechesibus, nec non in Concionibus Gaudentii ad Neophytos, in sermonibus Sancti Augustini ad Infantes, aliisque similibus; non licebat enim Mysteria, ac Sacramenta nondum initiatis patefacere: quo pertinebat Canon XVI. in Capitulari Attonis Vercellensis Episcopi: *Symbolum etiam placuit ab omnibus Ecclesiis in dies, idest, ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publice in Ecclesiis competentibus tradi*: eoque spectabant, quæ Lequienus animadvertebat Centuria, sive Sæculo XI. Panopl. contra schisma Græcorum Capite IV. videlicet: Dudum ante Benedictum VIII. Symbolum Constantinopolitanum quarta feria Hebdomadis quartæ Quadragesimæ, nec non sabbato Sancto in Ecclesia super Electos Catechumenos Romæ recitari solitum fuisse: græce quidem masculis, Latine vero Feminis, ut habetur in altero Ordine Romano, qui postremo Tomo Bibliothecæ Patrum editionis Parisiensis visitur.

23. Ne tamen ipsorum plane rudes, Sacramentis adhiberentur electi Catechumeni, in ipsa Paschatis vigilia, breviter, ac summatim, quantum temporis ratio concedebat, eorum, quæ mox percepturi erant, Sacramentorum vis, & ratio ipsis aperiebatur, adeo tamen, ut plena & accurata de ipsis informatio in Paschales differretur dies, quo tempore singulis diebus, a feria secunda incipiendo, conciones de illis habebantur. Apertissime hoc patet ex Catechesi XVIII. postrema inter simplices Cyrilli, ubi inquit: „ Ceterum, fratres dilecti, vos omnes hortatur „ præceptionis hujus sermo, ut animam ad Cælestium donorum receptionem comparetis. De tradita vobis ad confitendum sancta, & Apostolica fide, quot licet Catecheses in præteritis hisce „ Quadragesimæ diebus per Domini gratiam diximus non quod ea tantummodo dicenda fuerunt: multa enim sunt prætermissa, hocque „ sublimius fortassis a melioribus Magistris cogitarentur. Instante vero deinceps sancto Paschatis die, dum vestra in Christo per lavacrum regenerationis charitas illuminabitur, iterum Deo volente de iis quæ consentanea sunt „ erudiemini, quanta nimirum cum pietate, quove ordine vocatos ingredi oporteat: cujus rei „ caussa unumquodque sanctorum Baptismi mysteriorum perficiatur, & quanta cum reverentia, atque ordine oporteat a Baptismate „ ad Sanctum Dei Altare procedere, spiritualibusque, & Cælestibus, quæ ibi distribuuntur, Mysteriis frui: ut anima vestra per doctrinæ sermonem prius illustrata, per singula „ cognoscatis impertitorum vobis a Deo donorum magnitudinem. Post sanctam vero, & salutarem Paschatis diem, a secunda Sabbatorum die inchoando, singulis consequentibus „ Hebdomadæ diebus statim post synaxim in Sanctum Resurrectionis locum ingredientes, aliis, Deo volente, Catecheses audietis, in quibus singularum quæ in vobis peractæ fuerint rerum „ rationes, & caussas erudiemini &c. " Ita in fine ultimæ simplicis Catecheseos Catecheses mystagogicas promittebat hic Sanctus Pater, in quibus revera de perceptis, ab iis qui initiati fuerant, donis, Baptismo scilicet, Confirmatione, atque Eucharistia dixit, docuitque perfectissime.

24. Hæc verum facies opinionem confirmare videtur Casimiri Oudini, qui Tomo I. Commentariorum de Scriptoribus Ecclesiasticis, Dissertationem concinnavit, ut ostenderet, Tractatum *de iis qui initiantur Mysteriis* ac Libros sex de Sacramentis, qui Sancto Ambrosio tribuuntur, unius, & ejusdem, non modo Auctoris esse, sed & unum idemque Opus constituere, cum convenerint bona fide Maurini quoque Editores ejusmodi de Sacramentis Libros in MSS. equidem notæ optimæ, esse septem, neque sex tantum, *quia iidem sermones sunt exarati, ut per octo am suum cuilibet diei adtribuerent*, *Dominicæ Resurrectionis*, *quod propter solemnita-*

tem

tem impedita esset, tantum excepta. A feria itaque secunda orsum fuisse, atque ita septem Conciones, seu libellos conscriptos, quorum primus *de iis qui initiantur Mysteriis* inscriptus, ad recenter Baptizatos, seu Neophytos per Octavam Paschatis ad fontes baptismalis habitus, cum ceteris ad eosdem fontes baptismales pariter pronuntiatis, convenit, & cohæret: idemque argumentum cum sex sequentibus ob eandem solemnitatem tractat. Quemadmodum enim sex Libri de Sacramentis, seu sex ultimi & septem sermones, se se mutuo appellant, atque reclamant: tertius secundum, quartus tertium, quintus quartum, sextus quintum, ac sextum septimus necessaria inter se connexione: ita quoque sermonem *de iis qui initiantur Mysteriis*, appellat Liber de Sacramentis primus: atque ita septenario procedentes ordine hi sermones, nullam confusionem, nullam interturbationem patiuntur. Hæc Oudinus, qui copiosissimo opere satagit ut id magis magisque confirmet, atque Opus universum Sancto Ambrosio Caturcensi, Galliarum Episcopo, sæculi Octavi desinentis Scriptori vindicet.

25. Postremum ne hoc verum sit, non in medium relinquimus, neque etiam cunctas ordinis meditationes hac in re nostras facimus. Illud modo animadvertimus, tum Librum de iis, qui initiantur Mysteriis, tum ceteros de Sacramentis Ambrosio tributos libros, nil differre a Catechesibus Cyrillo mystagogicis, ad mox baptizatos recitatis; cum in utrisque Catechistarum omnis labor, cura & diligentia in late explicandis, versata fuerit rationibus tum literalibus tum allegoricis, ac mysticis, non Mysteriorum modo, quæ Initiati vix receperant; verum etiam rituum, ac cæremoniarum, quibus tunc Mysteria illa administrabantur, exorcismorum præsertim, vigiliarum, humicubationum, jejunorum &c. De Sacramentorum ejusmodi figuris, in illo Catecheseon genere, copiose dictum est, deque eorum dignitate, præstantia, utilitate, vel necessitate, de fide tandem, & dispositionibus ad ea digna suscipienda requisitis. Itaque si in antiquis Catechesibus simplicibus solum explicabatur Symbolum, & alicubi Dominicæ explicatio orationis etiam addebatur. In Catechesibus vero Mystagogicis, sive ad Initiatos, ea tradebantur solum, quæ ad tria ab illis mox recepta Sacramenta pertinebant, quonam jure ceterorum mentionem Sacramentorum fieri tunc debuisse postulant, & contendunt adversarii, ut septenarium Sacramentorum numerum a Veteribus admissum fuisse consequi quis possit?

26. Hac in re, ut jam diximus, consuetudinis robore Ecclesia tenebatur: quam Ecclesiæ consuetudinem arripientes, qui fidei & morum doctrinas ordinata quadam methodo tradere constituerunt duodecimi sæculi scriptores, generalem posuerunt thesim de septenario numero Sacramentorum, vel tamquam generalem veritatem ex pluribus particularibus emergentem veritatibus docuere, septem esse novæ legis Sacramenta, neque plura, neque pauciora: quod ille quidem suo seculique more artificialibus, ut ita dixerim, rationibus, atque comparationibus exemplorum explicare pergebant magis, quam ostendere ac vindicare: cum nullus tunc adversarius foret, qui de talibus doctrinis dubitaret. Sed cum in eas sæculo decimosexto insurrexissent Novatores, propterea, juxta quod etiam a Scholasticis positæ veritates illæ fuerant, posterioribus a Conciliis definitæ sunt, non utique quia Scholastici eas ita docuissent; sed quia sacris literis, divinæque & Apostolicæ Traditioni innixæ erant: quam quidem Traditionem nuperi demum ac præstantiores Theologi, quod ad praxim spectat, ex editis jam tandem confirmaverunt omnium prope Gentium, omniumque populorum Pontificalibus Libris atque Ritualibus; quod vero pertinet ad dogma, & innumeris Sanctorum Patrum, Conciliorumque ac Ecclesiasticorum testimoniis, quibus, vel dum aliud agebatur, tamquam usitata, notissima ac vulgatissima de re, de uno vel de altero dictum fuit Sacramento. Ea, inquam, testimonia Polemici Tractatores demum colligentes, sacrisque cum Literis, Apostolica cum Traditione, & cum Ecclesiæ praxi conferentes, veritatem extra dubium omne posuerunt.

27. Maximum æque ponere solent nostri in consensione Christianorum omnium præsidium. Auctor Operis de Re Sacramentaria ita in præfatione disserit: Aperti sunt latinorum, Græcorum, atque Orientalium libri rituales, sensum Ecclesiæ absque æquivocatione enuntiantes: indeque clarissime cognitum est in hanc septem Sacramentorum fide omnes omnium sectarum Christianos, quantumlibet a Romana Sede per schisma, vel hæresim avulsos, unanimiter consentire: atque adeo evidentia, qua major nec fuit umquam vel erit, demonstratum est, professionem hanc de septem Sacramentis, hæresiqualibet & quocumque schismate esse antiquiorem; nec a quoquam homine, sectis tam diversis, tanto tempore & locorum tractu disjunctis, tamque sibi mutuo inimicis, persuaderi potuisse. Ecquis enim inducat in animum Romanum quemdam Pontificem tanta prævaluisse potentia, ut Patriarchatum Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, & Jerosolymitanum nutu vocis pervaderet, ibidemque non Orthodoxos tantum, sed omnium gentium Heterodoxos, & Schismaticos, tam diversis superstitionibus implicatos, tam feralibus odiis, & contra se invicem, & contra Romanam Ecclesiam exacerbatos, ad novam de septenario Sacramentorum numero amplectendam fidem nemine contradicente compellere? Hæc sane non aliis commenta placent, nisi quibus præter chimeras ac res incredibiles nihil placet. Hæc ille. Photii revera Epistolam Encyclicam

Digitized by Google

clicam habemus ad Archiepiscopales thronos per Orientem obtinentes, in qua ad fatale illud Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ dissidium priores gradus aliquando existere: Michaelis Cerularii, sub quo Schisma recruduit ac perpetuum veluti evasit, Epistolas tres adversus Latinam Ecclesiam habemus: Arcana prostrat Concilii Florentini Historia a Sylvestro Sguropulo, qui eidem ab exordio usque ad epilogum interfuit conscripta *(a)*: nec non similis argumenti a Gennadio Scholario edita: plane ut Historia Concilii Tridentini a Paulo Sarpio elaborata: cui simillimæ illæ sunt, vel ista potius illis simillima, eademque arte, ac methodo perfecta: denique tot actis prætermissis in Historia Byzantina conservatis, sub Stephani de Altimura Ponticensis nomine egregium ac notissimum contra Schisma Græcorum scripsit Librum noster Michael Lequienus, in quo absolutissimam habemus Concertationum inter nos & Græcos seriem ac doctrinam *(b)*. In cunctis vero istis monumentis haud inveneris vel Græcos de Latinis, vel Latinos de Græcis, circa auctum vel imminutum Sacramentorum numerum fuisse umquam lamentatos. Quæstiones rem Sacramentariam spectantes, tantummodo erant de Baptismo apud Latinos infusione facto, de sacri Collatione Chrismatis Latina in Ecclesia Episcopis solis reservata: de pane azymo ac fermentato in celebratione Eucharistiæ: & an istius consecratio solis perficeretur institutionis verbis, an vero invocatione etiam Sancti Spiritus: an fas esset bis terve unum ad altare eadem die sacra facere: querebantur etiam Græcorum aliqui Presbyteros nostros diebus Nativitatis

(a) De Auctore, ejusque Opere ita inter Heterodoxos Reimanus Bibliotecæ Theologicæ Sectione II. Capite 16. Sylvestri Sguropoli Historia Concilii Florentini, Græca, & Latina Stagæ Comitis MDCLX. ,, Arcana hæc est Concilii Florentini Historia, in qua Sylvester Sguropulus, unus ex quinque σταυροφόρων sive Cardinalibus Patriarchæ Constantinopolitani, qui eidem ab exordio usque ad Epilogum interfuit, ea perdiligenter complexus est, quæ sunt ἀπόρρητα, & intra velum gesta, & iis tantum nota, quæ sunt interioris admissionis, artes puta, & fraudes, & insidias, quas Latini Græcis compararunt, & quibus unionem, dicam, an Syncretismum illis extorserunt: omissa idcirco in Conciliorum Collectionibus, & in suspicionem non bonæ fidei adducta: plane ut Pauli Sarpii Historia Concilii Tridentini, cui est simillima: sed probata tamen a Græcis omnibus, & Gennadii Scholarii Historia Concilii Florentini huic exacte respondente confirmata, & ita comparata, ut ex universa ejus Æconomia constet eam esse longe verissimam, nec male meritum Robertum Creygthonum de re Ecclesiastica, qui eam e Bibliotheca Regis Salclæ a Cl. Sarrario descriptam, & Isaaco Vossio communicatam una cum latina versione, & notis quibusdam & spissa Præfatione in lucem edidit." Ejusmodi est heterodoxi hominis judicium de spiritu, & ingenio ex stylo Sguropuli, & ipsius Historiæ, in qua tamen Sectionis V. Capite 8. ita narrat Cardinalem Julianum fuisse Patres illius Synodi alloquutum. *Quatuor sunt differentiarum inter nos omnium semina: primum illud de processione Spiritus Sancti: secundum de Sacrificio fermentato, vel sine fermento: tertium de igne purgatorio: quartum de primatu Pontificis: sunt & alia quædam, fateor, ut surculi ex illis enati: sed hæc sunt longe maxima & præcipua.* Annuisse Græcos omnes subdit Sguropulus, unde jure consequaris, nullam fuisse de Sacramentorum numero Latinos inter, & Græcos litem & quæstionem. Sectionis XI. Capite 7. ita Methonensem Episcopum, qui unioni adversabatur, dixisse refert Historicus: *Si vel unum aliquem ex variis Latinorum erroribus emendasse* (Concilium Tridentinum) *contigisset, laude dignum fuisset: ut exempli gratia, quod non liceret, durante Quadragesima, bis in Septimana carnibus vesci: aut quod impium esset, bis terve ad unum altare in uno eodemque die missificare: vel quod nefarium in diebus Nativitatis & Resurrectionis, ut unus idemque Sacerdos a noctis conticinio ad horam quartam diei insequentis, quam sæpe velit, missificet: vel aliud quid unum ex eorum mille incongruis.* Num itaque arbitrabimur vel Historicum Latinis adeo infensum, vel Græcos illius temporis de rebus tam adiaphoris lamentatos, silentio premere voluisse, aut indemnatum præterire vel auctum, vel imminutum a Latinis numerum Sacramentorum? Nil profecto minus.

(b) Sub Stephani de Altimura Ponticiensis nomine contra schisma Græcorum egregium scripsit Librum noster Michael Lequienus, in quo absolutissimam habet concertationum inter nos & Græcos Historiam & doctrinam. Per Centurias sive sæcula prætextus recensentur omnes, quibus Græci suam a nobis secessionem vindicarunt. Actum itaque de Azymis fuit panibus, de jejunio Sabbati, de sanguinis, & suffucatorum esu, de Cantico Alleluja, quod a Latinis in Quadragesima non canitur, de Xerophagiis, de barbæ rasura, de sacris imaginibus, quas nos non venerari Græci sibi persuaserunt, de Latinorum Episcopis ad bella proficiscentibus, de unica denique mersione in Baptismo: sed de Sacramento aliquo vel inducto, vel neglecto a Latinis, ne verbum quidem auditum umquam est: immo a Florentina recedentes Synodo, adque schisma reversi, & in eo perseverantes in universum Græci; tum in Synodis, tum in fidei professionibus, tum Catecheticis ac polemicis in Elucubrationibus, septenarium Sacramentorum numerum celebrare numquam destiterunt. Quorsum rogo tam constans certusque infensissimas inter Ecclesias consensus nisi de doctrina a primis Religionis Præconibus profectus? Cui cum accesserit facta generalibus in Synodis universalis Ecclesiæ declaratio, sequitur negari non posse septenarium numerum Sacramentorum.

tatis aut Resurrectionis, a noctis conticinio ad horam usque diei insequentis quartam, quam sæpe voluissent, Missas celebrare. Num itaque suspicabimur, Græcos premere silentio voluisse, vel indemnatum præterire, sive auctum, sive imminutum a Latinis numerum Sacramentorum? Nil profecto minus.

28. Immo videtur idem Græcis hac in re contigisse quod Latinis. Nam cum apud illos quoque numerus ac doctrina Sacramentorum consuetudinis robore olim tantummodo stetisset, inductis apud eos demum ejusmodi quæstionibus, septenarium Sancti Spiritus Sacramentalium donorum numerum, haud secus quam Latini, ipsi quoque posuerunt, ut ex tot illis patet Græciæ Scriptoribus, quos Leo Allatius in medium protulit Libro præsertim III. de Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis consensu, de quo ita Svicerus in Lexico ad vocem Mysterium: *Maluit Allatius Recentiorum, qui a prima puritate deflexerunt, nisi authoritate*. Scilicet ab Antiquioribus deflexisse eos ait Ruiglianus scriptor, quia expressis isti ponebant terminis. Septem sunt Novæ Legis Sacramenta: quod vetustiores, rem esto eandem tenerent, conceptis tamen terminis non dixerant: ne heic Gabrielem Severum Neophytum Rhodinum, Simeonem Thessalonicensem, Stelladinm, Græcosque alios memoremus, ita de Septenario agentes Sacramentorum numero, quemadmodum Theologi illi nostri, qui manibus omnium teruntur. Et quia veritas ejusmodi, Calvinismi ope in recentiores Græcos aliquos inducti, perturbari æque apud ipsos cæperat; adeo Synodis pluribus, & Fidei professionibus, apud eosdem quoque, sicut Latina in Ecclesia, confirmata est ut omnes norunt.

29. Hoc pressi ratiocinio, quod ex quotidiana Orientalium editione monumentorum magis magisque roboratur in dies, quidnam regerunt Adversarii? Regerunt communem factum esse septenarium numerum Sacramentorum occasione expeditionum Crucesignatorum in Orientem, quibus evenit, ut a Latinis doctrinam ejusmodi acceperint Orientales, & Græci.

30. Mirum tamen, graves, quales se jactant, viros ea dicere non veritos, quæ pueri vix cogitarent. Num arbitraberis militarem expeditionem in Asiam idoneum esse medium potuisse dogmaticam ad doctrinam illis in partibus spargendam non dixerim, sed firmissime constituendam? Quid infirmius? Deinde infaustum Græcam inter & Latinam Ecclesiam schisma, odiaque, inimicitiæ, contentiones, ac æmulationes nono jam sæculo fervebant. Bellum autem sacrum, sive expeditiones Crucesignatorum in Orientem, sæculo evenerunt undecimo labente, quo tempore sub Michaele Cerulario recruduerat magis schisma, & acerrimum Græcorum in Latinos odium: quare illorum etiam fraude & insidiis infaustæ nostrorum expeditiones felicem exitum non habuerunt. Quomodo igitur earum occasione Græci Latinis infensissimi doctrinam ab istis septenarii Sacramentorum numeri accepissent? Sique accepissent ipsi, quomodo eam obtrudere Armeniis potuissent, Nestorianis, Eutychianis, ceterisque totam late per Ægyptum, perque Orientem universum sparsis sectis, quæ invicem odia fovebant infinita? Si igitur ejusmodi omnes sectæ cuncta admittunt Latinorum Sacramenta, ea procul dubio a divina, & Apostolica Traditione habuerunt.

31. Ab hoc admittendo numero nonnulli Protestantes alieni non fuere. Celeberrima est, Theologorum Augustanæ Confessionis Helmstadii coactorum consultatio occasione Matrimonii Filiæ Principis Brunsvicensis cum Carolo Austriaco nominis hujus Sexto, in qua ab illo Protestantium Choro definitur statum Romanæ Ecclesiæ talem esse, veram ut cum ipso colere habereque Religionem, & ad æternam possimus salutem pervenire: ideoque Protestantis illius Principis filiæ fas inviolata conscientia fuisse Romana amplecti Sacra, & Matrimonium Catholico cum Principe contrahere. Sibi vero solvenda proponentes objecta Theologi ejusmodi, ita pergebant: Romana in Religione credere oportet septem esse Sacramenta, cum tamen sint tantummodo duo. Cui ita regerunt: *Ultra etymologiam verbi Sacramentum in Scriptura non habetur si sint duo aut septem. Sic in Apologia Augustana aliquando numerantur duo, aliquando tria, dum absolutio illis adjicitur; & Catholici recognoscunt Baptismum, & sacram Cœnam esse duo principalia. Protestantes pariformiter plura occulta recognoscunt Mysteriorum signa, quam duo, vel tria: etenim absque dubio legerunt illud, quod in actis Apostolorum de manuum impositione habetur scilicet quod Spiritus Sanctus illos in die Pentecostes in ipsorum Fide confirmaverit: & quod Apostolus ad Ephes. V. de Matrimonio dicat: Hoc est magnum Sacramentum*. Ita celebriores Augustanæ Professionis Theologi die secunda Aprilis MDCCVII. in nota illa ac toties edita Consultatione.

CAPUT V.

Numerus Septenarius Sacramentorum vindicatur.

NUperos inter Romanæ Ecclesiæ Adversarios eminet Maturinus Veysserius Lacrozius, qui Historias Christianismi scripsit tum Ethiopiæ, & Armeniæ, tum etiam Indiarum, in quibus testimonio fretus aliquorum tum Fidei Ræconum, tum Itinerarorum in Orientem, evincere conatur, Habissinos præsertim, Armenios, ac Nestorianos Malabaricos, Christianos Sancti Thomæ appellatos, nullam habere Sacramentorum Confirmationis, ac Postremæ Unctionis notitiam, ac no-

ac notionem; quare inferat ſeptem olim non fuiſſe credita Novæ Legis Sacramenta.

32. Nobis non placet in ſcopulum incidere in hujus Tractatus limine objectum: it que duobus illis de *Sacramentis* ſuo dicemus tempore, & loco: proinde ſatis erit oſtendere in præſens quam levibus innitatur fundamentis Adverſarius. Rudioribus etiam hodierna die notum eſt, Luſitanos Miſſionarios, alioſque ejus generis, quibus fidit Lacrozius, in eo fuiſſe miſere deceptos, ut cum Confirmationis *Sacramentum*, veteri more, cum *Sacramento Baptiſmi*, ac poſtremam Unctionem diverſo collatam fuiſſe ritu ab eo, quo *Sacramenta* hæc latina conferuntur in Eccleſia, in pluribus Orientalium, & Indiarum Eccleſiis vidiſſent, eos, inquam, Miſſionarios, uti & laicos itineratores, quibus nulla erat ſacræ antiquitatis cognitio, in eo miſere deceptos, ut *Sacramenta* ejuſmodi in Gentibus illis non haberi, ſibi perperam perſuaſerint, ac fidenter nimia in ſuis narrationibus tradiderint. Pudere debuiſſet Jobum Ludolfum, Lacrozium, ceteros qui ſe ſe veluti majorum gentium ſcriptores venditant, hominum illorum ignorantiam neque fuiſſe ſuſpicatos, quorum de imperitia tamen præſtantiores noſtri, in rebus Orientalibus verſati, lamentati ſæpiſſime jam fuerant; ut legenti patet Præfationem Lequienii ad Panopl. contra ſchiſma Græcorum, in qua ſummæ veterum illorum Fidei Præconum, qui in Orientem mittebantur, inſcitiæ aſſerit, quod res minus feliciter proceſſerint. Nulli, inquiebat, pro Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ cauſſa, pejorem operam navavere quam audaciſſimi illi imperitiſſimique e Latinis homines, qui decimo tertio ſæculo medio idonea ſine armatura Schiſmaticos temere adoriri non dubitarunt: cujus exempla rei profert ille bene multa. Neque ii modo, qui Orientales, aut Indicas peragraverunt regiones; ſed & qui ſedentes domi, ſibi poſtes oppugnandos ſumpſere exteros illos, ſcholaſtici nonnulli decepti ſunt: ita quippe allegato loco laudatus Lequienus: *Nihilo autem digniores venia ſunt illi, qui moribus, ritibuſque ſuis hodiernis aſſuefacti, quidquid apud Græcos, aliaſque nationes Orientis Chriſtianas a Latinorum Cæremoniis diſcrepare repererunt; illud proſcribendum, vel immutandum contenderunt: quamlibet apud eas a primis temporibus inolitum eſſet, & a Patribus, quos illi non conſulerant, adprobatum: Quæ proinde illorum imprudentiſſima agendi ratio, magno ſemper iis Gentibus offendiculo fuit, ne ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem fidemque reverterentur.* Quo cum perfectiſſime conſonat Lucas Holſtenius, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, initio Diſſertationis primæ de *Sacramento* Confirmationis apud Græcos, ſcribens: *Lictuoſum Schiſma; quod Orientis, & Occidentis Eccleſias dudum disjunxit, illis potiſſimum imputandum eſt; qui, Chriſtiana Charitate poſthabita, diſputandi pruritu omnia in quæſtionem, & controverſiam adduxerunt quæ diverſo ritu quoad partem adverſam aguntur. His nulla vel exigua Charitatis cura, ſed unum vincendi ſtudium; ut ex ſua conſuetudine, vel opinione aliis legem præſcribant. Illud autem miſera, & afflicta fortuna duriſſimum & iniquiſſimum habet, quod inſultantium ludibrio impune pateat.* Exſcripſit judicium hoc Richardus Simonius, eidemque ſubſcripſit, tum in notis uberioribus ad Tractatum Gabrielis Severi de *Sacramentis*, tum in Epiſtola illius Operis nuncupatoria ad Montanſerium Ducem; tum denique in Præfatione ad Hiſtoriam Criticam Fidei ac morum Orientalium; quæ nos heic tamen haud ideo relata volumus, ut Orientales, ac Græcos quacumque labe liberemus, ſed ut intelligatur, eorum circa *Sacramenta*, ac doctrinam non a privatis quibuſdam illas in oras pervenientis Fidei Præconibus, multoque minus ab iteneratoribus, aut ab aliquibus ſcholaſticis, ſed ab ipſorum potius Orientalium, & Græcorum ſynodis atque Patriarchis, a Fidei, quas emiſerunt, Profeſſionibus, ipſorumque illuſtrioribus Theologis eſſe hauriendam.

33. Verum enim vero dixerit Lacrozius: Gregorius Abbas inter Habeſſinos celebris, Abuſphragius etiam appellatus, cujus Æthiopica Theologia reperitur in Salutari Luce Evangelica Fabricii pag. 716. ſeqq. ſcribebat: *Myſteriorum* (ideſt *Sacramentorum*) *certus numerus non eſt; conſtat tamen illos dicere: Myſterium Baptiſmi; Myſterium Sacræ Cœnæ, Myſterium Confeſſionis. Alia Myſteria vel Sacramenta non ſunt in uſu;* atqui ſcriptor ille nec Itinerator erat, nec Fidei Græco Europeus; itaque, &c.

34. Quam facile tamen enervantur iſta! Petrus Abbas ille Æthiops, qui ſedente Paullo III. Æthiopicam Romæ edidit Liturgiam, ita in Epiſtola nuncupatoria ad Pontificem ſcribebat: „ Non „ poſſum non maxime dolere, Beatiſſime Pater, „ quod quidam hæc (nempe, quæ ſunt Religio„ nis,) in diverſas diſſecuere Sectas, eaque, „ quæ omnibus eadem ſunt, quærunt prorſus „ diverſa facere: quo factum eſt, ut unus idem„ que Chriſti Sanctiſſimus grex, cujus tu uni„ verſalis Paſtor a Chriſto es conſtitutus, in di„ verſa vel abierint, vel abiiſſe credantur, dum „ unuſquiſque noſtrum eos, quos ab Eccleſia „ deſciviſſe temere reputat, ut Hæreticos fu„ git: quod præcipue in Orientis Provinciis eve„ niſſe dolemus, quando nos Æthiopes, qui Ca„ tholici ſumus, & eſſe volumus, Chriſtique in„ ſtituta, atque doctrinam uſque hodie illiba„ tam tenemus, tamquam Schiſmatici ab omni„ bus fere Æthiopeis judicamur. “ Ita ille: qui profecto nec Itinerator erat, neque Fidei Græco Europeus, ſed Æthiops Abbas haud minus quam alter ejuſdem nominis a Lacrozio allegatus. Cui nam Fides danda? Certe Petrus Æthiops Abbas

Digitized by Google

Pontificem alioqui minime ita potuisset, Æthiopica si Ecclesia, maximam saltem partem, eadem, quæ Romana colit Ecclesia, non admisisset Sacramenta.

35. Magnum posuit Lacrozius momentum in verbis *Sacramentorum certus numerus non est.* Sed numquid primis temporibus fuit certus definitusque explicite atque exterius fuit eorum numerus apud Latinos & Græcos? Has utique divisiones distributionesque illa non ferebant tempora; neque de numero habebatur tunc quæstio ac disputatio. Dum Gregorius ille memoratis tribus Sacramentis addidit, alia in usu apud Ethiopes, vel Habessinos minime fuisse, utique non negavit, alia institui potuisse a Christo, aut instituta fuisse Sacramenta, sed illa modo tria narrabat fuisse Habessinorum plebi administrata: quippe quis animo conceperit nullam fuisse apud ipsos sacram Ordinationem, nullum sacerdotium? Oppositum sane omnia evincunt illarum gentium monumenta. Immo statim atque ponitur apud ipsos Mysterium, sive Sacramentum Confessionis, ponatur æque necesse est Ordinationis Sacramentum; quia virtus quidem Pœnitentiæ absque Sacerdoti ministerio esse potest, sed Pœnitentiæ, & Confessionis Sacramentum sacerdotali absque ministerio concipi nequidem potest. Denique si ex quo sacramenta Confirmationis, Extremæ Unctionis, atque Matrimonii non fuerint alicubi administrata, colligere statim velis, ea minime admissa & credita fuisse, vel de Latinis id afferas opus erit tempore, quo Episcopi, & Clerici ad bella procedebant, quo, mille propter præjudicia, morituri a postrema Unctione abhorrebant, quo nostri nulla prope solemnia Matrimonia celebrabant. *(a)*.

36. Hæc explicari tamen latius modo poterunt, ubi de talibus agemus Sacramentis. Satis nunc erit animadvertere, neglectam fuisse a Lacrozio meditationem hisce de rebus acturo prorsus necessariam. Monet Richardus Simonius in Notis uberioribus ad Apologiam Gabrielis Severi, pag. 147. Græcos non in duplici, sed in triplici classe constituendos esse: nam præter Schismaticos, qui a Sede Romana divulsi sunt, & eos, qui a summo Pontifice dependent, alios esse, qui, patria relicta & avita Fide, Novatorum placitis addicti sunt. Quales fuere Gerganus Atensis, Cyrillus Lucaris, aliique nonnulli, tam a suis, quam a Nostris dissoni. Id autem in ceteris quoque reperiri Orientalibus, noverit quicumque leviter etiam unam vel alteram narrationem legerit Orientalium rerum, unum vel alterum aut Itineratorem, aut Fidei Præconem, vel statum consideraverit Christianæ Religionis apud Orientales, quatuor ab heinc sæculis,

---

(a) Dizionario delle Eresie, degli Errori, e de' Scismi. T. 1., alla voce Abissini.

Hanno sette Sacramenti come i Cattolici, nè si debbe credere, che non abbiano la Confermazione, e l'Estrema Unzione, come scrive Ludolfo, N. 2. Æthiop. Lib. III. Cap. 5. avendo gli Abissini sempre ricevuto il Metropolitano, o il loro Vescovo dal Patriarca d'Alessandria, ed avendo i Costi dopo la conquista de' Saraceni conservata la Confermazione, e l'Estrema Unzione, come mostriamo nell'articolo de *Costi*, perchè debbono gli Abissini aver rigettata la Confermazione? Il Ludolfo si fa forte sulla testimonianza de' Missionarj Portoghesi: ma questi Missionarj forse più zelanti, che avveduti, si sono ingannati, perchè questo Sacramento non si amministra in Etiopia come in Europa: e probabilmente gli Abissini lo amministrano come i Costi, cioè dopo il Battesimo: ed i Missionarj Portoghesi hanno presa la Confermazione, come una Cerimonia del Battesimo: nè avendo veduto che si amministrasse la Confermazione agli adulti, hanno concluso, che gli Etiopi non riconoscono questo Sacramento. Da questo stesso principio è nato il loro errore circa l'Estrema Unzione degli Etiopi, perchè è certo che i Costi l'hanno serbata. (Ved. l'A. Costi) onde non si vede ragione, per cui gli Abissini, che da quelli ricevevano il Metropolitano, abbiano lasciato il costume della Chiesa Costa. In questa non si amministra l'Estrema Unzione come tra i Latini; ma si dà dopo la Confessione, così ai sani come agli ammalati: onde i Missionarj che non vedevano che si praticassero in Etiopia le ceremonie della Chiesa Latina, nè credevano che si dovesse amministrare, che agli ammalati, giudicarono, che non ritenessero questo Sacramento. Tale congghiettura diverrà, come credo, una prova, quando si consideri il modo con cui amministrano l'Estrema Unzione. „ Il Prete dopo aver data l'assoluzione al Penitente, si fa assistere da un Diacono, e comincia subito dall'incensare, e prende una lampada, di cui benedice l'oglio, e vi accende uno stoppino, e dopo recita sette orazioni, frammischiate da altrettante Lezioni, prese dall' Epistola di S Giacopo, e d'altri passi della Scrittura: ed il Diacono è quello che legge: e finalmente il Prete prende l'oglio, benedetto nella lampada, e ne fa una unzione sulla fronte: dicendo: Dio vi sani in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo, e fa anche una unzione a tutti gli astanti, per tema, dicono essi, che lo spirito maligno non passi in alcun di loro," Nouveaux Memoires des Missons de la Compagie de Jesus dans le Levant. T. VI. Letre du P. Bernat. Perpetuitè de la Foi T. V. L. V. Cap. I. Q. non deve credersi, che Missionarj, i quali non hanno avuto tempo di studiare a fondo la Liturgia degli Etiopi, non si sieno ingannati non riconoscendo in questo modo amministrato il Sacramento dell' Estrema Unzione? - Sed de hac re, fusius suo loco. De Sacramento Abissinorum ibi quoque agitur, ex fide præsertim P. Lobi, qui Differt. trigesima de eo scribit, extat hæc adnexa Historiæ itinerum ejus pag. 335.

Digitized by Google

culis, qui tot in Libris prostat atque circumfertur. Sunt illic magnæ Ecclesiæ, sive sectæ Schismaticorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Monophysitarum, suis cum Patriarchis atque Episcopis; sed ubique inter illos inspersi sunt, minore licet numero, Catholici non tantum, sed etiam Hæreticorum, ut ita dixerim, Hæretici, qui neque nobiscum, neque magna ipsorum cum Ecclesia consentiunt; ipseque adeo Lacrozius suis passim in Historiis eadem reperit in secta nonnullos in aliquibus Religionis Capitibus dissentientes: inde enim varietas illa & oppositio inter Orientalium monumenta diversis pro temporibus, & pro diverso scriptorum ejusdem Gentis sectæque genio exarata.

37. Quemadmodum itaque qui sibi cognoscendum proponeret quidnam de Sacramentorum doctrina hodierno sentiant tempore schismatici Græci, non ad paucos illos cum Novatoribus facientes confugere deberet, sed ad solemnem magnæ Schismaticorum Ecclesiæ Liturgiam, & ad innumeros illos, Mahumedanorum numero, quorum in Imperio desunt, nisi superiores, saltem, ut creditur, æquales, qui cum Patriarchis faciunt Alexandrino, Antiocheno, Jerosolymitano, & Constantinopolitano, cen generalem Græcorum Ecclesiam constituentes: ita qui determinandum proponit sibi quidnam eadem de re Nestoriani credant, Eutychiani, Monophysitæ, Armenii, Habessinii, aliæque sectæ, ad eorum Patriarchales, & Archiepiscopales sedes confugiat opus est, & ad rituales ac pontificales ipsorum Libros, & communes Liturgias, non ad paucos eos, qui sub illarum nomine sectarum, communi adhuc tamen a sententia aliquo in Capite recedunt. Omnes autem illos sive Archiepiscopos, sive Patriarchas ponere sacramenta septem, ex illis, quibus utuntur, Liturgiis Nostri jam copiosissime ostenderunt: proindeque quemadmodum Augustinus, agens de valore Baptismi Hæreticorum, dicere non verebatur, ante plenarium Concilium, Orbem terrarum consuetudinis robore teneri solitum fuisse, atque universæ probatum Ecclesiæ Baptisma Hæreticorum, etiamsi minime ignoraret Sanctus Pater, aliquos fuisse præstantissimarum quoque Præsides Ecclesiarum, qui ante plenariam synodum Baptismum Hæreticorum improbaverant: ita & nos, majori etiam jure, adfirmare possumus, septenarium Sacramentorum numerum fuisse Christiani Orbis consuetudine receptum, etiamsi obscuræ imperfectæque aliquæ Christianorum societates Sacramentum aliquod ad salutem non omnino necessarium vel ignoraverint, vel usu prætermiserint, dum præsertim a majorum Fide Ecclesiarum recesserunt; vel etiamsi ante solemnem Ecclesiæ declarationem inter Latinos quoque esse fortasse aliqui potuerint, qui de vi atque efficacia, aut dignitate alicujus Sacramenti scripserint, aut dubitari posse constituerint.

CAPUT VI.

Idem argumentum adhuc magis illustratur.

38. Animadvertentes Adversarii negari non posse, Orientales sectas septenarium admittere numerum Sacramentorum, ita saltem interpretantur, diversitatem adhuc esse aliqua inter sacramenta ab illis, & a nobis posita. Apud Nestorianos, inquiunt, septem sacramenta sunt: Sacerdotium, Baptismus, Oleum Unctionis, Oblatio Corporis & Sanguinis Christi, Remissio peccatorum, Sacrum fermentum, & signum Crucis, quemadmodum Ebedjesus Sobæ ponit in Libro Margaritæ Parte IV. Capite I. Cophtæ celebrant septem sacramenta: sed quænam illa? Baptismus, Confessio, Eucharistia, Ordo, Fides, jejunium, & Oratio. Armeniis sunt sacramenta septem, Baptismus, Oblatio, sive celebratio Liturgiæ, Benedictio Chrismatis, Impositio manuum, sive sacra Ordinatio, Matrimonium, Oleum infirmorum ac pœnitentium, Officium Mortuorum. Ita ex Vardane Armenio Doctore Lacrozius, qui crambes addit centies recoctas, & a solis minorum gentium Protestantibus objectas, Theodoretum videlicet scripsisse duodecim de Sacramentis Libros nunc deperditos: Petrum Damiani Cardinalem, duodecim numerasse sacramenta: Hugonem Victorinum plusquam duodecim sacramenta celebrasse, inter quæ Ecclesiarum dedicationem, & sepulturam mortuorum: Divum Bernardum lotionem pedum Sacramenti nomine donasse, eamque cum Baptismo, & cum Eucharistia contulisse: nonnullos benedictioni Monachorum, sive Monasticæ Professioni vim tribuisse atque efficaciam Sacramenti; quibus infirmare se posse credidit Lacrozius generalem de septenario Sacramentorum numero consensionem: intelligens tamen parum se ejusmodi meditationibus proficere, nosque rursus ad magnam confugere Græcorum Ecclesiam, & ad quatuor ipsorum Patriarchas, totque ad nuperos schismaticos Scriptores, qui tum constanter, tamque manifeste ea ipsa, & sola tuentur, quæ Latini colunt sacramenta; quid tum Lacrozius? Verissimum id esse non diffitetur: sed quare? quia, inquit, Latini, occasione Belli sacri, sive expeditionis Crucesignatorum, in Græciam, & Orientem profecti, talem ibi sparserunt doctrinam, quam Græci facile arripientes, Orientales etiam in Ecclesias ac Sectas transmiserunt.

39. Ut vero priores illæ difficultates feliciter a vulgaribus etiam Tractatoribus solutæ jam sunt, solvique nullo possunt negotio ex iis quæ superius constituimus: & quæcumque posita interpretatione, numquam sequi possit, duo tantum vel tria admittenda esse sacramenta: quod commune est Adversariorum enatum: nam quo majo-

majorem nonnulli admittere visi sunt Sacramentorum numerum, eo longius a Novatoribus hodiernis recesserunt, ut in Perronianis animadvertisse dicitur Cardinalis Perronius ad vocem Theodoretus. *Theodoret, avoit fait douze Livres des Sacramens, qui sont perdus. Puisqu' il en avoit tant fait, c' est signe qu' il en comptoit plus de deux, & qu' il n' étoit pas de l' avis de Calvin.* Ut priores, inquiebam, difficultates haud dignæ sunt, ut illis enodandis immoreremur, ad postremam accedimus Lacrozii meditationem, cui adeo fidit ut nos veluti vicisse glorietur.

40. Nos ex opposito miramur, eam ipsi cadere in mentem potuisse: non uno enim ante expeditiones Crucesignatorum, sæculo integram extitisse apud omnes Græcos septem Sacramentorum fidem, ex non suspecto Adversariis Auctore ostendemus, videlicet ex Photio, qui nono prius sæculo dissidiorum faciem accendit. Fuit ejusmodi fax, citata jam Epistola hominis illius ad Archiepiscopales Thronos per Orientem obtinentes, in qua de tribus quærebatur, de doctrina scilicet processionis Sancti Spiritus a Patre & a Filio, quam Latini propugnabant: de Clericorum Cælibatu, ac de reservata Episcopis apud latinos collatione Sacramenti Confirmationis. Quum enim de Bulgaris recens ad Religionem Christianam conversis certamen esset Romanam inter, & Constantinopolitanam Sedem, cujusnam subesse deberent jurisdictioni: quumque Latini Episcopi Bulgaros in signum auctoritatis consignare pergerent, Photius ea de re vehementius contendens, propterea scribebat: „ Sed & Chrismate inunctos, per sacerdotes, denuo Chrismate inungere non dubitabant, quum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisma, inutile quidam, & frustra factum comminiscerentur. An talem quis insaniam aliquando fando audivit, quam non cohorruere insanientes illi factitare? ut semel oleo delibutos rursus inungerent, & augusta illa divinaque Christianorum Mysteria in bene longas nugas, ac risum lubentiamque conversa proculcarent? Sed vide insanctificationum fallacias? Non licet, dicebant, Sacerdotibus baptizatos oleo sanctificare: hoc enim lege concessum est Episcopis. Verum undenam illa lex? Quisnam Legislator? ecquis Apostolorum? sed an vel Patrum, aut e synodis aliqua? Ubinam gentium illa, vel quandonam coacta? quorumve votis sancita, & suffragiis? Non licet Sacerdoti baptizatos oleo signare? Certe tum nec baptizare, nec sanctificare, atque de media sui parte, Sacerdos non perfectus in sortem abeat abactus profanam. Qui corpus Dominicum consecrat, & Christi Sanguinem, ac per ea illos sanctificat qui sacris erant olim initiati, undenam erit, ut non idem sanctificet oleo unguens consummatos? Baptizat Sacerdos: donum expiatorium in Baptizatos consummat; quanam ratione privabis illum custodia, & sigillo illius purificationis, cujus ipse erit consummator? Aufers vero sigillum, nec dono pateris subvenire, ut nudo tantum nomine tuus insignitus Sacerdos, te quidem cum ipso societatis, & Chorostasiæ Coryphæum declaret ac Episcopum. " Hæc Photius, cujus ex verbis, præter Baptismum, & Eucharistiam, non ne manifesta cernitur apud Græcos doctrina & praxis Sacramentorum Ordinis, Chrismatis, ac Pœnitentiæ? Aliæ a nobis producuntur Photii Epistolæ in Appendice I. Num. quinque in quibus rursus, ut usitatissima in jure Canonico Græcorum, comparent eadem posteriora sacramenta, illudque præsertim Matrimonii, quod sanctificari non semel dicitur Benedictione Sacerdotis, qua divina augeri gratia in illis dicebatur, qui immunes a peccato, benedictione illa donarentur. (a) Non igitur expectandæ fuere militares Crucesignatorum expeditiones in Orientem, ut Græci plura quam duo vel tria admitterent ac in praxi haberent sacramenta.

41. Num vero arbitrabimur militares in Asiam Expeditiones idoneum esse medium potuisse dogmaticam ad doctrinam illis in partibus spargendam non dixerim, sed firmissime constituendam? Sæculo undecimo ineunte sederat Constantinopoli Michael Cerularius, cujus in latinos odio Schisma non modo recruduerat, sed inimicitiæ, contentiones, odiaque Græcorum in nos fervere cæperunt sempiterna. Bellum autem sacrum, sive expeditiones Crucesignatorum in Orientem, sæculo eodem labente tantum evenere: quibus factum, ut Græci suis magis tunc pro ritibus, ac moribus, suis pro opibus, suaque pro Religione ac libertate vehementissime timentes, magis adhuc alieno fierent a Latinis animo: quare ipsorum etiam fraude ac insidiis infaustæ nostrorum expeditiones felicem exitum non habuere. In eo autem rerum statu abest adeo ut nos in re Sacramentaria Præceptores habere voluissent, quin potius eo processerint, ut negaverint nos vera habere Sacramenta. Extant apud Matthæum Paris, Abericum, Echardum, ac Moshemium in Historia Tartarorum Ecclesiastica, Litteræ Fratris Philippi, Ordinis nostri, ex Oriente ad Gregorium IX. Rom. Pont. anno MCCXXXVII. scriptæ de Fide Jacobitarum, & Orientalium, in quibus post multa de Christianis Ægypti, Ethiopiæ, Libyæ, & Maronitis dicta, subdit: *Et cum omnes Nationes prædictæ doctrinæ veritatis, &c.*

(a) Has quinque litteras damus ad calcem Vol. II. Sacramentariæ hujus Tractationis.

Digitized by Google

tiis, & prædicationibus nostris acquiescerent, soli Græci in malitia perseverant, qui ubique latenter, & aperte Romanæ Ecclesiæ contradicant: omnia Sacramenta nostra blasphemant, & omnem aliam sectam a sua pravorum Hæreticorum appellant. Lequienus in allegata Panoplia contra schisma Græcorum, Centuria, sive sæculo XIII. Cap. I. ex tractatu cum Græcis apud Fratres Prædicatores Constantinopoli habito anno MCCLII. adfert hæc verba: *Michaelem Cerularium Græci usque hodie sequentes, Latinos Azymitas voce publica adserere non verentur, unde in tantam excæcationem & contemptum apud eos devenit Mysterium Sacramenti, ut non solum in mortis articulo ex eo sumere recusent, verum etiam incendium supplicii potius eligant sentire, quam simpliciter confiteri. Probat hoc Cyprius Rex, qui nostris temporibus duodecim Monachos isto errore laborantes, novos Diaboli Martyres per flammam ignis produxit. Dicebant enim prædicti Monachi, Sacramentum Latinorum lutum esse, & non Sacramentum; & quod sacrificantes, vel sumentes ex eo, more Gentilium, Dæmoniis immolarent*. Verum enim vero, subdit Lequienus, eodem illi perciti furore erant, quo Constantinus Michaelis Cerularii Sacellarius, qui divinam ex azymo consecratam Eucharistiam profanis pedibus conculcare non dubitaret, uti palam omnibus scripto suo testatam fecere Humbertus, Petrus, & Stephanus, Leonis IX. legati. Scilicet omni illa ætate Græcorum vulgus, quo Romanos livore infensoque odio prosequebatur, hoc palam jactitabat, nullam ex pane fermenti expertem Dominici Corporis consecrationem fieri: a quo tamen errore doctiores quoque e Schismaticis dissensisse, multis jam ex testimonis evictum est.

42. Jam vero si post expeditiones illas in terram Sanctam, pessime adeo in Latinos affecti animatique erant Græci, quis obsecro sibi persuaserit, istos ab illis haurire tunc doctrinam voluisse de septenario numero Sacramentorum? Profectio immo illa Latinorum in Orientem, moraque in partibus illis diuturna, vera ac interior fuisse videtur causa Schismatis diutius olim continuati. Lequienus loco citato, hæc narrat: „ Paucis post synodum Lateranensem celebratam annis, Joannes Ducas Imperator, Theodori successor, & Manuel Patriarcha, qui Nicææ in Bithynia morabantur, ut Imperii sui rebus „ consulerent de redintegranda unione cum Romana Ecclesia cogitabant, eorumque votis annuerunt obnoxii Byzantinæ Ecclesiæ Præsules, „ qui coacta synodo statuerunt, ut missis ad Romanum Pontificem Innocentium IV. Legatis, Andronico Sardorum, & Georgio Cyzici Episcopis, significarent, se eum illo Divina Mysteria in communionis testificationem celebraturos, mentionemque illius intra Missarum solemnia facturos, *dummodo Latinis, qui Constantinopolim tenebant, auxiliares nulla Copia mitterentur*. Quod quidem Emmanuelem „ posthac Palæologum in medium Ecclesiæ Magnæ Codice Græcis suis commemorasse multis „ narrat Pachymeres ipse in *Michaele* Lib. V. „ Cap. X. & XIII. Sic proinde Manuel Patriarcha, ejusque synodus, omni de spiritu Sancto, de interpolato symbolo, & de azymis „ omissa vitilitigatione, non aliam pacis sarciendæ offerri conditionem adnuerunt, præter unam „ dumtaxat mere sæcularem, Christi Sacerdotibus indignam, *quæ quidem admissa*, inquit „ Cap. X. Pachymeres *reconciliationis negotium patratum forsitan fuisset*. Verum Pontifex „ integrum sibi fore non putavit, si innoxias „ nostrorum turmas impotenti Græcorum furore „ permitteret. Ita Lequienus ". Non itaque occasione vel expeditionum militarium in Orientem, vel Commercii nostrorum cum Græcia post ætatem Cerularii, doctrinam de septenario Sacramentorum numero illi a nostris derivarunt: sique hausissent ipsi, quomodo eam obtrudere jam divisis potuissent Nestorianis, Eutychianis, ceterisque totam late per Ægyptum, perque Orientem universum sparsis sectis quæ invicem odia fovebant infinita? Si igitur sequutis ætatem Cerularii temporibus, Græci, tametsi in Schismate perseverantes, tam clare, tam aperte nobiscum in Sacramentorum censu consensere, id sane fuit, propterea quod in universali Ecclesiarum Orientalium Traditione numerum illum contineri, atque generali earum receptum suisse praxi cognoverunt.

APPENDIX.

De Pedum Lotione (a).

43. Dicunt Protestantes, quod si Patrum testimoniis adhærendum sit in re Sacramentaria, non septem modo, sed plura erant Sacra-

(a) Clarissimi Maurino-Benedictini editores operum S. Ambrosii fusiori calamo in notam quamdam de ejusdem S Ambrosii locum, sicut Mabillonius in aliam ad S. Bernardum de lotione pedum num censeri queat novæ legis Sacramentum egerunt, sicut quoad Græcorum sententiam Leo Allatius & Petrus Arcudius. Novissimis diebus Itali quidam Theologi de Eleemosynæ præcepto ita pertractarunt ut illud novæ legis Sacramentum asserere non dubitarunt, aliis tamen strenue contradicentibus, silentium impositum hac super re unicuique fuit. Opinio sane novitatis nuncia & veritatis vacua.

cramenta, quum Patres docent Lotionem pedum olim aliquibus in Ecclesiis Baptismo præmitti solitam, quam nonnulli de facto Anabaptistæ verum esse, & necessarium ad obtinendam remissionem peccatorum Sacramentum docuere. Id negant Orthodoxi ejusmodi de caussis. Non sufficit ad rationem Sacramenti, ut symbolum, & signum sit semel iterumque a Christo ad gratiam significandam, & efficiendam usurpatum; sed oportet, ut ea propter stabili sit, fixaque lege, & consecratione institutum. Nam veteri in testamento transitus maris Eritræi, fuit quidem symbolum remedii a morte Christi in Cruce obtinendi; symbola tamen hujusmodi non fuere antiqua legis Sacramenta, quemadmodum Bonus Paschalis, Panis azymus aliqua Sacrificia &c. quia hæc non illa fuerunt a Deo stabili, fixaque lege instituta, ut animæ sanctitatem pro illius Æconomiæ statu, denotarent. Christus similiter dum in terris ageret, nonnulla adhibuit in doctrinis insinuandis, patrandisque miraculis symbola, & signa, quæ tamen cum minime ordinaverit ad homines sanctificandos, propterea non sunt novæ legis Sacramenta.

44. Ejusmodi fuit pedum lotio: quis enim dixerit, eam ad homines justificandos, sanctificandosque fuisse institutam, cum id nec ex sacris literis, nec ex Apostolica traditione, nec ex Ecclesiæ praxi habeatur? Siquidem innumeris in locis, & præsertim Romæ absque lotione pedum quocumque tempore Baptismus fuerit administratus? quum igitur huic ritui desit promissio gratiæ, desit stabilis, & fixa institutio, deest illi procul dubio dignitas & natura Sacramenti.

Solvuntur Difficultates.

45. Ob. primo. Christus Jo: 13. inquit: „ Si „ ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister, „ & vos debetis alter alterius lavare pedes “. En ritum divinitus institutum. Addit Petrum alloquens: „ nisi lavero te, non habebis partem „ mecum “. En promissionem gratiæ. Nam si hæc habetur respectu Baptismi in verbis Christi: „ Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu „ sancto, non intrabit in regnum Cælorum“, cur non habebitur in similibus verbis respectu Lotionis pedum pronunciatis?

46. Resp. Christum lotionem præcepisse, sed non tamquam Sacramentum. Eo modo quo fuit præcepta, fuit etiam a Christianis observata; nulla enim est, aut unquam fuit natio, Christiano nomine insignita, quæ memorabile illud Domini exemplum Feria V. magna ante Paschalis hebdomada non sit animo devotissimo imitata. Generale præceptum non arguit dignitatem Sacramenti; nam Oratio, jejunium, eleemosyna præcepta sunt, neque sunt tamen Sacramenta. Quis vero dicat in verbis Christi ad Petrum lavari renuentem, „ nisi lavero te, non habebis „ partem mecum “ contineri promissionem gratiæ? Denotatur ibi pœna inobedientiæ, scilicet privatio Eucharistiæ, ut omnes fere Patres exponunt. Sic nulla gratiæ promissio habetur respectu Baptismi in objectis Christi verbis, sed comminatio potius contra nolentes baptizari. Promissio gratiæ Baptismo adnexa in illis continetur verbis Christi: „ qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit “.

47. Ob. secundo olim pedum lotio Baptismati præmittebatur, ut ex antiquis aliquarum patet Ecclesiarum ritualibus; appellata est etiam Sacramentum a Cypriano in tract. de ablutione pedum, ab Ambrosio lib. 3. de Sacramentis, & a D. Bernardo in sermone de Cœna Domini, qui eam confert cum Baptismo, & Eucharistia. Ergo, &c.

48. Resp. ritum hunc si fuisset Sacramentum non ab aliquibus, sed ab omnibus Ecclesiis debuisse Baptismati præmitti: quod eum factum non fuerit, certo est argumento, eum non fuisse habitum tamquam Sacramentum. Romana in Ecclesia omittebatur. In Ecclesia Africana usurpabatur, non alia tamen de caussa, ut scribit Augustinus Epist. 64. nisi quia baptizandorum corpora per observationem Quadragesimæ sordidata ad fontem absque offensione sensus tractari non possent, nisi illa die scilicet Cœna Dominica, lavarentur. Epistola vero ita idem Augustinus: „ sed ne lotio pedum ad ipsum Sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de consuetudine auferri non dubitarunt “ Concilium Illiberitanum Sacerdotibus, & Clericis prohibuit ne pedes eorum, qui baptizandi erant, lavarent: quomodo igitur potuit verum esse Sacramentum? Ambrosius in omnibus libris suis vocat Baptismum januam Sacramentorum, perque illum, inquit, initiari homines Deo, & veniam obtinere delictorum. Quo modo igitur lotionem pedum Baptismo alicubi præmitti solitam, verum haberi potuit Sacramentum? Eo igitur usus est nomine, quo denotaret, ritum illum Ecclesiasticum non esse cum Lotione pedum olim hospitalitatis caussa Peregrinis haberi solita confundendum.

49. S. Cypriani non est de ablutione pedum objectus liber, sed Arnoldi Abbatis Bonevallis, qui de illa Cæremonia in Monasteriis atque Antepaschali tempore usurpata loquens ideo vocat Sacramentum, ut innuat, eam Sacramentale quoddam esse ad delenda venialia idoneum; quemadmodum etiam patet ex serie sermonis, & Orationis D. Bernardi, qui ubi de re aliqua ad pietatem spectante disserebat, tanto affectu, & spiritu, tantoque unctionis & suavitatis permovebatur sensu, ut nec finem, nec modum eum laudandi inveniret. Veterum Chorus Patrum in Christi præcepto, & exemplo non novit nisi præceptum, & exemplum Christianæ humilitatis. Castigatam

vero

Digitized by Google

vero Conciliorum & Patrum doctrinam pietatis æstui in dicta hac severitate dogmatis aliena aliquando rapienti, quasi non ducat præferendam.

CAPUT VII.

De essentia Sacramentorum.

50. Communem juxta doctrinam Sacramenta omnia tribus perficiuntur videlicet, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi id quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non conficitur Sacramentum. Partes itaque Sacramenti essentiales, sunt res & actus sensibiles, verbaque a Ministro pronunciata, quæ similitudine, ac analogia quadam, dicuntur instar habere se materiæ atque formæ, quia sacra verba cælestem illam virtutem, atque efficaciam visibili signo communicant & Symbolo, juxta notissimum Augustini effatum Tractatu 80. in Joannem: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

51. Notæ satis sunt primorum querelæ Protestantium adversus hanc dicendi exprimendique rationem, quibus scilicet lamentabantur, Eugenium IV. e cujus ad Armenios decreto ea desumpta est, scholasticas meditationes in Dogmata vertisse: quumque Tridentinum, eorum opinione, unam sibi constituerit judicandi definiendique istis de rebus normam Eugenii decretum; factum propterea fuisse, scolasticorum ut ineptiæ a Peripatetica Philosophia haustæ, fuerint demum in Fidei capita conversæ, & consecratæ. Neque vero solis Protestantibus voces illæ materiæ formæque in essentia Sacramentorum explicanda displicuere, sed aliquibus etiam Orthodoxis tædium ac molestiam fecerunt. Recens quippe Auctor, jam citatus, Operis: *Examen des defauts Theologiques &c.* Tom. I. Sect. III. Cap. III. num. VII. p. 88. ita hoc de argumento scribebat: „ Les Theologiens en raisonnant „ à leur maniere sur la nature des Mysterès, s' „ en sont formè des idees de convenance avec plu„ sieurs e' tres naturels. Ne pouvant rendre intel„ ligibles les Dogmes au dessus de leur portèe, „ ils ont tachè de les rendre sensibles par „ des comparaisons, qui leurs ont fait transpor„ ter des termes pris des choses naturelles aux „ differens propriètès des Dogmes qu'ils ont „ traitè: ils ont fait entrer dans l' explication „ des Sacremens les expressions de *matiere &* „ de *Forme*, comme signifians leur essence, „ fondès sur les exemples des corps, dans les „ quels la Philosophie Pèripateticienne reconnois„ soit une *forme* distinguo èe de la matière. „ Ces termes destinès à expliquer l' Essence des „ Sacramens deviennent des Metaphores sujectes à plusieurs defauts, & la source ordinaire „ des disputes entre les Theologiens " Pluribus itaque obnoxiæ incommodis voces sunt materiæ ac formæ in essentia Sacramentorum explicanda, ortumque vanissimis quæstionibus dedere, si Auctori huic fidem aliquam præstamus. Quia tamen suæ meditationis levitatem ipsemet facile intellexit; vel exemplum saltem quod in vocibus adtulit materiæ ac formæ Sacramentorum, nullo modo esse ad rem: propterea, quæ in priori dixerat, in altera Operis sui parte sollicite prudenterque revocavit, aut emendavit saltem, Tomo. II. Sect. XI. Cap. IV. num. IV. p. 512. scribens: Les termes de l' Ecole sont nouveaux, j'en conviens, je dis plus, ils sont barbares, la plus part sont vuides de sens, rejettons ceux-ci; mais est-il dèfendu de rètenir ceux dont on a fixè l' idee? Les premiers sont nuisibles a la Theologie; il faut les en bannir; mais les autres sont en possession de la servir; ce qui est ètabli par coutume, sans etrè d' ailleurs trop bon peut cependant etrè regardè comme convenable, parceque la sens & les choses, qui ont marchè longues annèes ensemble, ont contractè, pour ainsi dire, une alliance: ainsi on ne doit point trouver a rèdire aux termes de *Matiere*, & de *Forme* en parlant des Sacremens. Les premiers scholastiques s'en sont servis, les conciles les ont canonisès dans leurs definitions: ils rèpondent à l' idèe que les Perès avoient attachèe aux expressions *de Rites*, *d' Element*, *de Symbole*, *de Prieres*. Nous conoissons leur valeur: on a levè l' equivoque, si jamais il y en a eu; & il n' y a plus a craindre qu' on en abuse, pour rendre des pièges à la simplicitè du Lecteur. Quibus nil apertum magis ac clarum scribi putem posse, quod tum priori adversetur judicio, tum nomina valeat illa perfecte cumulateque vindicare.

52. Hæc igitur in re scopuli duo æque vitandi sunt: alter illorum est, qui materiæ nomen ac formæ in explicanda Sacramentorum essentia novum esse dicunt, scholasticum, peripatetico ex pulvere desumptum, Patribus & antiquis synodis insuetatum, ideoque rejiciendum. Falluntur isti quippe vehementer: nam etiamsi non negaverimus ab infimi ordinis Scholasticis aliquos olim usurpatos fuisse terminos inutiles, barbaros, qui vix intelligerentur, quique in divinis ac supernaturalibus explanandis rebus aliquo potius fuere impedimento: non idem cogitandum tamen quisque intelligit de modis dicendi claris apertisque, notis, receptis, usitatis, & ad incorporearum imaginem rerum adumbrandam quam maxime idoneis. Posterioris hujus esse generis terminos materiam, & formam in essentia Sacramentorum explicanda, ultro fatentur illi ipsi, qui Scholasticam methodum nimio etiam rigore examinandam sibi sumpsere: propterea quod non modo sexcentis omnino Theologis, (ne de hodiernis prudentioribus Protestantibus dicam,) usurpentur; sed & a Conciliis poste-

posterioribus adhibiti consecratique sint, ac perfectissime cum notionibus cohæreant, quas de Sacramentorum partibus, eorumque de natura sibi Patres præformaverant. Quid enim aliud significare illi in animo habebant, dum ea sacros ritus, divinas cæremonias, consecrata symbola, dona precibus sanctificata, elementa benedictione sacri ministri perfecta, munera invocatione Sancti Spiritus cælesti virtute prædita & ornata appellabant, nisi id quod hodierno dicendi more nos Sacramenti materiam, ac formam appellamus? Alterum vero scopulum vitabimus, si non in angustum nimis cogitationes nostras coarctemus; nec ex quo Sacramenta omnia suam habent materiam atque formam confestim colligamus eamdem esse omnium in Sacramentis omnibus rationem, eodemque modo in cunctis materiam præsertim usurpari: quippe talis cogitandi ratio multas animum rapere in ambages posset. Ut exemplo utamur: aliis in Sacramentis materia adhibetur ac permanet in celebratione Sacramenti, nempe aquæ dum initiandus baptizatur, impositio manuum, quæ fit ab Episcopo, dum ordinandus consecratur. Ex opposito materia Sacramenti Eucharistiæ, juxta Orthodoxos, non est quæ in eo permanet, sed ea est, ex qua fit Sacramentum. Heinc noster Auctor Operis de Re Sacramentaria, quæstione I. de Eucharistia §. 3. scribit: si Sacramenti nomen ad scholæ rigorem exigas, & pro eo tantum sumas quod signi sensibilia rationem habet, manifestum est, solis speciebus Eucharisticis rationem Sacramenti proprie convenire. Sacramentum enim, qua tale, est essentialiter symbolum rei sacræ, & invisibilis gratiæ visibilis forma; atqui definitio hæc solis speciebus Eucharisticis convenit, itaque prima fronte, & aliquo in sensu, viderentur tales species Eucharisticum esse Sacramentum. Quod si e contrario scholæ scrupulos supergressus, non in solo sensibili signo te contineas, sed rem ipsam sub illo contentam attendas, certum est, Corpus & Sanguinem Christi, ex communi Patrum loquendi more, sensuque ipso fidelium, vere esse, & vocari Sacramentum, quatenus sub panis, & vini speciebus existunt. Nam quod est in Sacramento præcipuum, & principaliter gratiæ conferendæ virtutem importat, Sacramenti titulo jure fruitur. Porro esse rem Sacramenti præcipuam, & conferendæ gratiæ principalem habere virtutem, sine dubio convenit Corpori, & Sanguini Christi, ideoque Corpus & Sanguis Christi sub Eucharisticis speciebus, sunt Sacramentum Eucharistiæ. Hæc ille.

53. Quorsum vero ista? Sane ut intelligamus res adeo graves dialecticam ad ariditatem non esse exigendas: quum id Theologicæ majestatem doctrinæ, & sapientiæ non deceat. Deinde, ne ex quo compertum nobis fuerit omne Sacramentum materia constare ac forma, proinde omnium Sacramentorum essentiam nobis cognitam satis esse statim præsumamus. Longa nobis adhuc restat via: quippe non diversas modo unumquodque Sacramentum habet partes, sed diversa etiam ratione partes ejusmodi ad perficienda Sacramenta confluunt: quemadmodum explicata singulorum doctrina palam erit.

CAPUT VIII.

De Auctore Sacramentorum.

54. Quæstio heic non est, an Christus omnium primus instituerit illos ritus, quos appellamus Sacramenta; certum videtur quippe, eorum aliquos fuisse jam antea in Synagoga usurpatos, quales dicuntur ab aliquibus fuisse Baptismus respectu Presbyterorum, sive Gentilium, qui Judaicam in Religionem admittebantur, & impositio manuum in sacrorum institutione Ministrorum; ideoque heic non quæritur externo de ritu, & materialiter considerato; sed agitur de sacris illis Symbolis, quatenus fontes sunt justitiæ & sanctitatis.

Dubitari autem non debet, omnia Sacramenta fuisse a Christo immediate instituta: nam, ut inquiebat Scriptor Operis de Sacramentis sub nomine Ambrosii Libro IV. Cap. 8. *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cælo ista Sacramenta venerunt.* Divina sane requirebatur vis, virtus, ac potestas sensibiles ut actus erigerentur adeo ac nobilitarentur, ut gratiam conferre possent atque sanctitatem, nec Apostoli umquam se tamquam Mysteriorum Dei conditores jactarunt, sed ut tantummodo eorum Ministros ac dispensatores.

55. Cum hac tamen immediate facta a Christo Mysteriorum institutione pugnare videtur diversitas, qua Sacramenta aliqua celebrantur in Oriente, & Occidente, tum & ea, qua pro eodem tempore diversis in Ecclesiis, vel diverso tempore eadem in Ecclesia celebrata sunt: Confirmatio præsertim, Pœnitentia, sacraque Ordinatio: cui difficultati ut occurrat Carolus Merlinus in Tractatu Historico & Dogmatico de formis Sacramentorum, ad hypothesim Harduini se se recipit, duplicem ponentis a Christo institutam fuisse sacrarum Ordinationum formam, alteram ad Græcæ & Orientalis, alteram ad Latinæ Ecclesiæ usum: illam in solis precibus, nostram in formulam dum instrumenta porriguntur constitutam.

56. Quam multa opponantur tamen huic hypothesi, dici satis non potest. Primum enim non de sola Ordinatione quæstio esse debet, sed & de aliis Sacramentis; neque de formis modo, sed & earum de materia, sive actionibus, quibus celebrantur. Quam parum verisimile est Divum Petrum, ut exemplo utamur, alia ratione quædam sacramenta Antiochiæ celebrasse, alia vero Romæ. Non ignoramus Apostolica in Ecclesia præter generales Traditiones, aliquas fuisse par-

Digitized by Google

& particulares, diversarumque Ecclesiarum Orientis, & Occidentis proprias, quemadmodum ea fuit de die Paschæ celebrandæ. Verum, ut egregii omnes Theologi ostendunt, particulares illæ, Apostolicæ quamvis Traditiones, brevissimo tempore erant permansuræ, cunctæque Ecclesiæ ad universales Traditiones erant vel statim, vel demum revocandæ: quum ex opposito diversitas illa Mysteriorum aliquot celebrandorum, florentis jam Ecclesiæ tempore conspecta sit, hodieque conspiciatur. Nullum sane Harduinianæ hypotheseos fundamentum reperitur, quum heic minus valere possit Arcani disciplina. Optime siquidem monebat Christophorus Matthæus Pfaffius, Dissertatione posteriori de Præjudiciis theologicis, *aliquando discessum fuisse ab Arcani disciplina: id quod nonnullis non observatum tricas peperit ac de dubia, quibuscum in cassum luctati sunt; unde Tentzelii scripta adversus Schelstratium, quem nullo modo si in universum, loquimur, oppugnat.* Ea certe Arcani disciplina Catechumenos tantummodo respiciebat & Infideles: quæque pro disciplina illa olim occultabantur, procedente tempore scripta, vulgataque ac manifesta sunt: quumque in eadem Ecclesia Latina alius olim fuerit, alius hodie vel a septingentis saltem annis ordo fuerit Mysteriorum aliquot celebrandorum, sequitur in cassum poni duplices illas Ordinationum sacrarum formas fuisse a Christo institutas.

57. Quo igitur diversitas illa cum institutione Mysteriorum immediate a Christo facta concilietur confugiendum est, ait Contensonus. Noster Dissertatione I. de *Sacramentis* in universum spectatis Capite I. ad illorum tum veterum, tum etiam præstantissimorum inter Recentiores Theologorum sententiam, qui dicunt, Christum Dominum materiam, & formam aliquot Sacramentorum veluti generice, sed non specifice determinasse, idest, sancivit Christus, ut loco materiæ adhiberetur signum aliquod sensibile ad gratiam sacramentalem significandam; & loco formæ verba illa usurparentur, quæ effectum Sacramenti opportune explicarent: quibus, autem rebus, quibusque singulatim verbis utendum foret, non præfinivit; sed Ecclesiæ suæ a *Spiritu Sancto* regendæ judicia ac *prudentiæ* permisit. Rursus Dissertatione VI. cap. 1. de materia Confirmationis disserens, inquit idem Auctor: Christus materias, formasque *Sacramentorum* in genere instituit, idest, res illas adhiberi, verbaque proferri præcepit, quibus *Sacramentorum* natura vel effectus significarentur; eas tamen in speciali vel in individuo minime præscripsit; sed earum designandarum facultatem Ecclesiæ Catholicæ divinitus inspiratæ, & continenti Dei protectione gubernatæ fecit. Unde pro diversitate temporum, & Ecclesiarum variæ materialiter res adhibitæ esse leguntur, in eadem tamen significationem conspirantes. Nec tamen uniuscujusque Ministri, vel peculiaris Ecclesiæ arbitrio permissum est materias, & formas ab Ecclesia Catholica acceptas immutare; quia Christus eas tantum voluit esse materias formasque Sacramentorum, quæ essent *ad significandum idonea, & ab Ecclesia universali probata.* Est hæc, inquam, fuitque semper, illustriorum sententia Theologorum, nec alio pacto revocare ad unitatem valeas diversas materias, & formas, quibus vel diverso tempore eadem Ecclesia, vel diversæ Ecclesiæ eodem tempore sacramenta quædam administrarunt.

58. Id utique præconceptum videtur habuisse Beatus Thomas innumeris in locis. In quartum sententiarum Distinctione VI. Quæstione I. Articulo 2. scripserat: *In Baptismo & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta.* Tertia autem parte Quæstione XXXVIII. Articulo 2. quum sibi objecisset, videri Hæreticos non posse administrare sacramenta, propterea quod non continuantur passioni Christi, ex qua sacramenta habent efficaciam; non continuantur, inquam, neque per propriam fidem, quum sint infideles, neque per fidem Ecclesiæ, a qua separati sunt, respondet: *quod per fidem Ecclesiæ continuantur passioni Christi, quia quamvis in ea non sint secundum se, sunt tamen in ea secundum formam Ecclesiæ, quam servant:* Huc pertinet Magistri sententiarum definitio: Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato: quam Definitionem in IV. sentent. Dist. XXIV. laudat & tuetur *S.* Thomas, ut plurima similia heic omittam suis locis referenda.

59. Joannes tamen Morinus supervacaneam quodammodo dicere videtur Doctrinam allegatam, in Præfatione ad Commentarium suum de sacris Ecclesiæ Ordinationibus hæc scribens: Ad conciliandas cum Latinis Græcorum Ordinationes, non opus est distinguere; ut recentiores Theologi subtilissime faciunt, sacramenta, in ea, quorum materias, & formas Christus in specie, & in hypothesi, & in ea, quorum materias, & formas in genere tantum & in thesi instituit, & designavit; singularem vero harum rerum designationem, & applicationem Ecclesiæ commisit: seu in ea in quibus quod formalis rationem tenet Christus in particulari, & nominatim edidit & expressit; quod vero materialis & signi, in genere tantum imperavit, illius vero particularem designationem, & demonstrationem Ecclesiæ prudenti œconomiæ instituendam reliquit, & commendavit. Nam si quis omnium populorum, & omnium sæculorum Ordinationes inter se conferat, & componat, statim animadvertet, ab omnibus, & omni tempore eos omnes observatos esse ritus, quorum & Sacra Scriptura, & antiqui recentioresque Patres meminerunt. Quid igitur in solis istis ritibus Apostolicis, perpetuis, & inviolatis, materia & formæ istius Sacramenti, ejus-

ti, ejusque partium commode constituerentur; ceteri vero ratione quorum Ecclesiæ variarum regionum a se invicem differunt, atque etiam una & eadem Ecclesia, vario tempore a seipsa, sanctis & prudentibus variarum Ecclesiarum institutionibus tribuentur; non autem Sacramenti substantiæ, & necessitati? Quocirca mihi serio in hanc meditationem incumbenti, nulla mihi videtur amplius istius distinctionis hac de caussa usurpandæ & excolendæ urgens occasio. Quod enim Latinam Ecclesiam cum Græca, & Orientali in hoc Sacramento committere videbatur, cujus conciliandæ caussa inventa est, somnium esse, cui rerum antiquarum incuria, & ignoratio caussam dedit, oculata experientia demonstratur. Hæc ille.

60. Verum, candide ut fatear, non omnia videntur hæc ad veritatem exacta. Eo enim hæc omnia collineabant, ut ostensurum se polliceretur Morinus, haud aliam esse ac semper fuisse sacrarum Ordinationum essentialem materiam, quam manuum impositionem. Postremum hoc cordatus quisque concesserit. Num eamdem tamen invenisset Morinus formæ unitatem, hoc est, in precibus, dum imponebantur manus, & consecrabantur ordinandi olim recitatis? Minime sane gentium. Quamvis enim cunctæ in eumdem fore collinearent sensum, diversæ tamen erant, ut ex ipso quem edidit Commentario patet, cujus in tertia parte varios sacrarum Ordinationum Ordines vulgavit, quorum formulæ quum eædem materialiter non sint, propterea non a Christo, sed a Sanctis fuere Patribus, & ab Ecclesia, singulari & atoma in specie determinatæ.

61. Magis adhuc decipitur hic Auctor, dum solarum Ordinationum apud Græcos & Latinos conciliandarum caussa inductam subdit distinctionem inter sacramenta a Salvatore Nostro in genere tantum, & ea, quæ fuerunt in specie etiam atoma ab ipso determinata. Quid dicemus de Sacramento Confirmationis, cujus caussa tot præstantissimi Theologi, hodierna præsertim die, non opportunam modo, sed necessariam prorsus existimant distinctionem illam, quemadmodum fuse ostendit Parisiensis Theologus Gabriel Mussonus Tomo II. Lectionum Theologicarum de Sacramentis? Quod ad Sacramentum Pœnitentiæ tandem adtinet, ad celebrem appello ipsius Morini Librum, cui titulum fecerat: Commentarius Historicus de Disciplina in administratione Sacramenti Pœnitentiæ tredecim primis sæculis in Ecclesia Occidentali, & hucusque in Orientali observata, in decem Libros distinctus, quibus quidquid a Sanctis Patribus in Legibus & praxi istius Disciplinæ *constitutum, derogatum, ampliatum, abrogatum, & quovis modo relaxatum, aut novatum est*: quando, quave occasione, aut causa id factum, luculenter enarratur. His inserta sunt quæ Judæi antiqui & recentiores tradunt de Pœnitentia, Confessione peccatorum, Excommunicatione, Absolutione, criminum pœnis, aliisque ad Pœnitentiam apud eos spectantibus. Ad operis coronidem complures Libelli pœnitentiales, & Confessionis peccatorum edendæ, Pœnitentiæque de iis agendæ Ordines Græci, Latini, Hebræi, ex antiquissimis variorum sæculorum Codicibus eruti, nunc primum in lucem prodeunt: Græci & Hebræi latinitate donati, & illustrati. Titulus, inquam is est, Moriniani Operis, editionis, qua utor, Bruxellis, MDCLXXXV. Neve quis in disciplina modo Sacramenti hujus materialiter, ut me quoquomodo exprimam, variatum fuisse, sibi fortasse persuadeat; sed & varias fuisse formas ejusdem singulari in specie, ab Ecclesia determinatas ex Morino ipso intelligat, consideret obsecro lemmata Capitum aliquot Libri VIII. allegati Commentarii. Caput VIII. „ Antiquitus ordinariam, & vulgatam Absolutionis formulam fuisse deprecatoriam: post centum supra mille annos aliquid indicativum formulæ deprecativæ addi cœptum: tandem formula indicativa in Occidente sola obtinuit. Antiquissimos Patres formula deprecatoria usos probatur. Manus impositionem Orationi semper fuisse conjunctam, ex Scriptura, Patribusque demonstratur. Caput IX. Idem demonstratur ex Patribus, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque Doctoribus ad annos aliquot supra millesimum, & ducentesimum. Media quædam formulæ indicativum modum deprecativo conjungens, quando usurpari cœpit, & deficit. Caput X. Antiqui rituales Libri editi formulas omnes absolutionis, tam publicas, quam privatas, tam de sanis quam de morientibus, nobis exhibent deprecatorias. Caput XI. Idem faciunt rituales Libri manuscripti, sacramentaria, & Pœnitentialia, antiquissima, & recentiora ad annum millesimum & sexcentesimum &c. Caput XII. Græci hactenus in absolutione a peccato nulla alia formula usi sunt quam deprecativa. Nullam aliam exhibent antiqua, & recentiora eorum Euchologia, & Pœnitentialia. Idem eorum Doctores de aliis Sacramentis asserunt &c. „ Ne similia alia lemmata heic exscribam, quæ materialem Pœnitentialis formæ mutationem ex Morino ipso evincunt confirmantque. Viderit ipse igitur, an scholasticorum subtilitati inventum debeatur distinctionis inter sacramenta a Christo in specie atoma determinata, & sacramenta in genere tantum instituta: quæ immo doctrina veterum Scholasticorum, & quidem majorum gentium, fuerat, pro illius ætatis dicendi more constituentium alia fuisse a Christo instituta immediate sacramenta, alia mediantibus Apostolis & Catholica Ecclesia. Hoc ipsum nisi sane summis illis ac præstantioribus de scholasticis cogitans, Græcos sentire scripsit in Responsione ad Theologos Vittembergenses, Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus, Baptismum scilicet, atque Eucharistiam immediate a Christo; ca-

Digitized by Google

sto; cætera vero sacramenta ab Apostolis, & ab Ecclesia, Christo præcipiente, suisse inducta. Quod quidem discrimen esse unam ex caussis arbitramur, cur Catholici Baptismum & Eucharistiam præcipua ac præstantiora dixerint esse sacramenta, hæcque declaratio adeo Protestantibus accepta semper fuit, ut propterea Theologi Augustanæ Confessionis Helmstadii coacti, celebri in consultatione die 11. Aprilis, anni MDCCVII. subscripta, se minime alienos ab aliis Sacramentis admittendis professi sint: proindeque tanti videretur momenti distinctio hæc, ut perviam hac in re conciliationi præberet viam: abest adeo, ut quemadmodum Morinus cogitabat, scholasticorum Commentum ipsa haberi mereatur. Pœne dixerim doctum illum virum Theologorum testimonia congessisse magis, quam attigisse: quare judicium valeat quod illo de scriptore reperitur in Lexico Universali Theologico nuper a Richardo, aliisque instituti nostri sociis collecto nempe legimus: „ Le Père Morin a ètè le „ plus docte Ecrivain que les Pères de l'Oratoire de France aient eu dans leur Congregation: mais il n'a pas ètè le plus docte Ecrivain du dix-sèptième siecle, comme l'avance M. Dupin, si nous en croyons un cèlebre Critique. Richard-Simon, qui est ce Critique dont nous parlons, prèfere le Pere Petau au Pere Morin, & pour l'ètendue, & pour l'utilitè de l'erudition. Le mème Censeur rèmarque aussi-bien que M. Dupin, que le Pere Morin n'est ni exact dans sa mèthode, ni sùr dans ses principes, ni juste dans ses inductions; & c'est la raison pour la quelle il a intitulè la plùs part de ses livres, *Exercitationes*, pour avoir la libertè de compiler tout ce qui il trouveroit sur une matiere dans divers Auteurs, en sorte qu'on trouve dans ses Ouvrages le pour & le contre sans qu'il ètabilisse aucuns principes fixes & certains. On doit donc le lire avec beaucoup de prècaution, &c."

62. Quandoquidem igitur de Sacramento Pœnitentiæ dicebamus, egregiam habemus in eo imaginem & formam, & rationem, unde sententiam, de qua agimus explicemus. Salvator noster apud Joannem XX. Apostolis, & in Apostolorum persona, eorum successoribus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Instituit tunc itaque Christus per se immediate Sacramentum Pœnitentiæ, Apostolis largiens, eorumque successoribus remittendorum criminum potestatem: neque determinavit tamen quibusnam verbis, aut precibus, aut formulis, in potestate illa exercenda uterentur, an scilicet deprecativis, an indicativis, an imperativis, aliisque: sed Apostolis, eorumque reliquit successoribus facultatem determinandi verba, vel preces, vel formas, quibus impostrum peccata relaxarent. Sacerdos igitur absolvens, est Minister Christi, quia exercet potestatem a Christo immediate concessam, & Sacramentum celebrat a Christo immediate institutum; sed quia id præstat modis ac formis ab Apostolis, vel ab Ecclesia singulari in specie determinatis, dicitur propterea Minister etiam Ecclesiæ; dicitur Sacramenta celebrare in persona Ecclesiæ, agere in virtute & nomine Ecclesiæ, agere in ritu & forma Ecclesiæ, exprimere intentionem Ecclesiæ; quæ magis magisque confirmant, omnia quidem sacramenta fuisse a Christo immediate instituta; sed non omnium materias, & formas singulari in specie ipsum determinasse, & aliquorum partes ita reliquisse ab Apostolis postea, & ab Ecclesia determinandas.

63. Objic. primo. Omnia quæ sunt, in specie atoma & singulari tandem & revera sunt; illud enim quod in genere existit, tantummodo per conceptum mentis existit. Si Christus itaque immediate sacramenta omnia instituit, ea singulari in specie instituere omnia debuit, nec Apostolis reliquit determinanda: quod fieri quidem potuisse quodammodo concedere videtur, sed factum fuisse negat omnino Sanctus Augustinus Tractatu V. in Joannem.

64. R. Optime conciliari Salvatorem nostrum omnia instituisse immediate Sacramenta, & tamen eorum aliquot materias atque formas reliquisse ab Apostolis & ab Ecclesia singulari in specie determinandas. Dum enim præstantiores Theologi id ponunt ita explicant: nempe Dominum Jesum quemadmodum narrat Lucas Actorum I. post resurrectionem suam per dies quadraginta cum discipulis conversatum fuis, veritates fidei multis argumentis confirmasse, & loquutum fuisse de Regno Dei, idest, explicasse Discipulis divinarum sensum scripturarum, Ecclesiasticam instituisse Hierarchiam, & Sacramenta reliqua constituisse. Ut enim inquiebat Sanctus Leo Pontifex, sermone I. de Ascensione Domini: *Hi dies, qui inter Ascensionem divinam, Resurrectionemque fluxerunt, otioso non transiere decursu; sed magna in eis confirmata Sacramenta, magna sunt instituta Mysteria.* Jussit itaque tunc Dominus Apostolis, ut sanctitati fidelium consulturi specialia ipsis gratiarum dona traderent, ideoque ut imposterum nonnulla signa constituerent adumbrantia, & significantia singularem illam gratiam, pro qua etiam specialiter orarent: spoponditque se tunc gratiam illam mortalibus, qui ejus capaces forent, cartissime concessurum. Jam enim diximus non heic agi Sacramentalibus de symbolis materialiter consideratis, quorum aliqua ante Christi adventum in Synagoga usurpata fortasse fuere; sed de eisdem agi juxta quod vim & virtutem instrumentalem habent gratiæ conferendæ: nemoque non intelligit, aliud esse constituere, ac determinare signum aliquod exterius, ac spiritualis rei symbolum:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

bolum: aliud autem tali virtutem signo ac Symbolo vimque annectere, qua possit esse grave instrumentum: quod præcipuum est in ratione Sacramenti. Quum vero aliquam ille rem proprie instituere dicatur, qui tali rei vim & virtutem, & robur, & actum tribuit suum: quemadmodum exemplo Legum patet, quæ non jurisperitorum, vel Ministrorum Leges sunt, qui eas condunt ac scribunt, sed Principum ac Dominantium Leges revera dicuntur & sunt; quorum voluntate eduntur, vulganturque, & quorum imperio & auctoritate valent atque majestate: propterea quum solus Christus infinita virtute sua sensibilibus Symbolis ac signis instrumentalem vim tribuere potuerit infundendi humanis in cordibus sanctitatem & gratiam; heinc solus ipse dici potest, ac debet, immo revera fuit immediatus Sacramentorum institutor, etiamsi materias aliquorum & formas singulari in specie reliquerit ab Ecclesia determinandas.

65. Neque vero huc facit quæstio, quam versabat Augustinus. Agebatur in illa siquidem de Baptismo a Salvatore atoma in specie constituto: agebatur de Sacramento non in specie tantum, sed & in genere instituendo: agebatur de potestate, quam Theologi appellant Excellentiæ, propria sanctissimæ humanitatis Christi, ac in eo constituta, ut Christus eam nobis gratiam promeruerit, quam Sacramenta conferunt. Potuisse igitur Dominum, si voluisset, suo dare hanc potestatem servo, inquiebat citato loco Sanctus Pater, *sed hoc Christus noluit*, subdebat *ideo ut in illo spes esset Baptizatorum a quo se baptizatos agnoscerent: noluit servum spem ponere in servo*. Numquid simile timeri potest in signis ac Symbolis pro Christi voluntate ac imperio ab Apostolis, vel ab Ecclesia, tantummodo singulari in specie constitutis, atque in Christi virtute ac nomine administratis? Nil profecto minus.

66. Obj. secundo. Apostoli non aliter institutores Sacramentorum dici possunt quam Ecclesiæ Fundatores; siquidem tales appellantur quatenus Fidem atque Sacramenta, in quibus Ecclesia a Christo fundata est, prædicatione sua varias in Gentes transtulerunt, ut ibi ea pro fundamentis collocaret. Poni itaque debent Sacramenta omnia prorsus instituta ante quamcumque prædicationem Apostolorum. Promissa quidem ipsis fuit præsentia Sancti Spiritus, concessaque a Domino potestas inducendi ritus, atque cæremonias, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinerent, quemadmodum intelligimus ex Ep. ad Corinthios XI. in qua, postquam Apostolus scripsisset: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens &c.*; nempe, luculenter exposita Eucharistiæ institutione, & Domini præcepto: *hoc facite in meam commemorationem* e vestigio subdit: *cetera cum venero disponam*. Christus itaque quidquid ad Sacramentorum essentiam pertinebat, Apostolos docuerat; ipsis vero, eorumque successoribus, potestatem solum concessit ea tantummodo adjiciendi, quæ pro tempore & loco ad verendam magis proficuamque Sacramentorum administrationem pertinere poterant, quemadmodum expressa est Tridentina doctrina Sessione XXI. Cap. 2. hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, sive ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum ac temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.

67. Resp. Ecclesiam quidem fundatam fuisse in fide, & Sacramentis, ideoque fidem & Sacramenta omnia ante quamcumque Apostolorum prædicationem fuisse a Christo instituta. Numquid inde tamen sequitur, omnium Sacramentorum materias ac formas a Salvatore fuisse singulari in specie determinatas? Minime sane gentium: immo, quemadmodum jam diximus, sicut etiamsi cuncta fidei dogmata uno eodemque fuerint tempore divinitus Ecclesiæ commissa, sanctusque Spiritus ea docuerit Apostolos, non omnia tamen eodem tempore ac modo, nec eadem fuere perspicuitate statim fidelibus exposita; sed alia citius, alia serius explanata: multaque generali in Articulo comprehensa plures fuere demum ab Ecclesia in Articulos clarius distincta: ita quæ prius fuerant Sacramenta aliqua a Christo immediate, sed in genere solum instituta; fuere postea vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia, quod ad materiales spectabat eorum partes, & ad specialia signa, & Symbola, pro Christi ipsius voluntate ac præcepto atoma in specie determinata: & quemadmodum facta ab Apostolis, & ab Ecclesia articulorum aliquot distinctio, & latior explicatio, minus efficit quin fides nostra immediate a Christi institutione & verbis tota, & essentialiter processerit: ita determinatio materiæ, ac formæ Sacramentorum aliquot ab Apostolis facta aut ab Ecclesia, nullo modo officit divinæ ipsorum ac immediatæ institutioni.

68. Equidem definivit Tridentinum, posse Ecclesiam ritus Sacramentorum mutare, *salva tamen eorum substantia*: idque recte prorsus definivit. Quare obsecro? quia agebatur tunc de Sacramentis Baptismi, atque Eucharistiæ a Domino non in genere tantum, sed atoma etiam in specie institutis: proindeque rectissime dicta sunt ea quoque Pauli verba de institutione Eucharistiæ, quam a Domino acceperat. Necessaria porro illa erat Tridentinorum Patrum definitio contra Novatores, contendentes, deficiente aqua, administrari Baptismum posse alium per liquorem, qui haberet actionem abluendi; ac deficientibus pane, ac vino, celebrari adhuc posse Eucha-

charistiam in iis, quæ alimenti, ac potus habere valent rationem. Id utique erat immutare substantiam Sacramenti a Christo jam in specie singularissima determinatam. Verum alia ad Sacramenta, quæ hujusmodi non sunt, illa definitio pertingere non potest.

69. Singulares autem illæ aliquibus in Sacramentis materialium determinationes partium, factæ numquam fuerunt ab Ecclesia, nisi Sancto Spiritu afflante; quem Christus hoc ex mundo secundum præsentiam sui corporalem recessurus, Ecclesiæ Rectorem Apostolis promiserat, dum Joannis XIV. dixerat: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis*. Porro, ut clare liquet, Christus tunc solos Apostolos non respiciebat, qui profecto mansuri non erant in æternum; sed in eorum persona futuros æque respiciebat successores; ideoque Apostolico in Symbolo credere profitemur in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, adeo ut sensus etiam sit, credere nos in Spiritum Sanctum regentem, gubernantemque ac sanctificantem Catholicam Ecclesiam: quod respectu etiam Sacramentorum valere confirmat Augustinus Epistola LIV..

70. Admirationem sane movent scholastici nonnulli, qui tertio quoque verbo urgent ea: *salva tamen eorum substantia*; sed iidem tertio quoque verbo substantiam Sacramentorum vel explicaturi, vel vindicaturi, deque ipsorum distinctione, unitate, vel diversitate, dicturi, confugiunt ad solam Christi voluntatem, nobis a doctrina Ecclesiæ, vel ab Ecclesiæ praxi manifestatam. Agitur ne de Baptismo puerorum, qui credere non valent? de absoluta ipsius necessitate, non vero de necessitate absoluta Eucharistiæ, quam eadem Christus phrasi videtur prædicasse? de administratione Baptismi, quæ in casu necessitatis extenditur ad Laicos, nec in necessitatis casu ad eos extensa administratione Sacramenti Pœnitentiæ? de eodem Sacramento a sacris etiam Ministris modo valide, modo non valide administrato? de aliis denique innumeris quæ passim occurrunt? Non alio confugitur, quam ad auctoritatem, potestatem, jus & praxim Ecclesiæ, ad liberam Christi voluntatem per Ecclesiæ docentis ac præsentis medium manifestatam. Cur itaque non concesserit Sponsæ suæ Dominus potestatem determinandi signa & symbola nonnulla invisibiles gratias adumbrantia, quorum usu cum precibus ac formulis supernales ejusmodi effectus significantibus, pro Salvatoris ipsius promissione, decreto, voluntate, justificarentur homines, ac magis magisque sanctificarentur? sed nos nihil agimus, quod hujusce Tractatus vitium est: quia hoc loco, absque ulla Historia Sacramentorum, de partibus eorum essentialibus ex ratiocinio veluti solo disputamus. De cujuscumque singillatim Sacramenti materia, atque forma, Ministro, subjecto, necessitate, fine ac effectu differentes, palam magis erit, *salva etiam Sacramentorum substantia*, varias eorum aliquot materias, atque formas Ecclesiam singulari & atoma in specie determinasse.

CAPUT IX.

De efficacia Sacramentorum Novæ Legis.

71. Heterodoxi communiter olim contendebant Novæ etiam sacramenta Legis non esse nisi signa nostram fidem in promissiones Dei excitantia, & nisi justitiæ per fidem jam acceptæ pignora, & sigilla, numquam vero efficacia media, & practica instrumenta sanctitatis atque gratiæ. Si ea tamen legimus quæ in scripturis prostant, ubi de Sacramentis verba faciunt, quæque nos suis exhibemus locis, sique respicimus Sanctorum Patrum testimonia de virtute & efficacia ejusmodi Mysteriorum, dubitare nullo modo possumus ea justitiæ nostræ caussas esse instrumentales.

72. Quid enim tradunt Patres? Tradunt vim justificandi sanctificandique signis ejusmodi a Spiritu Sancto indictam esse: eadem caussas esse sanctitatis atque gratiæ: sine spiritu & symbolis illis obtineri salutem vix posse: falsam fore Baptismatis formam si lavacrum illud crimina revera non remitteret: sacra hæc symbola vim sanctificandi non habere ex merito Conferentis, vel ea suscipientis, sed ex Christi voluntate, institutione, promissione: eorum Patres efficientiam conferunt quodam modo cum causalitate rerum naturalium, in eo, ut quemadmodum posito igne, nisi adsit obex, sequitur statim calor; ita Sacramentis receptis, nisi ponatur obex gratia sequatur. Sacramentalia conferunt verba cum verbis Dei: *fiat lux*, quibus confestim facta est lux: cum verbis Josue, quibus præcepit soli ne moveretur contra Gabaon: cum verbis Eliæ, quibus imperavit igni ut descenderet de cælo: cum verbis Christi quatriduano clamantis Lazaro: *veni foras*, *dicentisque viduæ filio: adolescens tibi dico surge*, & ipsius cum verbis ventos tempestatesque cohibentibus: docent denique stupendam esse, quæque mente concipi vix valeat, Sacramentorum in anima operationem. Hæc & simillima tradunt Patres innumeris in testimoniis apud vulgatissimos scriptores obviis ac perviis: quæ tamen maxima laborarent falsitate, si sacramenta fidem modo nostram excitarent, vel acceptam jam fidei ope justitiam & sanctitatem solum obligarent: proindeque efficacissima haberi debent gratiæ instrumenta.

73. Obj. primo; si sacramenta ex seipsis justificarent, sequeretur, omne nostrorum criminum remedium non fuisse in Christi passione ac morte perfe-

perfectum, nec ullo modo necessariam esse Fidem, spem, ac Pœnitentiam; sed utrumque sacris Litteris opponitur; itaque, &c.

Resp. Ejusmodi difficultates ortas esse ex non intellecto systemate Catholicorum. Ponunt enim nostri ad hominum justificationem plures concurrere caussas & dispositiones etiam plures. Caussam finalem justificationis dicunt gloriam Dei, & Christi, & vitam hominis æternam. Caussam ipsius efficientem venerantur Deum, qui pro sua misericordia hominem justificat. Meritoriam habent caussam Unigenitum Dei Filium, qui justitiam nobis promeruit, & pro peccatis nostris satisfecit. Caussas instrumentales vocant sacramenta, & formalem sanctitatis causam, justitiam habent ipsam, & gratiam nobis inhærentem & in anima receptam.

74. Fatentur jam vero, semperque fassi sunt Orthodoxi, potentissimum perfectum fuisse, per Christi passionem ac mortem, peccatorum omnium remedium. Addunt tamen, nisi tale remedium sumatur, & applicetur, non prodesse; eam vero applicationem non in una re consistere; sed fidem primum homini inspirari, qua credit vera esse divinitus revelata & promissa: atque illud in primis, a Deo justificari impium, per gratiam ejus, & per adoptionem, quæ est in Christo Jesu: deinde vero per fidem acceptam incipere hominem etiam ipsum sibi admovere medicinam in Christi mortem præparatam dolendo nempe de peccatis, orando veniam, Deum invocando per Christum, commutando vitam in melius, & præscripta a Deo media suscipiendo.

75. Ut igitur egregie explicat Estius Distinctione I. in Librum IV. Sententiarum: prima explicatio, qua fides donatur, non fit per fidem, sed singulari operatione Spiritus Sancti hominem prævenientis, & ab infidelitate convertentis: omnia autem subsequens applicatio fit quidem per fidem; sed non ita tamen quasi sola fides sufficiat ad operandum, &, ut Adversarii loquuntur, ad apprehendendam justitiam; sed & cetera ad hunc finem instituta media adhiberi necesse est, inter quæ sunt sacramenta. Sicut itaque mors Christi nobis applicatur per fidem, & tamen ejus participes non efficimur, nisi in eadem fide invocemus, quemadmodum ad Romanos X. docet Apostolus; ita nec plene participes ejus efficimur per fidem, & invocationem, nisi & Sacramentis a Deo præscriptis utamur. Habent autem hæc singula partes suas, atque ordinem in nostra justificatione. Per fidem enim medicina cognoscitur, per spem desideratur, per invocationem ad eam appropinquatur, per pœnitentiam a morbo receditur, per vitæ mutationem acceditur ad sanitatem; denique per Sacramentum, veluti per poculum quoddam efficax & salutare, medicina hauritur, morbus pellitur, & sanitas restituitur. Quæcumque igitur Sacramentum præcedunt, præparationes, sive dispositiones quædam sunt ad justitiæ effectum ex Christi morte consequendum; sed non continuo justum reddunt; & quemadmodum caussæ efficiens & finalis non excludunt caussam meritoriam nostræ justificationis, ita caussa meritoria non excludit formalem, & instrumentales caussas nempe sacramenta.

76. Obj. secundo. Divus Augustinus Lib. LV. de Trinitate Cap. 26. inquiebat: *Neque enim aliquis Discipulorum Christi dedit Spiritum Sanctum*. Tractatu autem LXXX. in Joannem scripserat: *Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat; nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio ut mundare possit, consecratur & Baptismus*. Tota igitur Sacramenti virtus profluit a Verbo prædicato, quo fides excitatur suscipientis Sacramentum, sine qua Sacramenti effectus nullus est.

77. Resp. Augustini mentem nisi ex scopo Orationis ejus erui non posse. Agebat tunc Sanctus Pater de processione Sancti Spiritus, quem a Patre Filioque esse ostendebat, propterea quod ab utroque dari ac mitti in Scripturis diceretur. Respondebant Hæretici, dici æque sacris in Litteris Apostolos dedisse Spiritum Sanctum, neque propterea sequi, eum ab Apostolis procedere. Quod igitur ad hæc Augustinus? Ita sane: *Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum Sanctum: orabant quippe, ut veniret super eos, quibus manus imponebant*. Ex his vero quidnam sequitur? Non aliud sane sequitur, nisi Apostolos Sanctum non dedisse Spiritum ea ratione, qua illum dant Pater atque Filius; nec illum propria eos dedisse, sed concessa solum potestate: non per modum principii, sed per modum Ministri & Instrumenti. Si enim juxta Augustinum, orantibus ac manus imponentibus Apostolis, super Baptizandos Sanctus descendebat Spiritus, itaque eorum oratio cum impositione manuum conjuncta, erat instrumentalis caussa gratiæ ac doni Sancti Spiritus in eos, quibus imponebantur Apostolorum manus illabentis.

78. Quod ad alterum spectat Augustini testimonium plurimi censent, illud Adversariis non favere: siquidem dum inquit Sanctus Pater, aquam Baptismatis habere virtutem mundandi cor, non quia verba dicuntur, sed quia creduntur, significare ipsum voluisse, Baptismatis, ceterorumque verba Sacramentorum, id efficere quod significant; non quia humana verba sunt; sed quia divinæ institutionis, divinæque virtutis, & quia Evangelica verba, quibus consecratur Baptismus, illa sunt, quibus symbolum constat: verba sunt, quæ continent fidei doctrinam, illaque fidei Mysteria, quæ Christiani corde credunt, & ore confitentur. Et fine ita prosequitur Sanctus Doctor: *nam in ipso verbo aliud est transiens sonus, aliud est virtus manens*; scilicet, ut scholæ terminis utamur, aliud est verbum physice, & materialiter consideratum, aliud

aliud vero idem Verbum divina institutum voluntate, divina virtute prӕditum, divina promissione roboratum. Hoc autem de Verbo ita accepto addit Augustinus: *Hoc est verbum fidei, quod prӕdicamus; quo sine dubio, ut mundare possit, consecratur & Baptismus. Mundatio igitur nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo*. Sane, quamvis Patres omnes copiosissimis atque expressissimis testimoniis efficaciam doceant Sacramentorum, nullus cum Augustino tamen videtur conferendus, quippe qui adversus Donatistas integra scripsit volumina, quibus evinceret, Baptismi effectum neque pendere ex fide & merito dantis, neque ex fide ac merito accipientis, sed ex sola invocatione Sanctissimӕ Trinitatis facta in Baptismo Evangelicis verbis, quӕ Christianӕ fidei objectum continerent.

79. Respondent alii, Augustinum tunc de Baptismo generatim & in universum nequaquam locutum fuisse, sed de Baptismo adultis tantummodo collato, atque idcirco mundandi vim tunc Verbo tribuere, non quia dicitur, sed quia creditur; quia ut mundetur, & justificetur adultus satis profecto non est, si invocationis Sanctissimӕ Trinitatis verba nude ac simpliciter a Ministro proferantur, nisi etiam credantur ab initiando; prima enim in adultis dispositio ad Baptismum, fides est. Quum tamen sexcentis in locis dixerit Augustinus infantes baptizatos, qui credere non possunt, adhuc tamen lavacro Christi sanctificari, existimavit, proculdubio, aquam baptismalem tunc corpus tangere, & cor abluere, faciente verbo, non quia tunc a suscipiente baptismum creditur; sed quia a Ministro dicitur: Verbo scilicet divina institutione, divina voluntate, divina promissione confirmato.

80. Urgent Adversarii tamen: Verum est Augustinum docuisse, infantes, qui credere non valent, adhuc tamen sanctificari dum baptizantur. Sed quare? quia credunt per fidem Ecclesiӕ, & fidem protestantur ore Ecclesiӕ, ut habemus apud Divum Thomam cujus hӕc sunt verba III. Parte, quӕstione LXVIII. Articulo 9. „ Dicendum quod regeneratio spiritualis, „ quӕ fit per Baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali, quantum ad hoc, quod „ sicut pueri in maternis uteris constituti, non „ per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex „ nutrimento Matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in „ utero matris Ecclesiӕ constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiӕ salutem suscipiunt: unde Augustinus dicit in Libro I. de „ peccatorum meritis & remissione Cap. XXV. „ *Mater Ecclesia maternum os parvulis prӕbet, ut sacris Mysteriis imbuantur, quia nondum possint corde proprio credere ad justitiam, & ore proprio confiteri ad salutem*. „ Et Cap. XIX. *si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, dum per eorumdem verba gestantium, Diabolo, & huic sӕculo abrenunciare monstrentur?* Et eadem „ ratione possunt dici intendentes, non per actum „ propriӕ intentionis, cum ipsi quandoque contranitantur, & plorent, sed per actum eorum „ a quibus offeruntur. Sicut autem Augustinus „ scribens Bonifacio Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. XXI. dicit: *In Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis, quӕ in Baptismo remittuntur, peccata traxerunt*. Nec impeditur eorum salus „ si Parentes sint Infideles, quia sicuti Augustinus dicit eidem Bonifacio Epistola XCVIII. „ scribens: *Offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus; quamvis & ab ipsis, si ipsi boni fideles sint; quam ab universa societate sanctorum, atque fidelium; ab omnibus namque recte offerri intelliguntur, quibus placet quod offerantur, quorum charitate ad communionem sancti Spiritus admittuntur*. Infidelitas autem propriorum Parentum, „ etiamsi eos post Baptismum, Dӕmoniorum sacrificiis imbuere conentur, puero non nocet; „ quia ut Augustinus ibidem circa principium „ dicit: *Puer semel generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum semel regeneratus fuerit per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non potest vinculo aliena iniquitatis obstringi, cum nulla sua voluntate consentit*; „ secundum illud Ezechielis XVIII. 4. *Sicut anima Patris mea est, ita etiam anima filii; anima, quӕ peccaverit, ipsa morietur: sed ideo ex Adam traxit quod Sacramenti illius gratia solveretur: quia nondum erat anima separatim vivens*. Fides autem unius, immo „ totius Ecclesiӕ, parvulo prodest per operationem Spiritus Sancti, qui unit Ecclesiam, & „ bona unius alteri communicat. Sicut igitur „ puer, cum baptizatur, non per seipsum, sed „ per alios credit; ita non per se ipsum, sed „ per alios interrogatur, & interrogati confitentur fidem Ecclesiӕ in persona pueri, qui huic „ fidei aggregatur per fidei Sacramentum. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam „ in seipso, non quidem actu, sed habitu, per „ gratiam justificantem. " Hucusque Divus Thomas, ex cujus, quemadmodum ex Sancti Augustini doctrina, inferri videretur posse, justificationem etiam in Baptismo pueri, non sacri lavacri efficaciӕ, sed fidei potius aliorum atque Ecclesiӕ, esse tribuendam.

81. Resp. Neminem fore Protestantium, qui serio ita argumentetur; actum enim tunc foret de tota, ut ajunt, reformatione, quӕ ante omnia indulgentias negavit, unum scilicet mereri posse ac satisfacere pro alio. Quod si ad hominum, ut di-

Digitized by Google

ut dici solet, adversus nos disputare pergunt, intelligant oportet, Augustinum docentem Infantes credere per fidem Ecclesiæ, nil voluisse aliud, quemadmodum evincunt verba ipsius ad Bonifacium, quam fidem totius Ecclesiæ prodesse parvulis per operationem Sancti Spiritus, qui Ecclesiam unit, ac bona unius alteri communicat: idest, Deum acceptare vota & preces totius Ecclesiæ, ut puer pervenire valeat ad gratiam Baptismi. Optime autem animadvertit in allegatum sancti Præceptoris locum noster Cardinalis Cajetanus, tum Augustini, tum Thomæ verba per accommodationem quandam esse intelligenda, in eo quod Ecclesia pro parvulis initiandis credat, intendat, renuntiet &c.. Quum enim totus ille Baptismi ritus interrogandi, respondendi, renunciandi, &c. institutus fuisset pro adultis, accommodatus demum fuit etiam ad parvulos: ut quod proprie cum adultis fit, secundum quamdam similitudinem fieret a parvulo, non proprio, sed Ecclesiæ ore. Quum hæc tamen ad Baptismi solemnitatem tantum spectent, ideoque absque illis administratus Baptismus valeat, proinde non ita intelligendum est, Ecclesiæ fidem prodesse infanti, qui baptizatur, quasi meritum fidei existens in Ecclesia salvet infantem; quoniam infans non per fidem, sed per fidei Sacramentum, hoc est, per Baptismum salvatur. Intelligendum itaque est, Ecclesiæ merita prodesse infanti tum ob communionem sanctorum, tum quia Ecclesia orat pro puero, tum quia ex corde puro, & charitate plena applicat infantem Sacramento.

82. Sane quum Augustinus integra scripserit volumina adversus Pelagianos, ut demonstraret necessitatem actualis Baptismi in pueris, quo salvi fierent, sequitur, sanctum Patrem, non fidem Ecclesiæ, sed sacrum ipsum lavacrum habuisse tamquam instrumentum ac medium ad salutem consequendam a Christo institutum. Rursus, quum Augustinus tam strenue defenderit, valere Baptismum Evangelicis verbis etiam in hæresi collatum, docere non potuit, fidem offerentium necessario requiri ad Baptismum puerorum; sequeretur enim per falsam hæreticæ societatis fidem, puerum effici in illa Baptismatis capacem: quod Augustino in mentem cadere non potuit. Notissima cunctis tandem sunt Augustini verba de Prædestinatione agentis ante merita quæcumque: ubi felicitatem miratur infantis parentum malorum, qui ad Baptismi gratiam pervenit, ac sortem pueri bonorum parentum, ac Baptisma infantis desiderantium deflet, qui ad gratiam illam non pervenit: quemadmodum & miserorum illorum, qui fugam capientibus in persecutione Ministris sacris divino non possunt mundari lavacro. Istis non deerat votum, fides, spes charitas, ac desiderium Ecclesiæ & Parentum; neque propterea absque Baptismo eos salvos futuros fuisse ponebat Augustinus: proindeque non fidem parentum ipsis profuturam judicabat, sed solam Sacramenti efficaciam: ne heic prætereamus, unius quidem meritum posse alteri applicari, propterea quod id ab acceptatione Dei pendere existimatur; sed unius fidem haud posse alterum reddere credentem; quum actus fidei nonnisi ejus, qui credit esse posse intelligatur.

CAPUT X.

Ad quodnam Caussæ genus reduci debeat actio Sacramentorum.

83. Quærunt a nobis Adversarii ad quodnam caussarum genus actionem Sacramentorum referamus? Num ad caussas morales? num ad physicas? num ad directas? num ad indirectas? Quærunt quomodo animam tangere sensibiles actiones possint? quomodo virtus indivisibilis reperiatur in verbis successive pronunciatis? quomodo agere Sacramentum possit quando amplius non est, quemadmodum in Baptismate suscepto ab Adulto ficte accedente, qui tunc solum gratiam recipit, dum infidelitas recedit: ex quibus iterum inferunt, veram gratiæ caussam esse tantum Fidem: Sacramenta vero esse tantummodo gratiæ per fidem acceptæ pignora, & sigilla.

84. Theologi tamen Orthodoxi fategerant ut ea omnia explicarent. Qui enim sola morali, ut dicitur, Sacramentorum caussalitate contenti fuere, commodum distinxerunt inter nudum signum, & signum practicum. Prioris exemplum est in signo officinæ appenso, quod merces quidem prostare vendendas denotet; sed ideo non certo efficit, ut vendantur. Alterius exemplum in Chirographo est manu Regia signato, quo semel exhibito, statim dignitas obtinetur, vel venia, vel libertas; sic in permutatione pecuniæ, quæ fit per litteras, vix trapeziticis litteris ostensis, pecunia repræsentatur, numeraturque, qua ad utilitatem, & beneficium nobis comparandum utimur, aut ad nos liberandos a debito contracto. Qui itaque moralem in Sacramentis efficientiam tantummodo tuentur, secundi hujus generis signa, & symbola esse ajunt sacramenta nostra, quæ practice efficiunt, ut Gratia nobis conferatur, cujus idcirco veræ sint ac reales caussæ, sive vi institutionis, qua Deus quasi pacto quodam se se obstrinxit ad gratiam sacramenta suscipientibus largiendam, sive per modum Chirographi, quasi Christi Sanguine meritoque obsignati.

85. Aliorum opinio est, ad physicæ caussalitatis genus efficientiam Sacramentorum esse revocandam: tum quod divinæ Litteræ, & Patres iis utantur dicendi exprimendique modis, qui instrumenta potius physica, quam alia deceant; tum magis, quod hæc neque revera contineant, neque effectum producant, quem ad ipsorum præsentiam caussa efficiens operatur. Itaque, si secreta quadam virtute Deus in Sacramentis agit, si di-

Digitized by Google

si divina sunt vehicula justitiæ, & gratiæ, sique eam producunt ex opere, ut dicere soliti sumus operato, non moralia, sed physica haberi debent ipsius instrumenta, quæ tametsi animam non contingant contactu substantiæ, eam attingunt tamen contactu virtutis; quum non naturæ, vel artis, sed Dei instrumenta sint; neque corporeis in elementis, & signis instar qualitatis divina contineatur gratia, vel quemadmodum aurum in crumena continetur; sed ita sint vasa gratiæ, sicut arma sacris in litteris dicuntur vasa mortis & indignationis: proindeque signa illa & symbola gratiam ideo producant, quia sunt Dei instrumenta, quia a Deo moventur, quia Deus illis uti vult ad gratiam suam largiendam; ideoque sicut sensibili in voce quædam vis est veluti spiritualis ad excitandum auditoris intellectum, quatenus vox procedit ac movetur a spirituali animo loquentis; ita vim spiritualem habere sacramenta, quatenus a Deo ordinata sunt, atque illis Deus utitur ad spiritualem effectum producendum.

86. Sunt qui omnes superari difficultates facillime arbitrantur posse, si constituatur sacramenta esse caussas physicas instrumentales gratiæ, non directas, sed indirectas: quatenus non producunt quidem immediate gratiam, sed propria actione sensibile aliquid circa hominem producant, cui divina ex institutione, & secretiori operatione, collatio gratiæ conjungatur. Sicut enim instrumenta agricolæ, ejusque operatio, sunt caussæ instrumentales, physicæ quidem, sed indirectæ segetum: quia etiamsi vegetativam non contineant energiam, nec revera segetes producunt; id per ea tamen efficit Agricola circa terram, unde proficiscitur occulta naturæ vi vegetatio satorum; ita sacramenta caussa physica instrumentalis indirecta sint gratiæ, & sanctitatis, quia dum illa sensibilem effectum suum præstant circa homines, aqua nempe abluit corpus, consecrans manus imponit, Sacerdos absolutionem profert &c. illi ablutioni, illi manuum impositioni, verbisque illis absolventibus, conjuncta sunt pro Christi institutione ac promissione interior spiritualis regeneratio, spiritualis potestas, justitia animæ & sanctitas: proindeque sicut opus agricolæ habetur caussa instrumentalis physica indirecta segetum, quia ad ministerium Agricolæ sequitur ex interiori quadam virtute naturæ generatio plantarum, & Agricola non rigante arbor insita non germinat: ita sacramenta caussæ dici debeant physicæ quidem, sed indirecte, sanctitatis & gratiæ, quia ad eorum administrationem opus gratiæ ita sequitur, ut si ea non ponantur, nec producant effectum illum suum sensibilem & conspicuum circa homines, Deus secretiori operatione gratiam ipsis non largitur.

87. Hac autem de re si nostra quæritur cogitandi ratio, candide dicemus, Theologos propterea quod istos actionem Sacramentorum explicandi modos excogitaverint, laude proculdubio dignos fuisse: quod autem pro uno dicendi modo præ aliis seligendo acriter olim decertaverint, pari dignos laude non fuisse. Theologo quippe Orthodoxo satis esse videri debet in præsens tueri traditam doctrinam, videlicet sacramenta Novæ Legis divina esse gratiæ instrumenta: an vero physice, an moraliter id operentur, adiaphoris satisque antiquatis Disputationibus scholasticorum relinquendum est; quorum diversas opiniones a diversa quam habebant caussa, & caussandi modum percipiendi ratione profectas esse arbitramur. Sacræ Litteræ, Traditio, Patres, Ecclesia, satis docent virtutem divinam per sacramenta a Christo instituta secretius ad justificationem nostram operari; quæ secreta divina operatio in caussa est, quare doceant Orthodoxi sacramenta novæ legis non ex operantis opere, sed ex opere operato, suum producere effectum. Quonam autem pacto tanta res, & tam mirabilis per Sacramentum efficiatur, ut, quemadmodum Augustini sententia celebratum est, aqua in Baptismate corpus tangat, & cor abluat, id quidem humana ratione atque intelligentia comprehendi non potest, inquit Tridentini Concilii Catechismus, Titulo de Sacramentis: proindeque tametsi ad virtutem, & actionem eorum aliquo modo adumbrandam rejiciendæ non sint allegatæ explicationes; attamen quum virtus & actio Sacramentorum sint supernaturales; quodque supernaturale est, naturam omnem creatam, & credibilem excedat, quotusquisque est, qui modum agendi supernaturalium instrumentorum vel comprehendere, vel adæquate explicare se posse confidat? Optime Sanctus Gregorius Nyssenus Oratione de Baptismo: *Ostende mihi modum nativitatis, quæ fit secundum carnem, & ego tibi vim regenerationis, quæ fit secundum animam exponam: ubique divina vis & efficacia incomprehensibilis est, nullaque vel ratione, vel arte explanari potest*. Sane, quum Salvator noster apud Marcum ultimo dixerit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient . . . . super ægros manus imponent, & bene habebunt*: Si quis, inquam, id non potuisse contingere contenderet, propterea quod clare constitui non posset, an impositio manuum super ægrotos caussa foret moralis, an physica; directa ne vel indirecta sanitatis eorum, quibus manus Discipulorum Christi impositæ fuissent, non ne disputator ejusmodi omnino inconsultus haberetur? Semel atque ad illam manuum impositionem facta est restitutio sanitatis instrumentum, etiamsi ad quodnam caussæ genus referri illa debeat, prorsus ignoretur. Suo itaque satisfecit muneri Theologus, qui ostendit, sacramenta Novæ Legis, pro Christi promissione, pro Sacrarum doctrina Litterarum, pro divina, & Apostolica traditione, gratiam in nobis instrumentaliter producere ac augere: mo-

dum autem quo sacra illa symbola id præstant, supernaturalis quum sit, neque fuerit umquam ab Ecclesia definitus, explicare atque evolvere moderatiores non præsumunt. Quærenti propterea ad quodnam caussæ genus actionem Sacramentorum referamus, respondemus, ad spiritualis genus caussæ, supernaturalis ac Sacramentalis.

CAPUT XI.

An iniquitas Ministri officiat virtuti, ac valori Sacramentorum.

88. Agere Theologi hoc solent loco de Persona Ministri conferentis, deque Persona subjecti suscipientis Sacramentum. Sed quum diversorum Sacramentorum diversi sint Ministri, & sacramenta sint quæ ordinarium modo, alia vero, quæ extraordinarium etiam Ministrum admittunt: aliquod a solis Episcopis, aliquod ab ipsis modo & a Presbyteris, aliquod ab aliis etiam in necessitatis casu possit ac soleat administrari; nec omnes fideles omnia suscipere possint Sacramenta, exempli gratia, mulieres sacrum Ordinem: propterea ad generalem univocam aliquam doctrinam revocare velle ea quæ de Ministro, deque subjecto dici Sacramentorum debent, iterandus non modo labor esset, sed qui maximam heic pareret confusionem. Porro quærere num Angeli, num Dæmones possint esse Sacramentorum Ministri, nec temporis nostri est, nec moris nostri: quare quæstionibus ejusmodi omissis, suosque singillatim ad Tractatus, quæ de Persona Ministri, & subjecti cujuscumque Sacramenti dicere opus erit reservatis, ea solum, quæ ad qualitates Ministri Sacramentorum generatim spectant, hoc videntur loco in examen revocanda.

89. Tres jam vero sunt ejusmodi in universum qualitates, ut valide, recte, riteque ac licite sacra queant Mysteria celebrari, videlicet recta fides, vitæque integritas, ac intentio. Sed rursus, quia recta Ministri Sacramentorum fides opportunius, immo necessario in quæstionem venit ubi de Baptismo agitur, deque ordinationibus Hæreticorum, propterea de reliquis duabus solliciti tantum erimus in hoc Tractatu: quod quidem pro doctrinæ magis ordine, quam pro necessitate aliqua præstabimus, quippe quod iniquitatem Ministri nil officere virtuti ac valori Sacramentorum, adeo contra Donatistas perspicue, & clare docuit, ostendit, probavit atque confirmavit Divus Augustinus, ut iis quæ apud ipsum reperiuntur nihil addi posse videatur.

90. Augustinus modo, & Latini Patres, sed & Græci hanc veritatem contestati sunt. S. Joannes Chrysostomus Homilia LXXXVI. in Joannem, eam pluribus sibi vindicandam sumpsit, tandemque ita scripsit: *Æquum non erat eos qui per fidem accedunt, propter alterius malitiam quidquam detrimenti accipere a Symbolis salutis nostræ*. Idem illustrat Homilia VIII. in II. ad Corinthios & Homilia II. in II. Epistolam ad Timotheum: quemadmodum & Oratione XL. Gregorius Nazianzenus. Isidorus Pelusiota Epistola CCCXI. Libri III. inquiebat: *Nullo detrimento is, qui accipit, afficitur, etiamsi is, qui tribuit, indignus esse videatur: neque incontaminata Mysteria conspurcantur, etiamsi Sacerdos omnes mortales improbitate superet*. Integra Epistola legenda foret. Idem Epistola CXX. Libri primi: *Si quis in sceleribus educatus, atque omnium sordium, & peccatorum genere compunctus, & injustus, Dei aras attingit, ac Sancta profane tractat, ipse quidem pœnas luet: divinum autem Sacrarium improbis ipsius actionibus minime contaminatur*. Idem inculcat Epist. XXXVII. Libri II. præter Balaami vaticinantis adfert etiam exemplum Caiphæ, & corvi, impuræ avis, cujus ministerio tamen Deus sanctissimum virum Eliam pasci voluit.

91. Eusebius Renaudotius Tomo I. Collectionis Liturgiarum Orientalium, adnotationibus in Liturgiam Copticam Sancti Cyrilli, veritatem, qua de agimus, apud reliquos etiam Orientis Christianos constitutam fuisse, quam maxime ostendit: quippe ad Liturgiæ verba, quibus Copticus Sacerdos inquit: *neque propter peccata mea prives populum tuum adventu Spiritus Sancti*, commodum ita animadvertit: „ Nihil in „ hac Oratione susceptum, cum idem legatur in „ Jacobi liturgia Græca eodem loco, quamvis „ verba quiddam aliud significent μὴ ἀθετῇς *ne* „ *reprobes*, *ne frustreris populum tuum propter peccata mea*. " In ista refertur illa ἀθέτησις, sive *privatio* ad illapsum Spiritus Sancti super dona proposita, & super fideles. Itaque Sacerdos suorum sibi delictorum conscius, rogat Deum ne ad se peccatorem respiciat, sed ad preces Ecclesiæ, cujus nomine orationem profert, & sacro ministerio fungitur; neque caussa sit, ut gratia fidelibus ad fructuose communicandum necessaria, & alia per illapsum Spiritus Sancti super dona proposita, ad ea consecranda non obtineatur. Hæc ex veræ humilitatis sensu, non quod de effectu Sacramentorum dubitent, a quocumque Ministro etiam malo celebrentur; nullus enim apud eos inventus fuerit. Illum quod Græcos superiori sæculo per Joannem Caryohillum, & Corydallum ejus magistrum furtim insusurratum damnavit Gabriel Patriarcha Constantinopoli in plena synodo, sententiaque synodalis a Dositheo Patriarcha Jerosolymitano typis edita est in Moldavia, cum ipse scribendo adfuisset: tum etiam singulari Opusculo hanc hæresim idem confutavit. Habuerunt Jacobitæ Alexandrini Patriarchas aliquot sceleratissimos, quorum memoriæ non parcunt: similes nonnullos Catholicos Nestoriani: neque tamen quidquam occurrit, unde

Digitized by Google

de levissimum indicium capi queat, dubitatum fuisse de Sacramentis, quæ celebraverant. Carere autem Sacramentis certissime existimaverunt eos qui Episcopalem Ordinationem non haberent, ut erant illi Barsanufiani Acephali, quos Marcus Patriarcha XLIX. Alexandrinus Ecclesiæ suæ reconciliavit: ad quorum Episcopos, & Sacerdotes dixit: *non descendit super vos Spiritus Sanctus, ut super Episcopos descendit, cum pronunciatur Oratio Canonica*. Hucusque Renaudotius.

92. Animadversum heic velim, universos prope, qui de Sacramentis agunt, Tractatores non præmittere ex Tertulliano, Justino Martyre, aliisque Patribus prima Christianæ Ecclesiæ ætate, Dæmonem ac Sacerdotes nonnullos Idololatras Sacramenta nostra fuisse æmulatos. Idem vero satis tritum & confirmatum est. Ignoro tamen an alicui observatum adhuc fuerit, Æthnicos illos rerum nostrarum æmulatores, id etiam hausisse ex Christianis, Sacerdotum qualitatem nil auferre virtuti divinorum, quæ operari ipsi se credebant, Mysteriorum. Revera Jamblicus in Libro de Mysteriis postquam sectionis I. Cap. 21. pluribus de symbolis disseruisset tamquam divinitus institutis, & occultissimum aliquid significantibus, cap. 19. sectionis III. totus erat, ut ostenderet, Vates suos non existimandos fuisse causas efficientes Vaticinii: quum totum opus mere divinum esset, ac proflueret a Deo. Sectionis IV. Cap. 2. rursus docebat, sacerdotis duplicem esse rationem, altera, qua tamquam homo; altera, qua tamquam Dei minister auctoritate munitur divina. Demum sectionis VI. Cap. 6. operari Sacerdotem constituebat, quatenus Dei potestate munitus incedit. Undenam hæc? nisi, uti alia plurima, ex doctrinis Christianorum, quos qui Mysteria a Ministrorum qualitate non pendere vel tum olim prædicaverant. Totum siquidem Theurgiæ negotium apud Æthnicos post exortam Religionem Christianam inventum fuisse, Græcisque antea ignotum, ex concertatione inter Porphyrium & Jamblicum, aliisque ostendit argumentis Ezechiel Spanhemius in Præfatione ad Opera Juliani, certumque est, Porphyrium, Julianum, Themistium, Eunapium, aliosque illorum temporum Gentiles, sacras nostras literas agnovisse, atque ex Gnosticorum Libris multa a Christianis hausta didicisse, ut ex Arabibus evincit Edmundus Pochochius in adnotationibus ad Hulpharajum.

93. Addimus hanc, quam propugnamus, veritatem a Protestantibus utriusque frequentioris Communionis adversis ex quo numero Catabaptistas fuisse semper vindicatam, quemadmodum ex Hospiniani tota patet Historia Sacramentaria, ex Rittershusio Cap. XXI. Libri IV. Sacrarum Lectionum, ex Svicero in Lexico ad vocem *Mysterium* Tom. II. p. 383. denique ex Articulo XXVI. Liturgiæ Anglicanæ, (*a*). Quæ cum ita sint, supervacaneum videretur tritas heic proponere ac solvere difficultates, quæ ex probationibus adductis satis enodantur. Tyronum tamen in gratiam speciosiores minime omittemus.

94. Obj. primo. Minister Sacramentorum debet conjungi cum Christo, tamquam instrumentum cum caussa; atqui ita conjungi non possunt mali carentes charitate; itaque nec idonei esse ministri possunt, nec vere conficere ac administrare Sacramenta.

95. Resp. Sacramenta non Ministrorum esse, sed Christi, nec a merito ministrorum vim habere, virtutem, & efficaciam suam, sed a Christo, quia non in persona propria Minister ea conficit ac celebrat, sed in Christi persona, loco & vice Christi, ex intentione ac nomine ipsius Christi: quia demum quicumque sit sive bonus, sive malus Minister secundarius, Christus tamen semper est, qui tamquam principalis Minister ad nos justificandos vel sanctificandos suis utitur symbolis ac signis. Mali igitur ministri, etiamsi cum Christo conjuncti non sint per gratiam, aliquando etiam neque per fidem, neque per charitatem; semel atque tamen conficere Sacramenta valent juxta Legem a Christo institutam, & ab Ecclesia præscriptam, quodammodo cum Christo conjunguntur per ipsam Sacramenti administrationem: ea ratione, qua famulus, etiamsi Domini sui inimicus, cum eo conjunctus habetur, statim atque bona Domini dispensat, ceterisque famulis ea pro præscripto Domini largitur; præsertim quum instrumentum non secundum propriam virtutem agat, sed secundum virtutem ejus

(*a*) Ex allegata Durelli versione hæc sunt verba: *Quoiqu' en l' Eglise visible les méchans soyent toujours meslez* avec les bons, & que quelque fois les méchans y ayent la principale authorité en la predication de la Parole, & en l' administration des Sacremens: ne au moins puisque ce n' est point en leur propre nom qu' il y vaquent, mais en celui de Christ, par son authorité, & en vertu de sa commission, nous pouvons user de leur Ministère, tant pour ce qui est de l' ouie de la parole de Dieu, que pour ce qui est de la participation des Sacremens. Et leur méchanceté n' anneantit point l' effet de l' institution de Christ & ne diminue point la grace des dons de Dieu en ceux qui reçoivent avec foy & d' une maniere convenable les Sacrements qui leur sont administrez, les quels sont efficaces à cause de l' institution, & de la promesse de Christ, quoique ils soient administrez par des méchans.

ejus a quo movetur: proindeque quum Sacramentorum ministri sint instrumenta Christi etiamsi mali sint, conficere adhuc possunt ex operatione Salvatoris Dei Sacramenta.

96. Etsi vero non omnes malos homines semper audiat Deus, plurimos aliquando audit tamen, atque etiam exaudit: tum magis dum non sua, sed Christi merita Deo Patri offerunt; & dum non sua, sed Christi auxilia conferunt Fidelibus. Tunc enim, etiamsi mali ministri sint immundi, atque mortui; ille tamen, cujus ministri sunt, & cujus sunt Sacramenta, Christus scilicet, mundus, vivus, bonus, sanctusque, & immaculatus est, tantæque sanctitatis atque potestatis, ut per Sacramenta sua, a malis etiam Ministris confecta, homines illos, quibus conferuntur ex immundis mundos, ex mortuis vivos, ex malis efficere bonos possit, atque adeo velit, ut fuse Augustinus explicat Libro II. contra Cresconium Cap. 21. ex quo etiam habetur quid responderit urgentibus: Ministros malos gratiam dare non posse, quam ipsi non haberent: etenim quod iidem dant, non de suo tribuunt, sed de alieno, similesque sunt medicis ægrotis, & hominibus egenis: sicut enim ægrotus Medicus adhibitis validissimis naturæ medicinis sanat alios ægrotos, & pauper pecuniam a divite accipiens, & alteri dans pauperi, egestatem ejus levat; ita Ministri mali non de suo, sed ope Sacramentorum Christi, quæ sunt celestes medicinæ, divinorumque bonorum thesauri, depellunt ab aliorum animabus peccatorum morbos, eisque justificationis gratiam adsuerunt, vel istius incrementum.

97. Arcebantur, fateor, Mosaica in lege immundi a sacris tractandis; arcenturque lege naturali, evangelica, & ecclesiastica, pravi homines a sacris mysteriis administrandis: ex quo tamen tantum sequitur, malos ministros, quamdiu tales sunt, licite non uti sacra potestate. Ut vero scribit Sanctus Augustinus Libro V. contra Donatistas: multa contra jus dantur, nec tamen ideo vel nulla, vel non data dicuntur; itaque etiamsi haud liceat indignis sacra administrare, si rite tamen in Christi nomine ministrent, divinam ob institutionem atque voluntatem, & ob virtutem Sacramenti suum producunt hæc in subjecto idoneo effectum.

Obj. 2. Sanctus Leo Epistola XL. ad Anatolium affirmabat, aliter in Ecclesia Dei neque rata esse Sacerdotia, neque vera sacrificia, nisi in nostræ proprietate naturæ verus nos Pontifex reconciliet, & verus immaculati agni sanguis emundet. Et Epistola LXXIII. ad Leonem Augustum, Dioscori Alexandrini Episcopi improbitatem deflens, hujus causa asserebat, Alexandrina in Ecclesia omne cælestium Sacramentorum lumen extinctum fuisse, interceptam sacrificii oblationem, defecisse sanctificationem Chrismatis, & parricidialibus impiorum manibus omnia se subtraxisse Mysteria. Negabat Divus Augustinus Libro III. de Baptismo Cap. 18. dari a Christo potuisse invidis ac malignis peccata remittendi potestatem. Innocentius I. in Epistola ad Episcopos Macedoniæ constituebat, eos, qui effusionem Spiritus, quam acceperant, perdiderunt, ejus plenitudinem, quæ sacra in Ordinatione traditur, communicare non posse. Denique Gregorius VII. vacuas & irritas declaravit Ordinationes a Simoniacis intentatas.

98. Resp. Sancti Leonis verba eo non collineare quo adversarii contendunt. Sunt quippe hujusmodi: Nisi Christus sit verus homo proprietatem habens carnis nostræ, non esse in Ecclesia verum Sacerdotium, aut sacrificium. Neque enim fieri potest, ut vera Christi caro offeratur in altari, si non Christus veram carnis substantiam habet in cælo: quæ erat Eutychianorum hæresis, asserentium humanam Christi naturam fuisse virtute Divinitatis absorptam. Ejusmodi Hæreticos oppugnabat Sanctus Leo, ut in Epistola etiam ad Leonem Augustum: nam Dioscorus, Eutychetis defensor veritatem humanæ in Christo naturæ inficiabatur. Itaque per ejus hæresim humanitate Christi sublata omne Sacramentorum lumen pariter extingui necesse erat, sacrificii oblationem, ac reliqua sanctificationis intercipi instrumenta: quia si Christus non est verus homo ex ipsius passione ac merito sacra symbola ac signa virtutem sanctitatis & gratiæ conferendæ habere nullo modo potuissent: proindeque posita hominum illorum hæresi, non ob eorumdem improbitatem, sed ob negatam Christi humanam naturam, irrita ac nulla evasissent Sacramenta.

99. Quemadmodum vero certum est, Sacramenta, a malo etiam ministro collata, gratiam dignis conferre; ita certum est, ea effectum suum non producere a malo homine accepta. Eo respiciunt plura Augustini testimonia, cujus etiam in concertatione cum Donatistis scopus ex eorum hypothesi desumendus est. Ponebant illi ministros occulte malos valide Sacramenta administrare: secus autem illos, quorum peccatum erat manifestum. Ad hominem itaque, ut dicitur, adversus illos disputans ajebat Sanctus Pater, ostendere non potuisse Donatistas datam a Christo invidis, malignis, ceterisque peccatoribus occultis, criminum remittendorum potestatem: neque propterea ab ipsis rejectam Donatistis administrationem Sacramentorum, quam occulti peccatores ejusmodi præstabant. Quid ex eo autem sequebatur? Illud sane, de quo sollicitus erat Augustinus, nempe, Sacramenta suam non amittere efficaciam ob iniquitatem ministrorum. Si enim occulti peccatores valide, juxta Donatistas, Sacramenta administrabant, cur ea valide non administrassent peccatores publici, quum illorum non minus manifestum esset, quam istorum, ante Dei oculos peccatum.

100. Ut

Digitized by Google

100. Ut postremis denique testimoniis atque constitutionibus faciamus satis, animadvertere oportet cum præstantissimis Theologis, Veteres plurimos, etiamsi orthodoxos, non satis distinxisse inter illicitam ac invalidam Sacramentorum administrationem, interque Sacramenta ipsa, & eorum effectus: proindeque sæpe sæpius nullum ac irritum dixisse Sacramentum, quod illicite tantum administrabatur, aut non omnem effectum producebat: a recta quidem non abeuntes sententia, sed non recte & clare suam mentem explicantes. Ceterum, quod ad pravorum pertinet ordinationes, jam in hujus tractatus limine animadvertimus, eas ad quæstionas de Ordine spectare, proindeque heic omittendas, nisi arduum multiplicemque rerum apparatum huc transferre perperam velimus, atque omnia confundere. Difficile erit semper dicere de Sacramentis generatim, quia vix aliquid in examen revocari tunc solet, vel potest, quod omnes prope Sacramentorum omnium quæstiones non attingat.

101. Quod interim addere possumus, id est, ordinationes Simoniacas fuisse semper ab Ecclesia prohibitas: heinc aliquos olim consequutos fuisse, tales ordinationes irritas habendas atque nullas, non præcise ob peccatum Ordinantium, vel ordinatorum; sed ob Ecclesiæ prohibitionem, quæ Simoniacos declaraverat suspensos, atque excommunicatos. Aliqui nempe de illis olim cogitabant, quemadmodum hodierna nos die de absolutione cogitamus data a Sacerdote malo simul, & non approbato: quæ irrita sane dicitur ac nulla, non quia a Sacerdote malo, sed quia a Presbytero non approbato: de quibus tamen fusius suo dicemus loco & diligentius.

102. Inquiri heic posset, petere ne liceat, vel accipere a malo ministro Sacramenta: Cui jam satisfecerat quæstioni Beatus Thomas III. Parte, quæstione LXIV. Articulo 6. scribens: ille qui ad Sacramenta accedit, Sacramenta suscipit a Ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis Persona; sed in quantum est Minister Ecclesiæ: & ideo quamdiu ab Ecclesia toleratur in Ministerio, ille, qui suscipit Sacramentum, non communicat peccato ejus; sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tamquam ministrum exhibet. Si vero ab Ecclesia non toleratur, puta cum degradatur, vel excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit Sacramentum, quia communicat peccato ipsius: Hæc ille: quod esse generatim satis potest: morales enim casus persequi, instituti nostri non est.

CAPUT XII.

De intentione Ministri.

103. Sacramentum absque ulla Ministri intentione, immo cum intentione opposita, celebrari posse, nonnulli primos inter Protestantes sensisse, visi sunt, adversus quos propterea magno olim animo disputaverunt Orthodoxi. Verum talis insaniæ posteros Protestantium puduit, ac fortasse aliquid non recte intellecti in tota illa concertatione, quemadmodum in aliis, latuit. Revera ponebatur exemplum in prædicatione Verbi Dei, quod, & cum opposita intentione promulgatum, potest salutarem producere effectum. Confundebatur scilicet non recta intentio cum carentia intentionis. Hæc autem prædicationi cuicumque officiet non illa. Quomodo enim absque ulla prorsus intentione quis prædicaverit Verbum Dei? Nonne potius delirabit? Omni destitutus intentione, neque ex animo, neque ex invidia, neque ex contentione, neque ex charitate, neque sincere, neque non sincere, neque ut salutare sit, neque ut non salutare, divinum prædicabit Verbum. Itaque quemadmodum ut hoc absolute prædicetur, necessaria prorsus intentio est, & absque virtuali saltem intentione numquam prædicabitur quamvis necessaria Concionatoris intentio non sit, ut evadat auditori salutare: ita poni non potest, confectum iri Sacramentum, si ponatur Ministrum omni revera carere intentione illud conficiendi, quia omni carens intentione nil operabitur, nil conficiet etiamsi recta ipsius intentio circa virtutem atque effectum Sacramenti necessaria non sit, ut hoc sit salutare suscipienti.

104. Prudentiores, ut dicebamus, Protestantes tamen, qui hoc etiam argumenti genus ex horrida illa antiquitate verecundiorem in sensum flectere studuerunt, absonam, de qua dicimus, opinionem rejicere videntur, adeo ut factum, quod circumferebatur, pueruli olim Divi Athanasii, qui secum ludentes infantulos per jocum, ideoque absque seria intentione, baptizasse dicebatur, illudque lavacrum Alexandrina ab Ecclesia ratum habitum fuisse: hæc, inquam, omnia inter fabulas recensenda esse nemo operosius, ac evidentius ostendit Samuele ipso Basnagio in Annalibus Politicis-Ecclesiasticis ad Annum Domini CCCXXVI. Num. XIV. Et vero rei ejusmodi non meminit Nazianzenus in Encomio Athanasii, non Epiphanius, non Theodoretus, quibus Athanasii vita certe notior, quam Ruffino, Socrati, ac Sozomeno narrantiunculam illam veluti ex incerta acceptam fama proponentibus. Ludicrum illud Baptisma ab Alexandro Alexandriæ Episcopo probatum dicunt fabulatores, non animadvertentes, hunc sedere in illa Cathedra cœpisse Anno CCCXIV. ineunte, aut certe CCCXIII. cadente, quo tempore, non puerulus, sed maturus adolescens jam erat Athanasius, jam sacris Litteris imbutus, jam in Ecclesia cum admiratione omnium versatus, ideoque sacra ludendi Mysteria prorsus incapax. Quomodo labem illam non objecissent Athanasio Ariani, in struendis adversus illum calumniis adeo proclives. Puerilem vero lusum Ecclesiæ sacra simu-

simulautem, drammaticum Baptismum, ab Alexandrino Clero, tanto sub Episcopo, aetate illa, tamquam germanum Baptisma admissum fuisse; quis sibi umquam persuaserit? Sed hoc & similia facta vulgatioribus etiam in Tractatibus ita in praesens illustrata sunt, minime ut necesse sit in illis immorari.

105. Revertimur itaque ad quaestionem de intentione Ministri Sacramentorum, juxta sensum, quo primorum aetate scholasticorum versabatur. Posita quippe intentionis in Ministro necessitate, gravia inde incommoda oriri jam tum nonnullis videbantur, & conscientiae morsus infiniti: siquidem penes impium Ministrum esse videbatur, nulla ut adhibita intentione, sacramenta suo essent vacua effectu; immo, quum nemini de intentione Ministri constare certo possit, neminem idcirco de salutari susceptione Sacramenti certum esse potuisse verebantur.

106. Nodum hunc ut solveret Beatus Thomas in IV. sententiarum, Distinctione VI. Quaestione I. Articulo 2. Ita scripsit: *Dupliciter secundum diversas Opiniones respondetur: quidam* enim dicunt, quod si desit mentalis intentio in Baptizante, cum confert Sacramentum Baptismi, tamen in Adultis supplet fides & devotio defectum Baptismi, ut periculum ex hoc, Baptizato, qui ignorat intentionem Baptizantis, nullum proveniat. Si autem sit puer, creditur pie, quod summus Sacerdos, scilicet Christus, defectum suppleat, & salutem ei conferat. Alii dicunt, quod in Baptismo, & in aliis Sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: & ideo si forma servatur, nec aliud exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Haec Divus Thomas, qui III. Parte summae Theologicae quaestione LXIV. articulo 8. eidem difficultati simile responsum habet scribens: Circa hoc duplex est opinio: quidam enim dicunt quod mentalis Ministri requiritur intentio, quae si desit non perficitur Sacramentum. Sed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accipiendi Sacramentum, supplet Christus, qui interius baptizat: in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides & devotio. Sed hoc satis posset dici, quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis: sed quantum ad effectum, qui est res & Sacramentum, scilicet quantum ad Characterem, hic non videtur ut per devotionem accedentis possit suppleri, quia character numquam imprimitur, nisi per Sacramentum: & ideo alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus est Minister: in verbis autem, quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum. " Hucusque Sanctus Praeceptor: cujus candorem, facilitatem, aequitatemque quis non miretur, animum denique a partium studio in re non necessaria prorsus liberum: quem scholasticorum Principes olim imitati sunt. Vel enim irrisorie ponebant agere Ministrum, vel serio. Si primum intelligere omnes posse statuebant, nullum confici ab eo Sacramentum. Quod si serio operatus fuisset, omnem tunc deponi debere anxietatem, & persuadere sibi, ipsum internam habuisse Sacramenti celebrandi intentionem: alias quicumque dubitare posset, an dum in instantia baptizatus est, Minister veram adhibuerit materiam, an veram formam protulerit, an rite unam cum altera conjunxerit: de quibus tamen nemo prudens dubitaverit: immo si defectum intentionis in Ministro supplere potest Sacerdos magnus, Christus, conferendo immediate sanctitatem, & gratiam, cur non poterit idem illo in casu conferre immediate Characterem? Nec enim, inquiebant, Veterum nonnulli, magis esse alligatus potest Deus Sacramentis in impressione characteris, quam in collatione justitiae atque gratiae: nam si absque actione Ministri Characterem imprimere non posset, ne ipsam posset absque Sacramentali Actione conferre sanctitatis gratiam: quod tamen nemo dixerit.

107. Hos intra limites se se veterum disputandi ratio Theologorum continebat. Verum aetate nostra nimia animorum contentionibus, nimioque partium studio, coepit agitari haec quaestio, an videlicet in administratione Sacramentorum sufficiat, ut valeant, exterior Ministri intentio, ratione cujus sacra Caeremonia serio ac rite celebretur, etiamsi oppositum in corde suo Minister intendat, an vero praerequiratur interior etiam intentio, qua Minister non tam virtualem & seriam velit, sed Sacramentalem etiam operis actionem. Prolixum sane nimis esset, & magis adhuc molestum, ea heic exscribere momenta, quibus nonnulli Recentiores vel adfirmantem vel oppositam opinionem vindicarunt: dicam enim candide quod cum aliis sentio: exigui omnino momenti est quaestio haec, si intimius ipsa inspiciatur.

108. Siquidem non potest Minister suam retinere intentionem, nisi vel quia nil eorum credit quae Sacramentum ministrando facit: vel quia optat ac vult, actionem Sacramentalem suum non consequi effectum; vel quia se nolle agere intendit id, quod tamen reipsa agit. Si primum: jam caput fidei apud omnes est, rectam Ministri fidem non esse ad valorem Sacramenti necessariam. Si secundum: non est in potestate Ministri suo privare Sacramentum effectu: quum Sacramentum effectum sortiatur secum divina ex institutione, voluntate, ac promissione; si denique est, quia id non intendit agere quod agit — prava illa intentio est protestatio contra factum, manifestaque contradictio est aliquem nolle agere id, quod

id, quod sciens tamen ac volens, libere ac serio, rite & de facto agit. Si quis enim eleemosynam faciens, illo tamen instanti diceret, vel intra se cogitaret, intendere se non velle tunc facere eleemosynam, fructum quidem eleemosynæ amitteret; sed respectu exterioris actus secunda hæc inefficax, ac præpostera intentio, quia mera velleitas esset, uti eleemosynam non impediret, ita non auferret priorem intentionem, nec actum eleemosynam faciendi, si ipsa revera fiet. Pari ratione qui sciens ac volens, libere, serio ac rite Sacramentum celebrans, adhuc intra se non intendit celebrare Sacramentum, peccat ille quidem, ac Sacramentum licite non facit, sed valide facit tamen quia secunda inefficax intentio eam non aufert, per quam revera serio ac rite in forma Ecclesiæ agit; & per quam perficitur revera Sacramentum.

109. Dixerit quis tamen: quomodo efficax esse potest intentio faciendi quod facit Ecclesia in eo, qui apud se & in corde suo resolvit non intendere operari quod facit Ecclesia? Verum quis obsecro non videt ac intelligit, repugnare, Ministrum, libere, serio, ac revera operari in forma Ecclesiæ, simulque intendere se nolle operari quod facit Ecclesia? Nam per fidem suam, si nollet revera agere, in forma Ecclesiæ non ageret: sique agit, itaque liber quum sit, agere revera vult, & voluit agere, si egit. Statim enim atque libere ac serio operatur in forma ecclesiæ, nihili æstimanda est occulta illius intentio non conficiendi, vel irritandi Sacramentum: sacrum quippe opus libere, ac serio peractum, inermen reddit, immo perimit ac enecat oppositam ac in animo latentem voluntatem, qua improbus Minister sibimetipsi fucum facit, atque decipit se se, non vero suscipientes Sacramentum. Etiamsi enim intentio illa, per quam exterius tantummodo operari dicitur, ratione objecti sui, intentio externa appellatur, quia spectat ritum tantummodo externum libere ac serio in forma Ecclesiæ celebratum; interior nihilominus intentio ipsa quoque est ratione principii, quum sit & ipsa deliberatus mentis actus, quo Minister externum utcumque ritum, quatenus in Ecclesia fit peragere constituit ac porro pergit.

110. Quamvis autem ritum peragendo in forma Ecclesiæ, non eo fine peragat, quem intendit Ecclesia, non ignorat tamen quid per ea, quæ exterius ab ipso peraguntur, Ecclesia efficere intendat; & quamvis ritus tunc non determinetur ab interiori Ministri intentione, determinatur tamen ab actione sacramentali, a sacramentali forma, & a circumstantiis, in quibus Minister libere, serio ac rite operans in forma Ecclesiæ, exhibet se Ministrum Christi, Ecclesiæ, & Sacramenti.

Non possumus autem heic quin detegamus artem ne an errorem Christophori Matthæi Pfaffii, Lutheranorum doctissimi a suis appellati. Scripsit ille de Originibus Juris Ecclesiastici veraque ejus indole Librum singularem, cui Dissertationem adjecit de Successione Episcopali, in qua fategit, ut probaret eam in tota, quaqua patet, Ecclesia, maxime in Romans, dudum defecisse, &, si qua sit, Græcæ magis, quam Romanæ competere: veræ autem Ecclesiæ notam prorsus haud esse. Utor editione secunda, Tubingæ, sumptibus Josephi Sigismundi MDCCXX. Illius itaque Dissertationis Articulum IX. ita auspicatur: Est quoddam Romanensium dogma, quod successionem Ecclesiasticam apud ipsos prorsus incertam dubiamque reddit. Ajunt scilicet Viri præstantissimi, Sacramentum illud, quod cum intentione positive contraria conferatur, nullum esse. Jam, unde hoc quis certo novit, eum, a quo baptizatus, confirmatus, & ordinatus est, haud habuisse intentionem positive contrariam, haud capi potest. Jam si inter tot Episcopos, qui in successione inde a temporibus Apostolorum usque ad præsens tempus decurrunt, unus saltem vel alter heic peccaverit, quot quæso Ordinationes irritæ, quot irrita Sacramenta, quot falsarum hostiarum adorationes spuriæ quæso inde emergent? Immo patet, principio isto posito, neminem, apud Romanenses de Baptismo suo, de sua Absolutione, & de veritate Sacramenti, quod adorat, & suas juxta hypotheses unquam absolute certum esse posse. Miror profecto vehementer, virum hunc in Orthodoxorum Operibus adeo versatum, virum, qui infinitæ lectionis videri volebat, ita ludere suos perrexisse, ut fidenter scribere non erubuerit, esse Romanæ Ecclesiæ dogma, Sacramentum illud, quod cum intentione positive contraria confertur, nullum esse. Ubinam gentium, obsecro, Romana in Ecclesia id constitutum est? Intentionem faciendi id quod facit Ecclesia necessariam esse in Ministro, definitum sane reperimus: sed exteriorem intentionem, quæ Sacramentali ab actu separari non potest, sufficientem haud esse, nullibi definitum reperimus. Nonne Catharini opinioem, de sufficientia, ut ajunt, solius exterioris intentionis ad Sacramentorum valorem, adiaphoras inter Quæstiones censeri, & inculpate Catholicis in scholis vindicari, nosse omnino Pfaffium oportebat! Quamvis enim Catharini sententia vulgo appelletur, attamen tot aliunde Theologorum, & Juris Canonici peritorum auctoritate communita est, qui eam ante Catherinum ac etiam post illum, summa consensione docuerunt, quemadmodum animadvertebat Jacobus Hyacinthus Serry in Vindiciis Vindiciarum Ambrosii Catharini, sive in Dissertatione theologica, de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione, Cap. V. scribens: Præiverat Catharino, in eo tradendo systemate, Magister sententiarum, Præpositivus, Petrus Cantor, Robertus Pullus Cardinalis, Petrus Paludanus Patriarcha Hierosolymitanus, Innocentius IV. R. P., Syl-

vester Prieras sacri Palatii Apostolici Magister, Angelus Clavasius, Chrysostomus Javellus, aliique nonnulli, quorum nomina mihi exciderunt. Eundem subinde sequuti sunt Alphonsus Salmeronius, Joannes Viguerius, Marius Scribonius, Zacharias Pasqualigo, Jacobus Sambovius, Antonius Arnaldus, Vincentius Contensonius, Gasper Juveninus, Franciscus Genetus, Natalis Alexander, vir in omni scientiarum genere ornatissimus, & sine controversis hujus ævi summus, aliique bene multi Sorbonicæ scholæ magistri. Addit & ostendit Capite Dissertationis VI. hic Auctor, Parisienses Theologos juxta sententiam de qua agimus, gravissimis in casibus pronunciasse. Pluraque hic Auctor addidisset, si qui post ipsum hoc de argumento scripserunt, legere ac versare potuisset. Certe Nicolaus l' Herminier, Parisiensis facultatis Theologus Doctor, qui Anno 1736. Tractatus edidit de Sacramentis, Tomo I. p. 106. ita inquit; *communior jam viget apud Theologos opinio, intentionem exteriorem sufficere ad validitatem Sacramenti: cui sententiæ subscribimus*. Viderit itaque Pfaffius an dogma sit Ecclesiæ Romanæ, Sacramentum illud, quod cum intentione positive contraria Ministri rite ac serio operantis confertur, esse nullum. Qui autem apud nos minori fortasse auctoritate, minori utique in præsens numero ita cogitant, nonne sibi adhuc persuadent, inopiam rectæ in Ministro intentionis supplere Sacerdotem Magnum, Christum: proindeque, sacra ordinatione rite ac in forma Ecclesiæ peracta, nullum inferri, ex defectu intentionis, successioni Episcopali, ceterorumque collatione Sacramentorum detrimentum.

CAPUT XIII.

De effectibus Sacramentorum.

111. Supervacaneum hoc loco videtur sane Caput ejusmodi, propterea quia ubi de quocumque Sacramento sigillatim agitur, illius explicari effectus solent atque vindicari. Mori inservientes tamen, ac præparationis instar ad ea, quæ fusius dicenda demum erunt, Catholicam heic doctrinam de effectibus Sacramentorum omnium, generatim solum proponemus.

112. Præconcipiendum itaque est, non humanum modo corpus, sed animam etiam humanam habere vitam ac mortem suam. Vita corporis, ut dici solet, anima est; vita vero, animæ, gratia reipsa est, justitia, & sanctitas. Dum inde avolat anima, corpus moritur, dum amittitur gratia, anima justitiæ moritur & sanctitati. Mors corporis a necessitate, mors animæ a voluntate prava proficiscitur. Iis igitur vocantur mortuorum Sacramenta, quæ hominibus justitiæ mortuis administrantur, eosque a morte ad vitam revocant, atque ex injustis & malis justos & sanctitate præditos efficiunt: quæ vero hominibus administrantur vitam animæ jam habentibus, & sanctitatem, propterea quod gratiam in illis & justitiam augent, amplificant, corroborant, sacramenta vivorum appellantur. Priora illa primam gratiam, posteriora hæc secundam conferre gratiam dicuntur, etiamsi ista quoque per accidens, ut dici solet, primam aliquando tribuere gratiam possint. Ceterum Baptismus solum, atque Pœnitentia per se mortuorum Sacramenta sunt: cetera per se vivorum.

113. Præter habitualem vero justificantem ac sanctificantem gratiam, vel ipsius incrementum, alter sacramentorum effectus est, gratis videlicet quædam singularis quam scholæ sacramentalem vocant, quæque, juxta Divum Thomam, ac Theologos fere cunctos, supra habitualem ac sanctificantem gratiam divinum addit auxilium ad Sacramenti finem facilius consequendum. Non infundi illa censetur instar habitus, sed in quibusdam consistere transitoriis auxiliis, indultis iteratisque opportuno tempore, & quibusdam in circumstantiis; ut effectus fructusque Sacramenti felicius habeatur.

114. Gratia itaque sacramentalis, quæ in sacro lavacro obtinetur est spiritualis vis quædam habitualis gratiæ superaddita ad novam instituendam vitam, eique se conformandum, cujus filii efficimur per Baptismum. Gratia sacramentalis in Confirmatione addit incremento gratiæ habitualis internum robur ad fidem quocumque in discrimine generose profitendam. Eucharistiæ gratia, ex propria & intrinseca ratione, animum interiori suavitate spiritus, & sancta perfundit delectatione. Gratia pœnitentiæ, addit mundationi a peccato justitiæque spiritum compunctionis, & horrorem ingenerat peccati: Per gratiam postremæ unctionis obtinetur vis mitigans corporis, & animæ languores, ad postremos adversarii calcaneo insidiantis conatus infringendos. Gratia sacramentalis ad sacrum spectans ordinem addit potestati auctoritatique ministerii, & sanctificantis incremento gratiæ, singularem virtutem sacras ad actiones sancte religioseque obeundas, & ad castimoniam vitæ obtinendam. Gratia denique sacramentalis in Matrimonio vim tradit illius usum intra honestatis ac naturæ fines continendi, tuendæ mutuæ fidelitatis inter conjuges, ac prolis ex præscripto Dei educandæ.

115. Baptismus, Confirmatio, ac majorum Ordinatio Clericorum, specialem alium tribuunt effectum, nempe characterem, instar signi, sigilli, ac tesseræ spiritualis, indelebiliter in anima impressæ. Per characterem Baptismi homo fit membrum societatis & familiæ Christi: per characterem confirmationis militiæ Christianæ fit miles: per ordinis characterem fit gregis christiani Pater, Christique copiarum Dux, Legatus Dei & sacrarum minister rerum. Perpetuitas porro ac indelebilitas ejusmodi characterum petitur

ex na-

Digitized by Google

ex natura ac indole consecrationis: res enim semel ad usum aliquem Deo consecrata, talis, quamdiu existit, perpetuo manet, ut Dominus Levitici ultimo praecepit. Hinc tria illa Sacramenta repeti non posse, ne Sacramento ipsi injuria fiat, constans tutaque fuit Ecclesiae Catholicae doctrina, quae suis fusius locis illustrabitur.

CAPUT XIV.

De vero Ecclesiae sensu circa Caeremonias Sacramentorum.

116. De caeremoniis Ecclesiasticis copiose aetate scripsit nostra Claudius Vertius, easque se recte explicasse arbitratus est, dum prope omnes fategit ut deduceret ab ipsa veluti natura rei, vel a necessitate quadam, decentis, commoditate, opportunitate rerum agendarum, contendens unamquamque caeremoniam habere caussam physicam & naturalem institutionis suae: rationem vero moralem, mysticam, ac symbolicam posterius accessisse: propterea opus suum hoc insignivit titulo: explicatio simplex, literalis, & historica caeremoniarum Ecclesiae.

117. Adversus Vertium Joannes Josephus Episcopus Suessionensis Encyclicam, sive Opusculum scripsit de vero Ecclesiae sensu circa sacrarum caeremoniarum usum, in quo sibi demonstrandum proposuit, Religiones omnes, sed praecipue Ecclesiam Jesu Christi omni tempore id intendisse in suarum institutione caeremoniarum, ut & religioso inservirent cultui, & Symbolorum rationem involverent: quod si inter eas aliquae reperiantur, quae necessitati solum ac decentiae originem suam debeant; alias tamen eodem, immo majore reperiri numero, quae non aliam institutionis suae habent caussam, quam sensum mysticum, allegoricum, & symbolicum. Dum vero Ecclesia aliquas retinuit caeremonias quarum originem necessitati Vertius adscribit, id eam neque fortuito neque inveteratam ob consuetudinem egisse; sed quia praeviderat, fideles fructum aliquem percepturos figurato ex sensu devotionem edocente, quem illis adjunxit. Complures denique symbolicorum sensuum tamquam pias quorundam mysticorum ideas non esse considerandos, sed ut adoptatos universa ab Ecclesia, antiquissimaque traditione, ac omnium sermone scriptorum, qui Liturgias illustrarunt confirmatos.

118. Sunt qui hac in concertatione utrumque Auctorem excessisse modum arbitrantur. Quamvis enim Vertius mysticas ac symbolicas sacrarum caeremoniarum rationes nolle se excludere, in Operis sui Praefatione protestatus sit, executio tamen cum protestatione consonare visa omnino non est, omnesque demum caeremonias, haud sine contemptu symbolicarum, quae circumferuntur significationem, ad physicam earum naturam, aut arbitrariam ad originem retulit. Suessionensis ex opposito, nedum nimia severitate Vertium castigavit, sed omnem prope rejiciens simplicem, literalem, & historicam caeremoniarum omnium rationem, illis demum auctoribus prope facere videtur, quos idem ipse improbat, quique nimio adducti indoctae pietatis zelo, atque extra justi limites vagati, mysteria, parabolas, & symbola in illis quoque caeremoniis sibi fabricarunt, quibus talia utique adjungere Ecclesia nequaquam in mente habuit.

119. Instituti nostri ratio non postulat, ut in universum de ecclesiasticis caeremoniis dicamus, sed de illis solum, quae in administratione Sacramentorum generatim usurpantur: quarum exteriorem apparatum etiamsi plerumque simplicibus in caussis fundatum esse non negemus, desumptumque vel ab usu veterum, vel a similitudine actionum cum vocabulis, & reciproco ordine vocabulorum cum actionibus; vel propterea quod necessitas, decorum, & commodum sacramentalia rite impendendi officia ita postulaverit: attamen consideratis publicis Ecclesiae precibus, sanctorumque doctrinis Patrum, omnem Sacramentalium caeremoniarum disciplinam ita caelestes ac spirituales ad res referri dicimus, mysteriique, symboli, ac figurae rationem ita in illis dominari, ut hanc potius quam literam, & historiam contemplari in eisdem ac venerari debeamus.

120. Et vero, si Sacramenta ipsa a Christo instituta perpendimus, analogiam quidem rei exteriori cum significatione non deesse intelligimus, adeo tamen ut praecipua eorum conditio supernaturali in Mysterio constituta esse intelligatur. *Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*, inquiebat Augustinus, in Epistola ad Bonifacium. Tertullianus autem in Libro de Resurrectione Carnis Capite VIII. jam antea scripserat: *Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut & anima illuminetur; caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* Institutiones hae Christi mysticae viam Ecclesiae aperuerunt tenendam in Caeremoniis Sacramentorum constituendis. Recens baptizatos candida induit veste ad animae puritatem denotandam, qua initiati exornantur: adhibet in Baptismate Unctiones ad quoddam veluti Initiatorium Sacerdotium denotandum.

121. In manus Baptizati ardentem tradit cereum ut ostendat Spiritum Sanctum, purgatis Neophytorum cordibus, ea illuminare: impositioni manuum in Confirmatione addit olei Unctionem, ut confirmatos esse Fidei Athletas denotet, & cum oleo conjungit balsamum, ut suavitatem gratiae Sancti Spiritus fragrantia odoris

Digitized by Google

balsamici significet; lavari manus Sacerdotis ante oblationem præcipit, ut ei puritas cordis ob oculos collocetur, quam ad sacra accedentem Mysteria afferre oportet, ut admoneantur fideles necessariam tunc temporis esse animi purificationem: mutuus datur tempore Sacrificii Eucharistici amplexus ad exprimendam pacem atque Charitatem, quæ fidelium cordibus inesse debet: sacri Altaris Ministros tunicas sibi proprias gestare Ecclesia voluit & coronas, quibus Mithræ successerunt, ut cælestem dignitatis suæ gloriam ostentarent. Ita istarum, similiumque symbola cæremoniarum Patres explicant, atque Ecclesiastici Scriptores a Joanne Vicecomite, Cardinali Bona, Binghamo, Goario, Martenio, Mabillonio, Assemanio &c. &c. allegati.

122. Revera Sanctus Joannes dum ea nobis, quæ in suo ad cælos raptu oculis viderat, annuntiat, nil præter figuras, Mysteria, signaque & symbola enumerat: candelabra aurea ante Dei thronum posita: vigintiquatuor Senes, qui coronis suis depositis, & ad pedes Agni collocatis, modo stantes, modo prostrati assistunt: Filium hominis in fulgore quidem lucida, sed Mysteriis magis indutum splendenti veste: Agnum stantem quasi occisum, & Angelos in circuitu throni cantantes Divinitatem ac fortitudinem ejus, habentesque phialas aureas odoramentorum plenas quæ sunt orationes Sanctorum: Civitatem Sanctam, novam Jerusalem, habentem fundamenta duodecim omni lapide pretioso ornata, atque in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. En prototypum, quod Ecclesia in symbolis imitandum suis suscepit. Cælum ipsum non modo Ecclesiæ ad Cæremonias instituendas stimulos addidit; verum etiam non exiguam earum docuit partem: candelabra videlicet, suffitus, prostrationes, cantica, & variorum circa Altare ordinum Ministros, quibus externo imitata est cultu imagines cælestia Mysteria continentes. Ea igitur mente cæremonias instituit præcipue Sacramentales, ita sponsi vestigia sui sequens, ut etiamsi earum nonnullæ aliquam habeant cum necessitate & commodo analogiam, habeant specialem tamen figuræ, signi ac symboli rationem, quemadmodum in Sacramentis ipsis a Christo institutis analogia quidem reperitur rei cum exteriori significatione, sed ita tamen ut eum præsertim in finem sacramenta condita fuisse pateat, ut collatæ genus justitiæ & gratiæ, hujusque virtutes & effectus, illis contemplari in symbolis, ac venerari teneamur.

123. Porro quum Sacramentales cæremoniæ non ad essentiam ac substantiam, ut dicitur, Sacramentorum spectent, sed ad eorum tantummodo solemnitatem, potuit, pro facultate sibi a Domino concessa, eas mutare: & porro mutavit earum plurimas Ecclesias. Verum, inde tantum sequitur, ipsam idoneis de causis, sive ut majori fidelium pietati, utilitatique consuleret, sive quia cæremonias nonnullas aliqui sinistrum acciperent in sensum, sequitur, inquam, solum, ipsam satius duxisse symbola aliqua, & aliquas mysticas significationes prætermitti, vel alias utiliores induci: minime vero de earum mystico symbolicoque sensu eam numquam, aut non præcipue, in usu illarum actionum cogitasse.

124. Illæ ipsæ cæremoniæ, quarum institutionis rationes physicas, naturales, ac historicas Vertius proponit, quum, cessantibus ejusmodi rationibus, adhuc tamen ab Ecclesia frequententur, etiamsi mysticæ ac symbolicæ in institutione sua non fuissent, nunc tamen tales evasere, quia nunc symbolicum modo ob sensum usurpantur. Quinam vero ille? Profecto ut origo, & historia, & antiquus ipsius Ecclesiæ status ob oculos ponatur. Si enim humanis ac civilibus in rebus prudentia dictat ac suadet, ut antiquitatis ac & familiarum memoriæ, & insignia conserventur, sive ad eruditionem posterorum ac imitationem, sive ad nobilitatem declarandam, sive demum ut Historia rerum habeatur, multo magis Ecclesiam decuit aliquas conservasse cæremonias, quibus fideles incitarentur ad veteris imitationem pietatis, in Christianis originibus erudirentur, & oculis veluti viderent fontes Ecclesiasticæ historiæ: quæ symbolicæ aliquarum significationes cæremoniarum esse sane intelliguntur.

125. Hæreses demum aliquibus aliquando in Provinciis sacrum dogma contaminantes, ansam Orthodoxis Præsulibus dedere novas inducendi cæremonias, & ritus novos, quibus Catholicam veritatem plebibus veluti ad oculum ostenderent, fixamque ipsarum in animis ac mentibus magis magisque retinerent.

126. Dixerit quis tamen. Non est confugiendum ad mysticas, & symbolicas significationes, si Sacramentales quoque cæremoniæ physicis possint ac naturalibus earum rationibus explicari; atqui fieri id posse evincunt plurima illa a Vertio excogitata & collecta; itaque, &c.

127. Resp. Etiamsi nonnullæ Sacramentales etiam cæremoniæ historico illustrari quodamodo possent sensu, non cunctas, præcipue antiquiores ac illustriores, nisi symbolicum & mysticum ad sensum confugiatur. Nunc etiam in collatione Baptismi tum insufflatio, tum delibutio salivæ adhibetur. Id si factum dixeris ad significandum, quod sicut Christus insufflando dedit Sanctum Spiritum, atque sputo lumen oculorum dedit homini a nativitate cæco; ita virtute Baptismi, gratiam Sancti Spiritus, lumenque fidei concedi; id, inquam, si dixeris, idoneam attuleris ejusmodi rituum caussam & rationem. At si mysticas has & symbolicas significationes ab actionibus illis auferas, velisque eas ex natura rerum vindicare, risum potius quam consensionem in Adversariis excitabis. Facile est dicere, nunc etiam accendi lumina dum sacrum peragitur, quia olim ita fiebat, propterea quod persequutio-

quutionum præsertim ætate Eucharistia & synaxes noctu celebrarentur. Verum Divus Hieronymus adversus Vigilantium ex opposito scribebat: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Facile est dicere, nunc quoque in sacris incensum adhiberi ad ingratos odores depellendos. Verum Sanctus Thomas III. Parte, Quæstione 83. articulo 2. ubi de convenientia eorum agens, quæ fiunt in celebratione Sacramenti Eucharistici, quum sibi objecisset, novo in Testamento non esse veteris usurpandas cærimonias ad quas pertinebat quod Sacerdos & Ministri aqua lavarentur, quando ad offerendum accedebant, ut dicitur Exodi XXX. & quod Aaron adoleret incensum suave fragrans super Altare, quod erat ante Propitiatorium: respondit Sanctus Præceptor: dicendum, quod ablutio manuum fit in celebratione Missæ propter reverentiam hujus Sacramenti: & hoc dupliciter: primo quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus, nisi manibus ablutis, unde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporaliter inquinatis. Secundo, propter significationem, quia extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis, secundum illud Joannis XIII. *Qui lotus est non indiget, nisi ut pedes lavet:* & talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad hoc Sacramentum. Thurificatione etiam non utimur quasi cæremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto: unde non eodem modo utimur sicut in lege veteri erat statutum. Pertinet autem ad duo: primo quidem ad reverentiam hujus Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod posset provocare horrorem. Secundo pertinet ad repræsentandum effectum Gratiæ, qua, sicut bono odore Christus plenus fuit, secundum illud Geneseos XXVII. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni:* & a Christo derivatur ad fideles officio Ministrorum, secundum illud II. ad Corinthios 2. *odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco:* & ideo undique thurificato Altari, per quod Christus designatur, thurificantur omnes per ordinem. „ Hæc Divus Thomas cui illud quocumque Theologico in genere accommodare valeas.

Inter utrumque manens, medium servavit utrumque. Facile siquidem ex ipsius dicendi ratione intellexeris, in cæremoniis Ecclesiæ ac Sacramentorum, paucis exceptis, quæ ob necessitatem & antiquitatem, paucis item, quæ mysticos tantum ob sensus usurpantur; potissimum tamen conjungendam esse rationem decentiæ, decoris, commoditatis, opportunitatis ac necessitatis, cum ratione mysticæ significationis; adeo tamen ut in nonnullis quidem priores prævaleant rationes, sed in pluribus, in antiquioribus, in generalibus potior ratio dominetur.

128. Vertius, & cum eo Honoratus Tournely hoc agens de argumento existimant, symbolicum ac mysticum cæremoniarum sensum pietati quidem fovendæ aptiorem esse, sed naturalem ac historicum revincendis Novatoribus commodiorem. Verum, ut recte animadvertit Episcopus Svessionensis §. 30. Dissertationis suæ, in quonam quæso nos inter ac Heterodoxos Tridentino in Concilio Quæstio versabatur? Quid illi in nobis, & quid Ecclesia in illis condemnat? Certum est, non de eo controversiam fuisse motam, an Ecclesiæ competat, cæremonias necessitate aut commodo suadente adsciscere; sed an Ecclesiæ licitum fasque fuerit novos ritus ob symbolicas, & mysticas rationes instituere, & præcipere. Hoc maxime inficiati sunt, sive qui omnes prope abrogandas duxere Romani ritus cæremonias primi Protestantes ac præsertim Presbyteriani, sive qui, ut Anglicana de Ecclesia satis innuit Spencerus, earum plurimas, tamquam adiaphoras utilesque, retinendas esse constituerunt. Non enim ideo nos accusabant quod candelas, aut faces ad fugandas tenebras obscuris in locis, noctisque tempore, accendamus; neque nos arguebant propterea quod in Ecclesiasticis Officiis singulari veste indueremur, aut illis, quæ sæculi earum institutionis propriæ fuerunt: sed ideo in nos surrexere, quod hæc omnia ob symbolicas ac mysticas rationes induxerimus: proindeque, si Sacramentales præsertim cæremonias mysticis suis ac symbolicis significationibus exuimus, eas nec recte, nec ad mentem Tridentini vindicamus.

129. Qui eruditione eminere se credebant Protestantes, in eo fuere toti, ut cæremonias & ritus Ecclesiæ ad modulum ethnicarum cæremoniarum ac ritum effictas fuisse ostenderent ac propugnarent. Hospinianus ætatem prope totam eo in munere insumpsit, quem elegantiores alii sequuti sunt. Quid vero nostri ad ejusmodi criminationes? Num sensibilem ac materialem, ut ita dixerim, talium differentiam rerum, ut demonstrarent fategerunt? Minime sane gentium: nam qui hoc immo eruditionis genus diligentius prosequuti sunt, vel ipsa Templa, Altaria, Candelabra, vasa, & sexcenta similia ad formam & modulum eorum, quæ in Sacris Ethnicorum usurpabantur, effecta fuisse innocue ostenderunt. Tota itaque discriminis ac dissimilitudinis ratio, non tam ab objecto, & scopo, & fine, quam a mysticis ac symbolicis significationibus repetebatur. Photius Epistola CXIV. ad Stephanum Orthodoxum ita adversus Iconomachos disserebat: „ Quod materialem rationem spectat, mensa Dei, „ & mensa Dæmonum, Sacrificium Divinum, & „ Diabolicum sacrificium, Paganorum Orgia, & „ Mystagogiæ Christianorum, & multa alia, „ quæ

„ quæ per summos gradus disparantur, non mul„ta tamen constant differentia, usu ac titulo, „ consecratione, ac mystica participatione, & in „ multis aliis inexplicabile discrimen obtinent: „ ad hunc modum idola Gentium, & Christia„norum imagines, Templum Dei, & idolorum „ aræ, nidoris Græcanici Liturgica Vasa, ac no„stri Sacrificii puri illius, & sive sanguine sa„crata receptacula: hæc utraque, quæ sic in „ oppositum secernuntur, materiam habent ali„quando eamdem, ac in nullo discrepantem: „ at secundum formalia, & speciem inducentia, „ aut altereitatem inducere valentia, inexplica„bilis resultat, nec verbis exprimenda differen„tia ". Fuse prosequitur argumentum ejusmodi vir certe doctus & adhuc magis Epistola CCXIX. Leonti, & Galatoni fratribus a secretis scripta. Adeo mysticarum ac spiritualium ratio significationum valet non cæremonias dixerim ac ritus, sed universum exteriorem Religionis apparatum vindicare. Veteres fuere populi, qui septimo, quemadmodum Judæi, vacabant die: quod idem uti in Judæis bonum ac religiosum erat, ita malum in aliis ac superstitiosum. Quare obsecro? Quia non religionis caussa id illi præstabant, quemadmodum Judæi; sed quia quum dierum cursum ad Planetarum numerum accommodassent; septimamque diem, ob tardum Saturni motum inauspicatam existimassent, propterea abstinendum ab omni opere constituerant, ut vetus ille vates indicabat:

Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palæstino Septima Festa viro.

CAPUT XV.

De Jesu Christo vere & proprie in Sacramentorum institutione Legislatore.

130. QUamvis hæc Disputatio ad Tractatum de Incarnatione proprie spectare videatur, hic tamen locum non incongrue accommodissimum obtinet, ea præsertim ratione, quod Novatores plerique Sacramenta novi fœderis vim legis, & præcepti habere negent, velintque tantum ad Christianæ Religionis politiam, & exteriorem ritum non ad substantiam spectare. Cumque Christus in Sacramentorum institutione legislatoris munere fungatur, ea scilicet sub præcepto salutis æternæ adipiscendæ ut media necessaria proponendo, non abs re judicamus Jesum Christum vere & proprie legislatorem invictis ostendere argumentis. Calvini certe error fuit, Christum, non ut Legislatorem, sed ut Salvatorem solum ageret, in hunc Mundum venisse; qua in re fere omnes Protestantes conveniunt: & illi quidem, qui Theologi dicuntur, ob nexum inter doctrinam Legislatoris Christi, & doctrinam meriti bonorum Operum, & observationis Legis & mandatorum ejus, quum hominem sola fide justificari contendant: ideoque in Evangelio Leges contineri inficientur: quod in Anti-Bellarmino probare nititur Scheuzerus Disputatione XVI. Illi vero qui jurisperiti appellantur, ea de caussa quod Potestas legislativa Christi fundamentum sit Potestatis Ecclesiasticæ, ut colligimus ex Bohemeri Scheuzero illustrato, ubi Libro VI. Titulo II. postquam de jure Naturæ, & Mosaico dixisset, subdit: *Præcepta Christi sunt longe altius generis. Doctrinam de pietate & vita sanctitate continent, non jus proprie dictum. Legislator Christus haud fuit, sed Doctor: & ita Dogmata ejus per modum Legum haud sunt accipienda. Peccant in eo Pontifices qui ex Dogmatibus Christi jus externum extruxerunt, & omnia in perversum mutarunt sensum, ut doctrina de arguendo Fratre, clave ligante, & solvente, potestate Apostolis propria remittendi peccata de Sacramentis &c. docent.* Quod idem repetit Joannes Franciscus Buddeus in Historia Juris publici, ut recentiores alios omittamus.

131. Catholici omnes ex opposito Christum fuisse verum, & proprium Legislatorem ostendunt I. ex celebri Deuteronomii loco, Cap. XVIII. ubi ita Moysem Dominus alloquutus est: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Quid aliud obsecro hæc denotant, nisi, ea ratione qua Moyses fuit Propheta & Legislator, ita Prophetam, & Legislatorem futurum fore Messiam, ut ex hoc testimonio Patres omnes argumentantur? Quid illa sibi volunt Psalmi LXXXIII. *Benedictionem dabit Legislator?* Et Micheæ Cap. VI. *De Sion egredietur lex*; & Isaiæ Cap. II. *De Sion exibit lex*; & Cap. XLII. *Legem ejus Insulæ expectabunt*, nisi prænunciare Legem Evangelicam Jerosolymis a Christo promulgandam?

132. Perperam inquiunt Adversarii, agi hujusmodi in locis Mosaica de lege, quum illorum ætate Prophetarum egressa jam ejusmodi fuisset: quemadmodum in loco Deuteronomii allegato, non inquit Deus, fore ut venturus Propheta imperaret Populo ea, quæ ipse jam præceperat; sed ea potius, quæ foret ipse per illum præcepturus. Christum revera, non ut Doctorem, vel interpretem Legis, sed tanquam Legislatorem gessisse se apud Matthæum legimus Cap. VII. scribentem: *Erat enim eos docens sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ, & Pharisæi.* Quem ad locum docet, non dixerim Erasmus, sed ipse etiam Grotius, textum proprie significare jus, auctoritatem, & extraordinariam pote-

potestatem. Etenim non ajebat Christus; *Hæc ait Dominus*, ut Prophetæ ceteri consueverant, sed potius: *Ego dico vobis*, quod jus, imperium, & arbitrium leges ferens denotare animadverterunt Patres & Interpretes.

133. Christo tamquam Legislatori obtemperare jussit æternus Pater, dum apud Matthæum XVII. inquit: *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite*: quibus verbis infeliciter utitur Calvinista Legerius in Thesibus theologicis de Concordia Rationis, & Fidei ut Legislativam auferat Ecclesiæ Potestatem quum Christus Apostolis tam aperte apud Lucam X. dixerit: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit: me spernit*. Sed & Apostolus I. ad Corinthios 9. scribebat: *quum sine Lege Dei non essem, sed in Lege essem Christi*; & ad Galatas IV. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, ut tot alia mittamus loca, in quibus potestas Legislativa Christi celebratur.

134. Fatemur, legem Christi, non esse civilem, vel municipalem aliquam Christianorum legem, præsertim quum, quatenus homo, non temporalis fuerit Rex, sed spiritualis tantum: ipso fatente apud Joannem XVIII. *Regnum meum non est de hoc mundo*; & apud Lucam XII. rogatus a quodam ut fratri suo diceret de dividenda hæreditate, respønderit Salvator; *Quis me constituit Judicem, aut divisorem super vos?* Attamen quum Spirituale Regnum habuerit, videlicet Ecclesiam, propterea Legem edidit spiritualem, & Divinam, Legem amoris, charitatis, & gratiæ juxta illud Hieremiæ XXXVII. de temporibus Messiæ: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam*. Quis adhuc tamen Legem hanc fuisse veram legem inficietur? Argumentum esse deberet etiam apud Protestantes maximum, quod urget Apostolus ad Hebræos VII. dum scripsit: *Translato Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat*. Sublatum fuisse Leviticum Sacerdotium fatentur nobiscum, tuenturque Protestantes, qui tametsi, Anglis quibusdam exceptis, Eucharisticum non admittant Sacrificium, Christi Sacerdotium tamen & Sacrificium Crucis prædicant. Si abrogato igitur Sacerdotio Legis veteris novum perfectiusque constitutum & in Christo Sacerdotium, nisi Paullum pessime argumentatum fuisse dixerint, abrogata æque lege veteri, concedant oportet novam a Christo institutam fuisse & inductam; ideoque ipsum fuisse verum & proprium Legum latorem.

135. Arminiani id concedunt utique, sed hanc quoque veritatem suis erroribus inspergunt. Grotius siquidem Libro V. de Veritate Religionis Christianæ, §. 7. scripsit: quum Jesus morte devicta in Cælum evectus, etiam Spiritus Sancti conspicuis donis ornasset nos, iis rebus ostendit adeptum se potestatem regiam, in qua continetur Legis condendæ auctoritas, ut patet Actorum II. *Apocalypseos I. & Jacobi I. idque secundum Danielis Vaticinium Capp. III. VIII. & XI. quibus prædixerat fore, ut paullo post destructa Regna Syriæ, & Ægypti, (quorum posterius sub Augusto contigit,) Deus regnum daturus esset homini, qui plebejus videretur in omnis tractus sermonisque populos, & quidem numquam defiturum*. Joannes etiam Clericus in Libro de eligenda inter dissentientes Christianos sententia, quam editioni citati Grotiani Operis præmisit, auctoritatis non semel potestatisque legislativæ Christi meminit, sed dolendum io eorum verbis apparenter veris errorem latere Socinianum. Non enim Christus post resurrectionem demum suam factus est spiritualis Rex & Legislator; sed legislativam, regiamque quam habuit ut Deus, potestatem ab æterno, Incarnationis suæ momento habuit ut homo, ejusque usum, quem in statu mortali cohibuerat, plene exercuit in statu glorioso. Ut enim ad verba, quæ Angelus Virgini inquit: *Dabit illi Dominus Deus sedem Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*, adnotant sacri Interpretes: sicut David unctus quidem fuit in Regem longe antequam in solio regni insideret: quod tamen solium non obtinuit, nisi post multas persequutiones, & afflictiones, per quarum patientem tollerantiam meruit tandem a Deo magnifice sublimari in Regem, & primo quidem super domum Juda, deinde vero super omnes Tribus Israel: ita & Jesus a nativitate quidem fuit unctus a Patre, & Rex destinatus populi sui, veruntamen regalis possessionem solii non obtinuit, nisi per patientiam in multis adversitatibus, per quam meruit exaltari a Patre, & accipere nomen, quod est super omne nomen, & regnare primum quidem super credentes Judæos, deinde vero etiam super Gentes, per decem Tribus figuratos, ut ex Cap. XXXVII. Ezechielis patet. Quemadmodum igitur Sacerdotalis dignitas, & officium mediatoris, ita Regia spiritualis, legislativaque potestas in Christo, ex unione Divini Verbi cum humanitate effluit, & emergit, ut cuncti Patres, omnesque Orthodoxi Theologi tuentur; atque unio hypostatica fuit ab instanti conceptionis; itaque tunc Christus fuit spiritualis Rex & Legislator.

136. Obj. primo. Locus Deuteronomii XVIII. *Prophetam suscitabo eis &c.* locus, inquam, ille de Christo intelligendus non est, sed de Josue, aliisque de Prophetis, ut ait Ricardus Simonius; vel si intelligere de Messia placeat, non evincit tamen, ipsam fuisse Legislatorem: illic siquidem, ut Grotius animadvertit in Commentario non est sermo de Legislatoris munere, sed solum de munere Prophetæ; & vox sicut communitatem quamdam nominis, & auctoritatis notat; non autem omnimodam æqualitatem: alias

alias si hanc denotaret, ea ratione, qua Moyses fuit simplex homo ita & merus homo fuisset Messias; proindeque ex quo Moyses fuit Legislator, non sequitur Christum eo fuisse munere donatum.

137. Resp. negari utrumque antecedens; & primum quidem, quod verba Deuteronomii nulli aptari possint quam Christo, ut præ ceteris evincit Eusebius, Libro Demonstrationis Evangelicæ III. Cap. 2. scribens: *Num igitur ex iis, qui post Moysen extiterunt Propheta, Isaias exempli gratia vel Jeremias, vel Ezechiel, vel Daniel, vel alius quispiam, legum auctori Moysi conferendus existis? Nequaquam illorum quisque; siquidem a primo ad novissimum quoscumque instituebant, & docebant, ad ipsum remittebant Moysem, atque in hoc populum reprehendebant, quod Moysis legem non servasset, sed contra illum fecisset; neque illum aliud quidquam hortabatur, nisi ad firmiter tenenda qua in lege Moysis posita sunt. Sed multo divinius primus ceteris Jesus Christus calestem doctrinam per suos etiam Discipules demonstravit; ut merito sane Moysem, primum solumque pietatis Legumlatorem Judaeorum appellare aequum sit; Jesum autem Christum gentium universarum, sicut Prophetia, qua de illo est, canit:* Constitue Domine Legislatorem super eos, ut sciant Gentes quoniam homines sunt. *Moyses constituit populo qui praessent Septuaginta; sic etiam Salvator designavit suos Discipulos septuaginta, & misit illos binos ante faciem suam. Moyses duodecim misit viros in terram exploraturos; noster item Salvator, multoque etiam prastantius, duodecim Apostolos misit ad inspiciendas omnes Gentes. Rursus Moyses posuit Legem, qua dicit: non occides, non mœchaberis, non furaberis, non pejerabis, at Salvator noster lege proposita, non solum occidere sed etiam irasci prohibet, & pro eo quod dictum est, non mœchari, ne intueri quidem mulierem petulanti cupiditate admonet; & pro eo, quod est non furari, res proprias indigentibus elargiri imperat. Etiam illud longe transiliens, quod est non pejerare, ne jurare quidem ullo modo instituit.* Hucusque Eusebius, qui longa Oratione comparationem illustrare prosequitur inter legislationem Moysis & Legislationem Christi.

138. Quamvis vero Cyrillus Alexandrinus Libro III. adversus Julianum contendat, hoc etiam ex loco erui divinitatem Christi posse: & quamvis Eusebius in mox instituta comparatione manifestare pergat quantum Legislatio Christi præstiterit Legislationi Moysis, juxta etiam doctrinam Apostoli tum in Epistola ad Hebræos, tum in Epistola ad Corinthios 2. evincentis excellentius fuisse ministerium Christi ministerio Moysis, propterea quod Mosaica excellentiorem promulgaverit Christus Legem: dabimus nunc tamen ex allegatis Deuteronomii verbis Divinitatem Messiæ non necessario probari: quæ innumeris aliis tamen probatur Scripturarum locis; adducto tamen ex testimonio manifeste legislativa Christi deducitur auctoritas: præsertim quum se futurum minetur cultorem Deus adversus eos, qui venturo illi Prophetæ magno non obtemperaverint, & ad Oraculum Geneseos XLIX. Messiam summa cum auctoritate potestateque mittendum a Deo, Grotius ipse fatetur.

139. Obj. secundo. Ex quo Deus per Messiam inierit pactum, non sequitur, hunc novam Legem promulgasse; nam Prophetæ usi sunt vocabulo *Berith*, quod pactum significat, non autem voce *Thora*, quæ significat Legem. Ad summum igitur nova dici poterit Lex Christi, quod ad scribendi, denuntiandique modum spectat, non quod pertinet ad substantiam mandatorum: quippe quod ea omnia jam in decalogo continebantur, & futura eadem semper erant: esto non lapideis modo, ut olim, Tabulis, sed in hominum magis cordibus ad plenam eorumdem observantiam insculpta.

140. Resp. Nosse omnes quotquot hebraice sciunt, idem plane significare Thoa, quod Berith, quemadmodum sacrarum usus Litterarum idem plane sonant Lex, Fœdus, & pactum, propterea quod data receptaque Lege Deus, & homo paciscantur mutuo: iste quidem observantiam spondens, ille remunerationem promittens: præsertim quum Prophetæ de veteri & novo pacto differentes non semel, utrobique in antithesi usurpent vocabulum *Berith*; certoque certius sit, nomine pacti veteris, nisi Legem Mosaicam non intelligi. Nam etiam Exodi XXXIV., & Deuteronomii XXIX. ubi Mosaica de Lege sub nomine Fœderis in Latina Versione sermo fit, vocabulum *Berith* hebraico in textu reperitur. Jam vero, ex quo Lex nova a Deo sanciendа promittitur, mandata quædam nova complecti illam necesse est, non cordibus dumtaxat inscribi priora mandata ad illorum observantiam obtinendam; neque enim Princeps novam condere legem dicitur, dum Legem diu antea latam imperat exequutioni demandari. Utrumque autem in adventu Messiæ promisit per Prophetas Deus: & Legem novam se daturum, & hanc ipsam cordibus, & visceribus populi sui insculpturum.

141. Obj. tertio. Matthæi III. dixit Christus: *nolite putare quoniam veni solvere legem aut Prophetas*: non veni solvere, *sed adimplere*. Venit autem Christus non ut Legislator, sed ut Salvator Mundi, juxta illud Matthæi I. *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Joannis autem III. habetur: *Non enim Deus misit Deus Filium suum in Mundum, ut judicet Mundum sed ut salvetur Mundus per ipsum. Ad* Galatas IV. scribebat Paullus: *Misit Deus filium suum*,

Digitized by Google

ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege. Quomodo autem qui ſub lege erat condere leges poterat & ferre? Denique Joannes Capite Evangelii I. inquiebat: *Lex per Moyſem data eſt; gratia, & veritas per Chriſtum facta eſt.* Legem itaque Divinam novis Chriſtus non auxit præceptis; ſed phariſaicis contaminatam corruptelis ſolum repurgavit.

142. *Reſp.* Chriſtum non veniſſe ſolvere Legem & Prophetas, ſed potius adimplere, quia ipſe omnium complementum figurarum, omniumque legis veteris ſignificationum: perfectiſſime vero Legem impleviſſe, non eam tantum explicando; ſed magis exprimendo ea, quæ tacite tantum in Lege continebantur. Chriſtus revera, non ſolum vicem talionis, libellum repudii, uſuram cum exteris, poligamiam, aliaque non pauca in Judæis tolerata abrogavit; verum etiam bona gratis exhibere, mala ſuſtinere libentius quam facere, pro veritate contumeliam lucrum putare, nullam injuriarum ultionem quærere, inimicos diligere; pro male dicentibus orare; percutienti maxillam præbere alteram præcepit: quæ omnia ad veram pertinere Legislationem.

Quia vero præcipua adventus ipſius cauſa fuit juſtificatio noſtra, & ut ipſius ope gratiæ obſervationem Legis impleremus, Legis, inquam ſpiritualis, Legis amoris, & Salutis, idcirco Salvator potius, quam Legislator appellatus eſt. Locus Joannis III. Helleniſmus eſt, quo adverbium abſolute negativum, non abſolute tamen negat, ſed vim habet comparativæ præpoſitionis, ut exemplis jam plurimis oſtendimus: quibus hæc addi poſſunt: Pauli ad Corinthios I.: *non miſit me Chriſtus baptizare, ſed prædicare; ideſt* non baptizare ſolum, ſed etiam, immo magis evangelizare; baptizaverat quippe aliquos etiam Paullus, ut ipſe de ſe fatetur. Ad Epheſios autem IV. idem ſcripſit: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem; ſed adverſus Principes, & Poteſtates tenebrarum harum*, hoc eſt, non modo adverſus carnem, & ſanguinem; ſed etiam adverſus Dæmones qui in his tenebris habent poteſtatem. Proindeque objectæ ſenſus propoſitionis eſt: non enim tantummodo miſit Deus filium ſuum ut judicet Mundum; ſed immo, & multo magis, ut ſalvetur Mundus per ipſum. Revera quomodo Chriſtus non fuiſſet Judex dum ipſemet apud eumdem Joannem V. dixerit: *Pater omne* judicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem? Judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me. Nonne conteſtante Apoſtolo Petro, conſtitutum ſe dixerat a Patre Chriſtus ipſe vivorum Judicem, & mortuorum?

Moſaica ſub Lege, quatenus homo fuit Chriſtus, quia perſeveratura ipſa erat uſque ad ulterius promulgationem a Chriſto inſtitutæ. Quodnam autem inconveniens, ut qui aliqua ſub lege naſcitur, eam demum abroget, & novam inducat? Nullum certe. Denique lex dicitur per Moyſem data; gratia vero & veritas per Chriſtum, quia hic dum Legem Moyſis perficeret, gratiam quoque contulit, qua Legem impleremus: quod egregie docet Apoſtolus ad Romanos III. ſcribens: *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus.* Si quando igitur Paullus Legem opponit Evangelio, ſub eadem reduplicatione id ſemper præſtat ſecundum quod lex figuras, & umbras, præceptaque ritualia continebat: & propterea quod Moſaica in Lege Spiritus erat ſervitutis, quum in Lege Chriſti ex oppoſito Spiritus ſit adoptionis, & eorum, quæ promiſſa fuerant, veritas & complementum.

Admirationem ingerit Calviniſta Pictetus, dum diſſertatione VI. de præſtantia & divinitate Religionis Chriſtianæ, omnia recenſens ipſius præcepta, conatur oſtendere, alia quidem in Moyſis Lege jam contenta fuiſſe, alia aliquibus Philoſophis antea probata, alia demum velut a naturæ lumine profecta, inde ut inferat, nova in œconomia res tantummodo propoſitas evidentius fuiſſe; & myſteria Religionis clarius tantum fuiſſe revelata. Errat ille tamen maxime. Nam præterquamquod omni in legislatione non hoc vel illud mandatum, ſed præceptorum complexio attenditur, & rerum; quis adhuc dixerit, Chriſtianos Evangelii Legibus obtemperare, propterea quod earum aliæ fuerint jam Moſaica in œconomia receptæ, aliæ in Philoſophorum elucubrationibus contentæ?

146. Promulgatus jam quidem a Moyſe fuerat Decalogus. Verum præterquamquod Judæis tantum fuerat promulgatus, minime vero Gentibus, ex quibus potiſſimum Chriſti Eccleſia conſtituta eſt, & quæ a ſolo Chriſto Decalogi leges acceperunt; accedit, Chriſtum, Decalogi legem inculcando, explicando, confirmando, & perficiendo, ſuam feciſſe legem: quare Chriſtiani Decalogo tenentur ſub Legislatore Chriſto. Sane ſi infiniti ſane populi ſuas reliquere Leges, ut Chriſtianæ nomen darent, quemadmodum præſtantiam hujus cum illarum imperfectione conferens, egregie exponit Theodoretus Libro contra Gentiles 9., qui eſt de Legibus; quum eos, a quibus leges Æthnici acceperant, veros fuiſſe Legislatores nemo negaverit, Minoem ſcilicet, Numam, Solonem, Lycurgum, alios, cur de vera Chriſti legislatione dubitabimus? præſertim quum Chriſtus tot moralibus præceptis, & Decalogi Legibus perfectiore modo inculcatis novum adjecerit Religionis ſacrificium, nova Sacramenta, ritus novos, novas Apoſtolorum ſaltem miniſterio cæremonias: quarum omnium complexio novam

vam constituit legem a Mosaica & reliquis omnibus diversam. Idem Pictetus allegato loco sabbatum, totque caeremonialia, & judicialia Mosaicae legis praecepta per Christianam Religionem abrogata fuisse concedit. Quomodo igitur novae rationem Legis non habuerit Religio Christianorum? Num lex vetus abrogare seipsam potuit, vel jussit? Num nova non inducta lege Christiani, a tot tantisque in veteri praeceptis abstinere debuerunt?

147. Obj. ultimo. Jacobus Apostolus in sua Catholica Epistola Cap. 4. inquit: *Unus est legislator & judex, qui potest perdere, & liberare*. Atqui ex orationis serie intelligitur Apostolum tunc non locutum esse de Christo sed de Deo Domino; ergo &c.

148. Resp. scopum Apostoli illo fuisse in loco averruncare ab hominibus sinistrum de proximo judicium; scribebat siquidem: *Nolite detrahere alterutrum, fratres: qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem: si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. Unus est Legislator, & Judex, qui potest perdere, & liberare: tu autem quis es, qui judicas proximum?* Quibus verbis privatos retrahit Christianos a praecipiti adversus proximum judicio; nunquam vero negat, Christum fuisse Legum latorem, & judicem. Et sane Isaias Capite II. ceteros inter Messiae Characteres hunc etiam recenset: *& judicabit Gentes, & arguet Populos multos*. Et Michaeas Capite 4. similiter inquit: *& judicabit inter populos multos, & corripiet Gentes fortes usque in longinquum*. Placet heic audire Gregorium Magnum Libro Moralium XXIII. Capite III. ita egregie disserentem: *Dominus ad redemptionem nostram veniens novum a se testamentum condidit; sed ejusdem nos Testamenti mandato discutiens, quandoque etiam Judex venit, ipsa enim veritas per se dicit: Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit filio. Erit ergo tunc Rector judicii, qui nunc est conditor Libri; ut tunc districtus exigat, quod modo mansuetus jubet*. Patet igitur, Christianos eumdem habere Messiam Legislatorem, cui obediant; Redemptorem adjutoremque, cui fidant; Judicem demum, a quo praemia pro meritis vel judicia expectent. Sed de his satis.

DISSERTATIO II.

DE BAPTISMO.

CAPUT PRIMUM.

De Origine ac Institutione Baptismi.

1. Triplex hominum genus originem ac institutionem Baptismi sibi illustrandam sumpsit. Fuere aliqui eruditione florentes Catholici, qui omnes non modo lotiones antiquarum gentium hoc loco memorandas operae pretium duxere; sed eas praesertim quae fiebant circum infantes a nativitate. Inter illos eminet Petrus Daniel Huetius in quaestionibus Alnetanis Capite XX. ubi ab universis prope populis baptizatos fuisse vix natos infantes contendit, eosque etiam, qui aliquibus sacris apud Ethnicos initiabantur: quo cum facit doctus Lafitavius suo in opere de moribus Sylvestrium Americanorum collatis cum moribus Populorum veterum, quo ostendere conatur, Baptismi ritum fuisse universalem; Barbarosque recens detectos, haud secus quam gentes antiquissimas, puerum quemcumque natum aquis demergere solitos fuisse, quo veluti initiaretur.

2. Aliud hominum genus est, qui, specie illustrandi originem Baptismatis, illud potius fatagunt ut labefactent: quemadmodum Joannes Flojer sua in Psychrologia, sive in historia balneorum frigidorum, ubi ut inficiaretur Baptismum novam fuisse Christiana in societate caeremoniam, ac legem, contendit, integras apud Gentes receptum moribus fuisse, ut filios suos vix natos, aut sanitatis, aut membrorum firmandorum causa, in fluvios, vel in aquam frigidam immergerent: ejusmodi propterea occasione consuetudinis inductum consequitur Christianam in Religionem Baptismum, hoc est, profanum ritum, in sacrum transmutatum fuisse; quemadmodum occasione balneorum, quae verno atque aestivo usurpabantur tempore, ortum sibi aliisque persuadere studet morem baptizandi Catechumenos vigiliis Paschatis, & Pentecostes: quod id anni tempus balneis aquae gelidae maxime conveniat: de neglecta sequutis temporibus baptismali immersione etiam quaestus, cujus ex omis-

Digitized by Google

ex omissione incommoda plura in sanitatem defluxisse nostram ponit.

3. Tertium Scriptorum genus plures sunt Hebraizantes, qui ex Proselytarum Baptismo apud Judæos, Baptisma nostrum originem quodammodo traxisse arbitrantur. Proselyti Judæorum, inquiunt illi, ætate Christi, non Circumcisione modo, sed Baptismate æque donabantur. Poterant externi quilibet, quos majoris religionis, divinæque studium gloriæ commovisset, ad Judæos se adjungere, voluntariam Circumcisionem subire, totam Moysis legem profiteri; tum participes facti in legitimo ante Christum Religionis fœdere, in grege oriundorum ex Israele annumerabantur, iisdem usi juribus, si pauca excipias, de ducenda uxore Israelitide, de regendo magistratu, de consequendis amplis honoribus viro origine Judæo habitis. Hi Proselyti *justitiæ*, & *fœderis*, qui statim a sanata Circumcisionis plaga baptizati, recens in Dei populo nasci dicebantur, veteremque dirimere cognationem, ac propinquitatem: quo spectavit Christus Joannis III. Nicodemi Magistri in Israel ignorationem admiratus. Gebhardus Theodorus Majerus, in historia Religionum Christianæ, Judaicæ, Gentilis, & Mahummedanæ Cap. V. §. 6. præ ceteris scribebat: „ His ritibus primus Tertullianus „ nomen Sacramenti imposuit, termino ex militia sumpto. In institutione autem Sacramentorum Novi Testamenti identidem condescendentiam Dei & Christi admiramur. Scilicet, „ in gratiam Judæorum non novi, sed noti & „ frequentes apud Judæos ritus in Sacramenta „ sunt transumpti, quod distincte ex historia „ docemur. Per tria quis fiebat Israelita per „ Circumcisionem, Baptismum, & sacrificium, „ ut Judæi uno ore docent, quorum trium est „ hoc axioma: *Non est quis Proselytus usquedum circumcidatur, & baptizatur*. Dudum etiam „ ante natum Christum, tempore veteris Testamenti, baptizandi ritus Judæis, frequentatus „ est, & quidem eum in finem, ut per eum „ Proselyti admitterentur ad Ecclesiam Judaicam. Et sane quia Baptismum non novum „ quid erat, ideo homines prompte accurrunt „ ad Joannem recipere Baptismum, nec seniores „ in populo de Baptismo ipso, sed de potestate „ baptizandi, Joanni quæstionem movent. Ergo „ ex Ecclesia Judaica nomen, & ritus Baptismi „ transumpti sunt in Ecclesiam novi Testamenti, „ ut ea Christiani initientur, atque Ecclesiæ ut „ membra inserantur, supperaddito tamen singulari Dei Verbi, & institutionis, & promissionis. Baptismus Judæorum nudus erat ritus, „ humana auctoritate inductus: Baptismus autem „ Novi Testamenti est ritus idem, sed auctoritate divina institutus, habens mandatum Dei, „ & promissionem gratiæ, quibus destituitur Judæorum Baptismus. Ita igitur ad lucrandos „ Judæos placuit Deo petere ab iis ritum initiationis Christianorum, eumque suo Verbo „ confirmare. Ita ille, unde inferat, Baptismum, „ non absolute ac simpliciter, sed ut ritus est initiationis in Christianam professionem, divinæ „ esse institutionis “.

4. Meditationibus tamen ejusmodi animadversiones nostras adjiciamus. Priore autem loco generatim observare æquum est, non unice pro infantibus, sed etiam, immo vero potissimum pro adultis institutum fuisse Christi Domini Baptisma: & ætate non modo Apostolica, sed vegeta etiam, & provecta Ecclesiæ Catholicæ ætate, adultos baptizari communiter solitos fuisse; quamvis tum etiam non ignotus fuerit Infantium Baptismus. Etiamsi vero vigiliis Paschatis ac Pentecostes olim Baptisma conferri solemniter consüeverit; nonne adhuc tamen myriades tum infantium, tum adultorum, extra tempus illud fuere primis etiam temporibus sacro Baptismate donatæ? Itaque neque lavacrum commune infantium vix natorum, roboris, ac sanitatis causa, transmutatum in sacram lotionem fuit; neque veris, ac ætatis balnea in sacrum Paschæ ac Pentecostes lavacrum fuere transmutata.

5. Rejicitur autem communiter in præsens methodus Huetii, qua profanarum congerie rerum sacræ illustrabantur. Sunt immo quibus hæc non bene junctarum discors concordia rerum infinitum displicet; quum affines in ritus atque mores diversissimi labi possint populi fortuna, casu, & finibus qui nullam unquam inter se affinitatem, aut ne analogiam quidem habuerunt. Quamvis enim apud omnes prope gentes corporis, aut partium ejus lotiones & purgationes in eorum sacris usurpatæ signum ac symbolum quodammodo fuerint purgationis animi, haud satis tamen est generalis ipsa significatio ut illæ cum Baptismo Christi conferantur. Nonne scribit allegato loco Huetius ipse: *Romani lotionibus & aspersionibus sæpe utebantur. Notæ recentium a partu infantium lotiones nota mersiones matutina in Tiberi, vel Mari, aquæ ter repetitæ; quod a Christianis in honorem Sanctæ Trinitatis solebat fieri, id Ethnicis ob vim terno numero inesse creditam facientibus*. Statim igitur atque diversum adeo utriusque erat gentis consilium ac agendi motivum, quorsum una lotione uteris ad aliam illustrandam?

6. At enim vero, inquiunt profani quidam homines: qui novis religionibus consecrari volebant Gentiles, per lavacrum initiabantur. Tertullianus Libro de Baptismo Capite V. inquiebat: *sed enim nationes vidùis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus Mitræ*. Divus autem Augustinus Libro VI. de Baptismo Capite 25. scribebat: *Nam in multis Idolorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibentur*. Lucius revera Apulejus Libro XI. de Asino aureo ita initiationem suam describebat: Deus

 monuit

monuit advenisse mihi diem semper optabilem, quo me maximi voti compoteret, ipsumque mithram illum suum Sacerdotem præcipuum sacrorum Ministrorum decernit; jamque tempore, ut ajebat Sacerdos, id postulante, stipatum me religiosa cohorte deducit ad proximas balneas, & prius sacro lavacro traditum, præfatus Domini veniam purissime circumrorans abluit, ex quibus inferunt, non purgationis modo, sed initiationis æque lavacrum, vetus ac jam receptum fuisse ante professionem Christianam institutum.

7. Responderi primum tamen potest, nil inde extundi posse adversus divinam Christiani Baptismi institutionem. Demus enim vel ante prædicationem Christi, Gentes aliquas fuisse falsis Religionibus per lotionem initiatas, num propterea sequeretur ad earum imitationem fuisse Baptisma nostrum institutum? Minime sane Gentium: nam ut alibi innuimus, ac milleni scriptores adversus Spencerum ac Marshamum animadverterunt: mira prorsus est ea ratiocinii connexio: hæc vel illa consuetudo, hæc vel illa cæremonia apud Gentes quoque obtinuit; itaque Judæi, aut Christiani illas a Gentibus desumpsere: quemadmodum nec sequitur, itaque Gentes eas Judæis, aut Christianis debent. Affinitas rituum nihil in utramque partem probat. Nonne fieri facile potuit utraque ut consuetudo, ac cæremonia & Judæis & Gentilibus, & Christianis placeret? quare opus nullo modo sit constituere alios ab aliis hos vel illos ritus fuisse imitatos.

8. Quamvis tamen communiter loquendo verissimum id totum sit: iique nos non simus, qui arbitremur Ethnicos posteriores tot tantaque adeo a Judæis & a Christianis fuisse mutuatos, quot quantaque nostri olim cogitabant: attamen ubi de cæremoniis quibusdam agitur Sacramentalibus, prope suspicarer, Gentiles nonnullas etiam Christianas mediis præsertim Gnosticis fuisse æmulatos. Idoneus ejus rei auctor est Tertullianus in Libro de Præscriptione Capite XL. scribens: *Diabolus ipsa quoque res Sacramentorum divinorum, Idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam utique credentes, & fideles suos; expiationem delictorum de lavacro promittit; & si adhuc memini, mithra signat illic in frontibus milites suos; celebrat & panis oblationem & imaginem resurrectionis inducit.* Habuisse igitur Ethnicos non dubitamus ante Christi tempora innumeras purgationis lotiones, innumeras ablutiones expiatorias, quemadmodum fuse adnotat Ezechiel Spanhemius, observatione ad Juliani Cæsaris orationem primam; ad easdem allusisse videtur Jeremias Cap. XV. Verum nonnisi imitatione Christianorum inducta videtur lotio initiationis, institutione sacrificii Taurobolii, quo qui Tauri occisi sanguine perfundebantur, *renati* inde appellari consueverunt, ita regenerationis lavacrum ex ritibus nostris derivantes, quemadmodum post Sanctos Patres, hoc de argumento agens copiose evincit Vandalæus: hocque unicum allusisse ad sacrificium videntur Tertullianus, & Augustinus, eorum si dicta intimius inspiciamur.

9. Reliquum est ut de Baptismo initiatorio apud Judæos circa Christi tempora dicamus. Non diffitebimur, illum admissum & vindicatum a præclaris Hebraizantibus fuisse. Animadvertit tamen Christophorus Matthæus Pfaffius, tum in originibus Juris Ecclesiastici, tum introductione in historiam Theologiæ litterariam, tum denique in dissertatione præliminari ad Spenceri libros de legibus Hebræorum ritualibus, viros doctissimos fuisse, qui Proselytorum Baptisma apud Judæos ante Christi prædicationem receptum negavere præsertim Ovvenum in Theologumenis Libro V. Knatbbullum in I. Petri III. 20. 21. Vernsdorfium in recentioribus de Baptismo controversiis, ac de origine Baptismi Christianorum mere divina. Deylingium observationum sacrarum Parte III. observatione XXVI. Zelmerum de initiis Baptismi initiationis Judæorum; Schynum in historia Mennonitarum; Grapium in Theologia recens controversa, & in amænitatibus critices, Josephum Languetum Episcopum Suessionensem, de vero Ecclesiæ spiritu in usu suarum Cæremoniarum; quibus addere Pfaffius potuisset, & quidem hebraizantes non infimi subsellii.

10. Et sane, minime quidem negaverimus, plura obtinuisse apud Judæos Baptismata, sive ablutiones lege Moysis præceptas, neque aliquid frequentius in Judæorum veteri historia ac moribus fuisse, quam vasa, Baptisteria, Urnas, hydrias, legalibus purificationibus ipsorum destinatas. Simul tamen novimus notatas in Evangelio fuisse superinductas, atque extra legem a magistris Pharisæorum præceptas tot illas manuum, poculorum, urceorum, vasorum æneorum, & luteorum ablutiones. Sacræ profecto Litteræ in Proselytis Judaicam ad Religionem admittendis adhibitam semper Circumcisionem memorant, numquam tamen Baptismum. Recensetur Raab Hierichuntis, Ruth Moabites, Achior ætate Judith, omnis Idumæus populus tempore Machabæorum, tot alii Proselyti, absque ullo Baptismo Judaicam ad Religionem admissi. Accedit silentium Flavii Josephi, Origenis, Julii Africani, Hieronymi, omnium Patrum, qui baptizatos numquam dixere Judaicam in gentem ex Gentibus ingressos. (a)

Nihili igitur faciendam ducunt viri aliquot doctis-

(a) Si quis verba Apostoli I. ad Corinth. objiciat, aut Christi apud Marcum 38., quibus in locis & Moysen præcepisse Baptismum in nube, & in Maris Christum baptizare, Baptismo passionis suæ

doctiſſimi Rabbinorum hac in re auctoritatem; tum nimis poſteriores ſunt ætate Chriſti, quare Judaicis de conſuetudinibus illorum temporum idoneam facere fidem poſſint; plurium quippe ſapientum ſententia, potiora non habemus de ſacris & profanis Judæorum Apoſtolicæ ætatis ritibus, moribuſque monumenta ſcriptis Novi Teſtamenti; tum magis quia haud videtur veriſimile, Jeſum Chriſtum pro janua per quam ad novam ſuam Religionem aditus pateret, eum electurum fuiſſe ritum, quo ad legem Moyſis accedebatur, quippe primam Judaiſmi profeſſionem exprimebat. Addunt autem Chriſtum de Nicodemo fuiſſe admiratum non quod ignoraſſet hic baptiſmalem initiationis cæremoniam, quæ nullam adhuc tum apud Judæos erat; quippe quod ſola tunc ipſi Baptiſmata purgationis uſurparent; ſed propterea quod ea, quæ Chriſtus de regeneratione animi dicebat, Nicodemus interpretaretur de regeneratione corporis; ac Magiſter in Iſrael quum foret, Prophetias ſpondentes tempore Meſſiæ futuram regenerationem in aqua nihilo ſecius ignoraret.

11. Ejuſmodi momentis plurimi originem Baptiſmi initiationis, etiam quod exteriorem ſpectat ad ritum, ſoli eſſe aſſerendam Salvatori noſtro conſequuntur. Nos tamen, materiali tantum ſpectato ritu, quæſtionem hanc inter adiaphoras collocaremus. Nihil enim prohibere reperimus, quin Chriſtus, in gratia præſertim Judæorum, jam receptos in Judæa ritus, ſua in Sacramenta evectos, benedictos, ſanctificatos, ac tranſmutatos eſſe voluerit, quemadmodum contigiſſe videbimus impoſitioni manuum in ſacrorum inſtitutione Miniſtrorum. Nec enim ex quo ablutionem in aqua elegiſſet Chriſtus convenientem cum Baptiſmate initiatorio Judæorum, ſuſpicari fas eſſet, Baptiſma a Chriſto inductum, non fuiſſe novum adhuc omnino ritum, & ab initiatorio Judæorum Baptiſmate adhuc quam maxime diverſum: quippe Baptiſmus Chriſti, non nudus erat aquæ Baptiſmus, quemadmodum initiatoria fuiſſet Judaica ablutio, ſed Baptiſmus fuit, invocatione plenæ & adunatæ Trinitatis ſanctificatus, & perfectus. Baptiſmalis cæremonia Judæorum, ritus fuiſſet humana auctoritate introductus, ob quam Proſelyti nec omnibus frui potuiſſent Judæorum juribus, qualia erant de ducenda uxore Iſraelitide, de regendo magiſtratu, de conſequendis denique amplis honoribus viro origine Judæo ſolum concedendis. Ex oppoſito Baptiſmus a Chriſto Deo inſtitutus, veram ac interiorem regenerationem præſtans, eo initiatos, non modo liberos efficiebat, verum etiam juſtos, ſanctos, filios Dei, fratres ac hæredes Chriſti, templumque Spiritus Sancti: quæ omnia non diverſum modo, ſed novum prorſus conſtituebant ritum, & Chriſtianæ Religionis ab infidelibus ſectis diſtinctivum. Nos autem qui Theologiæ ſtudio gloriamur, ut jam ſuperiori in Tractatu innuimus non ſemel, Sacramentales ritus, ſive Sacramentorum materias non conſiderandas ducimus ſecundum partes eorum phyſicas ac materialiter ſpectatas; ſed potius, ac magis juxta virtutem eorum ac vim, & juxta finem, ob quem Salvator noſter eos ritus uſurpari voluit, ut juſtitiam ſcilicet in nobis efficere pro Chriſti voluntate ipſi valent, vel incrementum gratiæ, & ſanctitatis.

12. Non convenit inter ſanctos Patres de tempore quo Baptiſmus a Chriſto inſtitutus eſt; nec enim maximi momenti id definire aut in controverſiam ponere duxerunt. Nonnulli ante paſſionem ſuam ac mortem, id a Salvatore præſertim ſuſpicati ſunt: nonnulli poſt ſuam ſolum a mortuis reſurrectionem, dum apparens Apoſtolis apud Matthæum XXVIII. inquit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Opinio Beati Thomæ eſt, Sacramentum hoc jam aliqualiter fuiſſe inſtitutum in ipſo Chriſti Baptiſmo, ut ejus utar verbis III. Parte quæſtione LXXIII. Articulo V. Verum illius neceſſitatem poſteaquam reſurrexit indictam; tum quia, ut ait ejuſdem Partis quæſtione LXVI. Articulo II. in paſſione Chriſti complementum habuere ſuum veteris Sacramenta legis, quibus Baptiſma, aliaque Novæ Legis Sacramenta ſucceſſere, tum etiam quia per Baptiſmum configuratur homo paſſioni, & reſurrectioni Chriſti, quatenus homo peccato moritur, novamque incipit juſtitiæ vitam: proindeque oportebat Chriſtum prius pati ac reſurgere a mortuis, quam hominibus ſe ſe morti, ac reſurrectioni ejus configurandi imponeretur præceptum.

CA-

ſuæ habetur; in promptu foret reſponſio, utroque in loco de metaphorico & allegorico baptiſmo ſeu per ante longum ſermonem &c. Sic Joannes quod Matth. 3. de Chriſto agebat: ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni alludens ad viſibilia dona & gratias gratis datas. Baptizati igitur dicuntur Patres Judæorum in Moyſe in nube & in Mari per miraculum, Idumæi Maris tranſactionem & per nubem Iſraelitis præeuntem caſtris, legationem Moyſis divinam fuiſſe intelligentes, omniaque in figura contingebant illis. Mare ſcilicet quod tranſmittebant & quo undique cincti erant baptiſmalis aquæ erat Typus; nubes vero ſymbolum Sancti Spiritus.

Digitized by Google

CAPUT II.

De qualitate Baptismi.

13. QUI apud Anglos Quackeri appellantur, inter quos eminent Villelmus Dellus, & Benjaminus Holmius, in libellis novissime scriptis censent, ac propugnant, Evangelicum Baptisma non aquæ esse oportere, sed spiritus; non exterius & materiale, sed internum tantummodo ac mysticum, propterea nomen ac præceptum Baptismi esse metaphorice intelligendum.

14. Hujus fundamentum paradoxi illud sumunt, quod sacris in Litteris sæpe adeo mataphorice vox aquæ, ac nomen Baptismatis sumantur. Christus apud Joannem IV. inquiebat: *Qui bibit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam:* & apud Joannem VII. rursus: *si quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quænam autem aqua ejusmodi futura foret, explicat Evangelista confestim subdens: *hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Æque metaphoricum est, inquiunt, Baptismi nomen: nam Apostolus I. ad Corinth. X. inquiebat, Patres nostri omnes in *Moyse baptizati sunt, in nube & in mari.* Christus ipse apud Marcum Capite XXXVIII. ita matrem filiorum Zebedæi alloquebatur: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & Baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Quo in loco mortem suam Baptismi nomine donavit. Quid plura? Joannes ipse Baptisma apud Matthæum III. agebat: ego quidem baptizo vos in aqua: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni: quibus verbis oppósuit Baptisma suum Baptismo Christi, propterea quod suum, in aqua constitutum foret; Christi vero baptisma in igne charitatis, qui Christianis virtutibus flammesceret, ut explicasse videtur Apostolis Salvator inquiens: *Joannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizamini Spiritu Sancto non post multos hos dies*, sicut legimus Actorum I. Totus itaque Christianorum Baptismus in interiori consistit sanctitate, inquiunt Adversarii; itaque interiori illustratione Sancti Spiritus, quemadmodum docebat Apostolus Petrus Capite Epistolæ suæ primæ tertio dicens: *Salvos fecit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum:* ipseque adeo Beatus Paullus externum Baptisma inter imperfectas recensebat veteris Testamenti cæremonias, quæ, ut ad Hebræos IX. inquiebat, *non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis Baptismatibus & justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* Quum ex opposito in Epistola ad Titum III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos, ubi non aliud salutare lavacrum admittit, quam effusionem Spiritus sancti.* Ad Romanos autem VI. Baptisma nostram hoc elogio donavit: *Consepulti sumus cum Christo per Baptismum in mortem; ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus;* atqui mors & vita Christiani hominis est solum metaphorica, & spiritualis; itaque mysticus & spiritualis, & interior tantum sit oportet ejus Baptismus: quod intellexit Augustinus Tractatu II. in Joannem, verba illa Christi ad Nicodemum: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c. non carnaliter, sed spiritualiter accipienda esse contendens. Repugnare denique videtur, Christum instituisse Baptisma aquæ materiale, atque exterius, neque tamen aut Apostolos, aut Septuaginta duos Discipulos, fuisse lavacro ejusmodi donatos.

15. Nihil adeo tamen certum est, quam a Salvatore exteriorem aquæ Baptismum fuisse institutum. Dum quippe dixit Nicodemo: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intraire in regnum Dei*, non ne lotionem ex aqua satis distinxit ab illustratione Sancti Spiritus? Dum pariter Apostolis dixit: *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, nonne significavit actionem baptizandi distincta ab actione docendi respectu Apostolorum, multoque magis diversam ab interiori sancti Spiritus illustratione, quæ futura erat in gentibus Baptismum accepturis?

16. Narrat Lucas Capite Actorum VIII. Eunuchum Reginæ Candacis, qui cum eodem curru Philippus vehebatur, ejusdem Diaconi permotum verbis, incredibili Christiani Baptismatis, de quo Philippum magnifice prædicantem audierat, recipiendi desiderio flagravisse, & simulatque ad quamdam pervenissent aquam, dixisse: *Ecce aqua*: quid prohibet me baptizari? utrumque statim de curru descendisse, & a Philippo fuisse Eunuchum in aquam immersum. Credemus ne aquam se se Eunuchi oculis objectam, & in quam ipse descendit, fuisse metaphoricam? Nihil profecto minus.

17. Divus Paullus in epistola ad Corinthios prima, capite I. ita ad eos scribebat: *significatum est mihi, quia contentiones sunt inter vos, quod unusquisque vestrum dicit: ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego vero Christi. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, & Cajum: ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterum nescio*

Digitized by Google

Icio si quem alium baptizaverim: non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare. Quid clarius his verbis, ut intelligatur hic agi de vero exteriore, ac proprio Baptismate: præsertim quum adjiciat Apostolus, se Corinthios plantasse, hoc est, illis prædicasse; Apollinem rigavisse, scilicet baptizasse; Deum dedisse autem gratiæ, & sanctitatis incrementum: nec aliud esse se, & Apollinem, & Petrum, quam distributores Sacramentorum Dei.

18. Rursus idem Apostolus ad Hebræos VI. *quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ex operibus mortuis, & fidei ad Deum; Baptismatum doctrinæ impositionis quoque manuum, & resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.* Nempe lectores suos graviora, & altissima edocturus, se jam non acturum protestatur Paulus de initiis fidei, deque Baptismo, de impositione manuum, ac similibus; quæ jam erant fidelibus notissima; atqui nomine impositionis manuum, non aliquid metaphoricum denotare potuit Apostolus; sed sensibilem cæremoniam, ac ritum: itaque & idem de voce Baptismatis sentiendum. Denique ad Ephesios V. docebat Christum mundasse Ecclesiam *lavacro aquæ in Verbo vitæ*: & ad Hebræos X. subdebat: *Accedamus, ergo cum vero corde in plenitudine fidei aspersi corda a conscientia mala, & abluti corpus aqua munda.* Ubi externam corporis ablutionem ab interiori purgatione conscientiæ distinctam esse apertissime ostendit

19. Jam vero, ex quo voces Baptismatis, & aquæ, sacris in Litteris aliquando metaphorice accipiantur, consequi inde, eas esse semper allegorico sensu intelligendas, perinde foret, ac ex quo voces Caput, manus, pedes, non semel allegorice interpretari oporteat, aliquis inferre vellet, eas numquam literalem sensum pati: quod nemo esse falsissimum non videt. Accedit nonnulla Baptismata objecta, dici quidem posse allegorica, & mystica; si actio lavandi præcise consideretur, purgationem effecisse tamen signo sensibili, & conspicuo: quemadmodum baptizati fuisse dicebantur Israelitæ in nube, ac mari, quia miraculosus Eritræi maris transitus, & nubes, quæ castra Israelitarum præcedebat, conspicua ac sensibilia fuere signa divinæ erga illos protectionis. Sic Apostoli a Christo baptizandi dicebantur in Spiritu Sancto, & igni, quia igneæ linguæ, quæ super eos descensuræ erant die Pentecostes sacro, signum Sancti Spiritus sensibile futuræ erant, atque manifestum. Nos anno MDCCLII. de Baptismate in Spiritu Sancto, & igni Commentarium edidimus sacrum Philologico-Criticum, ut ostenderemus, Baptisma ejusmodi ad restitutionem pertinuisse donorum Ædis Salomonicæ, quorum potiora adveniente Messia sperabantur a Judæis restauratum iri. Itaque promissionem illam Apostolis a Salvatore factam suum evicimus habuisse complementum, dum sacer ignis lucida cum nube, sive gloria Domini majestatica, super Apostolos, ceterosque credentes, de cælo venit die Pentecostes sacro; eaque ratione tunc exardescere visus est ignis sacer, qua dum in Æde Salomonis consumebat Altaris holocausta: quare facta fuerit Apostolicæ Ecclesiæ dedicatio, uti olim facta fuerat dedicatio Templi Salomonis. Verum hæc ad arcani res ac domesticas spectabant Judæorum illius ætatis Traditiones. Duo satis esse debent in præsens: alterum est, Baptismum quoque in Sancto Spiritu, & igni conspicuo fuisse symbolo collatum, & ab interiori illustratione Sancti Spiritus distinctum; alterum est, Apostolos, vel dum Christus in terris adhuc ageret, divino Spiritu donatos, nempe a Salvatore ipso immediate vocatos, ac sanctificatos, Baptismo aquæ in eum finem non indiguisse, præsertim quum præceptum de Baptismo aquæ nonnisi post Christi resurrectionem latum fuerit; Apostoli vero ac Discipuli baptizati solemniter fuerant Sancto Spiritu, ut animadvertebat Augustinus in Epistola ad Seleuciam; Christusque Sacramentorum Auctor propter excellentiæ quam habebat potestatem absque Sacramentis homines sanctificaverit quemadmodum absque pœnitentiæ Sacramento peccata remisit Magdalenæ. In adversarios nunc vehementer facit, ut si sensibilis certe fuit Baptismus in nube, & in mari, nec non Baptismus in Sancto Spiritu, & igni, multo magis conspicuus ac sensibilis futurus erat Baptismus per aquam; per quam nempe Baptizatis Sanctus Spiritus concederetur.

20. Et vero certum est, Joannem Discipulos suos in Jordane baptizasse: quod statim atque viderunt Pharisæi, miserunt ad eum, qui ita interrogarent: *quid ergo baptizas, si tu non es Christus*? ut legimus Joannis I. Quid ex hoc autem obsecro intelligitur? Illud sane: Judæos ex Traditionibus suis habuisse, futurum, ut Messias dum venisset, populum Baptismo aquæ esset initiaturus.

21. Adde quod si Baptismus noster significare juxta Paulum debet sepulturam, & resurrectionem Christi, itaque debet esse sensibilis Baptismus, non autem Baptisma modo Spiritus, res quippe spiritualis significari quidem potest, sed signum ipsa esse ac Symbolum non potest; sique Baptismus in fide tantum ex Christianis virtutibus consisteret, pertinere ad pueros non posset: quod tamen, ut videbimus, universæ adversatur antiquitati.

22. Nemo autem Patrum, nemo Christianorum est, qui vim atque efficaciam justificandi Baptismo tribuat, quatenus exterior & carnis ablutio est; sed immo, & solum, quatenus ablutio est in eum finem a Salvatore instituta, ab Ecclesia usurpata, a nobis accepta, & quatenus ablu-

Digitized by Google

ablutio est cum invocatione plenæ, & adunatæ Trinitatis. Ex quo tamen invocatio hæc vim tribuat & efficaciam ablutioni, non minus tamen & ista præcepta ac necessaria est. Optime Divus Augustinus Tractatu XV. in Joannem: *quid est Baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo vitæ. Tolle aquam, non est Baptismus; tolle verbum non est Baptismus*: proindeque dum hic Sanctus Pater docuit verba Christi ad Nicodemum: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto* &c. non esse carnaliter, sed spiritualiter intelligenda, non id docuit respectu aquæ, sed respectu regenerationis; nec id docuit respectu Symboli & instrumenti gratiæ in aqua baptismali; sed respectu insanæ interpretationis Nicodemi, existimantis Christum qui promittebat cælestem hominum regenerationem, spopondisse iteratum eorum ortum, ac propterea dicentis: *quomodo potest homo nasci cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, & renasci?* Est hæc carnalis interpretatio, quam removendam esse contendebat Augustinus, qui Nicodemum recordari oportuisse subjiciebat verborum Dei apud Ezechielem Capite XXVI. effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: nec non domesticarum Traditionum spiritualem regenerationem in aqua diebus Messiæ promittentium; ex quibus intelligere facili negotio potuisset, Christum tunc non de regeneratione carnis, sed de renovatione humani animi loquutum (*a*).

CAPUT III.

De Partibus Baptismi.

23 EST itaque Baptismus Sacramentum regenerationis per aquam cum expressa invocatione Beatæ Trinitatis. Duplex est ipsius materia, nempe remota, & proxima. Prima est sola naturalis & elementaris aqua, ad quam respicit Apostolus Paullus locis allegatis; qua de re communiter consentiunt nobiscum Protestantes, quorum tamen aliqui, præsertim Beza in secunda ad Tilium Epistola arbitrati sunt, in casu necessitatis quidquid balnei loco esse potest, illud aptum esse ad baptizandum: errore sane manifesto, quum oppositum docuerint sacræ Litteræ, Concilia, Patres, omnesque juris Canonici ac sacrorum Dogmatum Interpretes: adeo quidem ut quum posteriorum aliquos suæ fautores opinionis, nullo tamen adducto teste, jactaverit citatus Beza, memoriam eum fefellisse, scripsit sincere, Calvinianus quamvis & ipse Gerardus Vossius Disputatione I. de Baptismo, Thesi V. ubi inquirens, utrum extrema agentem vino, lacte, aut simili liquore, liceat baptizare, si aqua haberi nullo modo possit, prope otiosam sibi hanc videri quæstionem regerit, quando fieri vix queat, ut vinum, lac, aut liquor similis habeatur, aquæ vero elementum communissimum non item. Hoc autem ideo verius est, quod vulgaris aqua facile adeo parabilis sit, valeatque ad Baptisma conficiendum sive salsa sit, sive dulcis, sive fontis, sive stagni, sive paludis, sive limpida, sive turbida, sive frigida, sive calida, quemadmodum nunc etiam a Græcis adhibetur, propterea quod infantes totos in aquam mergunt, ut admonet Arcudius Lib. I. de Baptismo Cap. VII. uno verbo, aqua quæcumque in qua salva & integra remaneat natura aquæ.

24. Materiam Baptismi proximam, sicut alterius cujuscumque Sacramenti, esse dicimus remotæ applicationem; ideoque immersio, sive infusio in aqua, vel ipsius aspersio, est materia proxima Baptismi. Valet propterea Baptismus, sive homo immergatur in aqua, sive in illum aqua infundatur. Quamvis enim frequentior fuerit prioribus Ecclesiæ sæculis prior consuetudo, non desunt tunc etiam tamen alterius exempla. Legimus Actorum II. Apostolos una die tria hominum millia; Actorum autem IV. altera die hominum quinque millia baptizavisse: ideoque credibile sit, tales homines per aquæ effusionem, vel aspersionem fuisse baptizatos: quamvis nonnulli animadvertant, Apostolos potuisse recepto immersionis more baptizare, præsertim quum Judæi purificationibus assueti, communiter haberent Baptisteria ad legales ejusmodi lotiones præparata: immo uti, quemadmodum Joannes, fluminum aqua potuissent. Melius itaque ad eos alii confugiunt, qui morbo gravi detenti baptizabantur in lecto, juxta morem quarto præsertim sæculo frequentem; eis namque immersio in aquam nimium nocuisset; & ante illud tempus ad Confessores plurimos in carceribus detentos, ibique baptizatos, ut plura acta Martyrum testabantur: quos equidem per solam infusionem, vel effusionem aquæ initiari potuisse satis constat.

25. Græci, fateor, nonnulli morem baptizandi per solam infusionem improbant, & carpunt. Siquidem, ut legimus in Historia Concilii Florenti-

(*a*) Baptisma non fuisse ad Originalem labem delendam institutum, neque ut intremus in Regnum Cælorum, sed necesse modo esse ut in Messiæ Ecclesiam ingrediamur & a minus perfecta ad perfectiorem transeamus vitam docuisse, postulantur Harduinus in Act. 1. 5. & in Joann. 3. 5. & Beruyerius 2. 6. Tom. II. p. 240. 244.

rentini per Sylvestrum Sguropulum conscripta sectionis IX. Cap. 9. Primicerius Patriarchæ Constantinopolitani, extra Synodum tamen, cum Petro quodam Calabrico in disputationem incidens de Baptismi Sacramento, Latinos Christianæ Religioni non rite initiatos arguebat: *quod*, inquit Historicus, *multis sanctorum Patrum testimoniis comprobavit, qui Baptismum delinearunt, ex quibus nempe ritibus in eosdem singula administrentur. Et satis existimo (dicebat Primicerius Petro) se græcarum litterarum cognitione, ac lingua usu excultum. Responde mihi igitur, quid sibi vult ista vox Baptisma? An ut aqua in alicujus caput affatim effundatur? an potius ut in fluentem descendat, & ascendat immersus undis? Inficianti autem Petro talem tunc baptizandi ritum usurpari, & Catabaptismatis nomen mereri, quod Primicerius postulet: minime respondet Primicerius, erras in etymo; nam Catabaptisma proprie accipitur, quando descendunt in undas, & non ascendunt: at Baptismus vult ut in undis Baptizati pellantur, & ab undis in ripam redeant.* Sed & Nestorius nuperus Patriarcha Jerosolymitanus in libro de Primatu Papæ Latinis objiciebat, quod per solam aquæ superfusionem baptizarent, ut ex Lequienio colligimus in Panoplia contra schisma Græcorum, cui facile sane fuit Nestorium refellere, ex notissimis Sanctorum Patrum testimoniis. Ita epistola LXXVI. Sanctus Cyprianus: *Nec quemquam movere debet, quod aspergi, & perfundi videntur agri, cum gratiam Dominicam consequuntur; quando sacra Scriptura per Ezechielem Prophetam loquatur, & dicat: adspergam super vos aquam mundam &c.* Tum ex his similibusque Scripturæ locis concludit: *unde adparet adspersionem quoque aqua instar salutaris lavacri obtinere: & quando hac in Ecclesia fiunt, ut sit & dantis, & accipientis fides, integra stare omnia, & consummari, & perfici posse, majestate Domini, & fidei veritate.* Augustinus Tractatu VIII. in Joannem simili modo inquiebat: *Hoc fidei verbum, tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem etiam tantillum, mundet infantem.* Gennadius denique Massiliensis, qui sæculo florebat Ecclesiæ V. in Libro de Ecclesiasticis Dogmatibus Capite LXXIII. intinctionem, & adspersionem, (quanto potiori jure superfusionem) ævo suo peræque usitatas tradidit, ubi Martyrium cum aquæ Baptismo contulit his verbis: *ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel intingitur; & hic vel adspergitur sanguine, vel contingitur igne.* Perperam hic autem urgeret quis voces Baptismatis, ac Baptizandi, quæ de legalibus æque purificationibus usurpabantur, in quibus satis erat adspersio.

Idoneis de caussis immersionis in Baptismo ritus videtur antiquatus, ut mulierem nempe pudori consuleretur, & ne pueris noceretur vix natis, septentrionali præsertim sub cælo, quum sub tepido etiam ut leni Græcorum, parvulos Baptismalibus in aquis non semel præfocatos oculati testes confirment; ac demum ut facilius, ac promptius Sacramentum hoc efficeretur: antiquatus, inquam, ritus immersionis fuit, non vetitus, non rejectus; non modo quia Græci, quorum Baptismum Latina approbat Ecclesia, per immersionem plurimum baptizent; verum etiam quia in laudatissimis apud Latinos Ritualibus adhuc commendatur; ætate immo nostra per immersionem in Italia ipsa traditum est sacratissimum lavacrum, quemadmodum Vir doctus, Cajetanus Cenni contestatur in Opere suo de antiquitate Ecclesiæ Hispanicæ Tomo I. Dissertatione III. Capite IV. his verbis: *Meis oculis vidi Benedictum XIII. felicis recordationis Papam, consuetudinem priscam instaurasse baptizandi per trinam immersionem, tametsi recentiorem abluendi non omiserit; sed nullo alterutram discrimine adhibuerit.* Quid quod illustrissimus Joseph Aloysius de Andujar, ordinis nostri, Episcopus Derthonensis, quolibet nunc etiam anno, pueros intra Quadragesimale tempus natos, nisi periculum immineat, statim baptizari non finit, sed Sabbato ipse sancto sacris omnes in undis immergit, ac fideles reddit?

27. Quoniam vero de trina immersione in Baptismo diximus, ejusmodi quæstio prætereunda non est. Criminabatur jam olim nostros Michael Cerularius, propterea quod unica tunc mersione sacrum lavacrum conferrent: quem morem ab Arianis Barbaris, qui Urbem olim ceperunt, atque tenuerunt, Romanos hausisse suspicabatur in Epistola ad Petrum Antiochenum. Adnotat Lequienius in Panoplia adversus Schisma Græcorum, Centuria, sive sæculo XI. Capite V. Humbertum Cardinalem, dum excommunicationis sententiam in Cerularium ejusque consortes tulit; hoc aliis cum Capitibus scripsisse: *Rebaptizant in nomine Trinitatis baptizatos, & maxime Latinos.* Quod facinus, ut impune perpetrarent, Canone quinquagesimo, ex iis, quos Apostolicos adpellitant, definitum esse causabantur, *ut si quis Episcopus, aut Presbyter, non trinam mersionem hujus Sacramenti peragat, sed semel mergat in Baptismate, quod dari videtur hoc pacto in Domini nomine, deponatur. Non enim dixit Dominus, in morte mea baptizate.* Errabant vero Cerularius ejusque socii, subdit Lequienus, Canonem hunc arbitrantes ab Apostolis sancitum, qui propter Eunomianos diu postea conditus, eorum esset hæresi recentior. Soli quippe Eunomiani, ac non reliqui Ariani, mersione unica tingebant, qua Domini mortem significarent, inquit Theodoretus Hæreticarum Fabularum Cap. IX., quum Trinitatem præ ceteris hoc ritu repudiasse viderentur, ut animadvertebat Socrates Libro V. Cap. 23. quare quum Anomæi peculiari ista cæremonia aliis Christianorum

Digitized by Google

rum Ecclesiis insueta impietatem suam adtestatam vellent, idcirco in Oriente decretum fuit, ut Baptismus eorum irritus haberetur, atque in secundo Concilio statutum est ut Eunomiani, sive Anomæi, qui ad Ecclesiam Catholicam accederent, denuo baptizarentur. Quod vero Canonem illum adtinet, ad quem Cerularius provocabat, constitutum satis est, tam istum quam ceteros nulla causa Apostolis adscribi, nec proinde tantæ oportere esse in universa Ecclesia auctoritatis.

28. Cæterum a Catholicis in Hispania in usu primum receptum est, ut mersione una Baptismus fieret, illudque Arianorum causa, qui tribus mersionibus indicari dicerent, tres esse in Trinitate substantias, seu naturas. Quando autem Gotthorum natio, ejurato Arii errore, Ecclesiæ fidem Catholicam professa est, Leander Hispalensis a Gregorio Magno sciscitatus fuit num pro veteri ritu trina deinceps mersio fieret, an una simplex in posterum adhiberetur. Cui Gregorius rescripsit ternam mersionem sibi maxime probari, dummodo Hæretici occasionem inde non captarent, majorem errori suo auctoritatem conciliandi: quamobrem satius esse semel mergendo baptizare, quum consuetudo hæc in multis jam Hispaniæ locis invaluisset. Gregorii verba sunt Lib. I. Indic. IX. Epist XL. „ De trina vero mersione „ Baptismatis nihil responderi verius potest, „ quam ipsi censetis, quia in una fide non offi- „ cit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos „ autem quod tertio mergimus, triduanæ sepul- „ turæ Sacramentum signamus; ut dum tertio „ ab aquis infans educitur, resurrectio triduani „ temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam „ pro veneratione summæ Trinitatis æstimet „ fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizan- „ dum in aquis semel mergere, quando & in „ tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in „ una potest Divinitatis singularitas designari.“ Ita Sanctus Pontifex, eo pacto statuens nil Baptismo obsistere, si vel una, vel tribus mersionibus fiat, dummodo una omnium sit, & integra fides, ac fidei confessio; rursum mersionem unicam ab Ecclesiæ Pastoribus admitti omnino posse, dum ea ad unius Divinæ naturæ fidem declarandam decernitur.

29. Quocirca unica mersio hoc sensu recepta, procul ab Eunomianorum impietate discrepabat, cujus, ut diximus causa prætensus ille Canon Apostolicus editus fuerat: perinde vero etiam terna mersio supprimi potuit, quam Ariani hæretici ad tres naturas Divinas significandas, & profitendas factitarent. Quamobrem Gregorius Pontifex laudata in epistola sic certe concludit: *Quod si nunc usque ab Hereticis infans in Baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo, ne dum mersiones numerant, Divinitatem dividant; dumque quod faciebant faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur.* En quo jure in quibusdam Latinorum regionibus usus ille inolevit unica mersione baptizandi, quem proinde tamquam irritum perperam habent Græci, absque seria, diligentique, & amica, quæ Christianos decet, Canonis, quem nobis obtendunt, quæstione & examine. At vero, uti tempore Gregorii Magni, ita quoque sub Leone IX. dum Cerularius in Latinos cum suis oblatrabat, consuetus adhuc per Occidentem ritus erat terna mersione tingendi, quemadmodum ex variis Ritualibus Libris, variisque itidem Auctoribus, qui de officiis Ecclesiasticis scripsere, certissime constat.

30. Ita hos nodos facile Lequienius solvit, quod illis pervium minime esse poterat qui uberem etiam eruditionem Theologica cum facultate conjunctam non habebant. Et vero Latinus Latinius in Epistola ad Jacobum Pamelium, in qua istius observationes in Tertullianum de Baptismo non approbabat. *Cum ante triduum*, *inquiebat*, *inter amicos me præsente incidisset sermo de Sacramento Baptismatis, deque ejus in Catholica Ecclesia non semper una eademque forma servata; forma*, *inquam*, *non conceptorum verborum*, *sed solemnitatis atque ritus*, &c. Quæ sane ritus solemnitatisque diversa forma, aliquando idonea erat, aliquando etiam improbata, si vel falsam, vel non integram fidem, Fideive Confessionem significabat.

31. Conceptorum forma verborum, quæ forma est Baptismi, atque altera ejus pars, nil aliud est, quam Sanctissimæ Trinitatis invocatio, pro Christi institutione, ac præcepto, juxta illud Matthæi XXVIII. *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; Ab ipso Apostolorum ævo Baptismi formam interpolatam fuisse animadveriunt plurimi Scriptores, inter quos noster Cardinalis Orsius in Dissertatione de Hæreticis Formæ Baptismi corruptoribus; idque eum præcipue in finem factum fuisse contendunt, ut nova erroribus pararentur præsidia: quamobrem præter Gnosticos, Priscillianistas, Menandrum, Cataphrygas, Marcosianos, & Sabellianos, ab ipsis quoque Arianis adulteratam affirmat Boconius, cui tamen haud assentiuntur nonnulli, ob Athanasii, aliorumque Veterum silentium: nisi fotasse Arianos ab Arianis distinxerimus, cujus nempe generis, ut ita dixerim, plures fuisse demum species: quare quod aliquibus in more fuisset, omnibus assertum sit, errore in scholasticis præsertim elucubrationibus nimium frequenti. Eunomius, qui suis cum gregalibus *in morte Domini* baptizabat, abstinuisse creditur ab expressa invocatione Trinitatis, ut Arianos palparet, quibus impensissime favebat.

32. Disputatum tamen est, an Apostoli aliquando in solo Christi nomine baptizaverint, ex eo quod Actorum II. dixerit Sanctus Petrus: *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu*

Chri-

Digitized by Google

Christi in remissionem peccatorum. Capite autem VIII. legitur: *in nomine Jesu Christi baptizabantur viri, & mulieres*. Et Capite XIX. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu*; quippe ejusmodi ex testimoniis nonnulli tum veteres, tum etiam recentiores consequuti sunt, Apostolos primitiva in Ecclesia ex revelatione quadam, atque ex Sancti Spiritus afflatu, nec non speciali ex dispensatione, in solius Christi nomine baptizavisse, ut nomen illud, quod Gentibus, ac Judæis odiosum erat, honorabile redderetur, propterea quod ad ipsius invocationem daretur Sanctus Spiritus.

33. Hac de re nuperrime concertaverunt duo ex nostris, Orsius nempe, & Auctor operis de Re Sacramentaria; uterque laude dignus, nisi uterque excessisset. Orsius laudatam in opinionem inclinans, ita Dissertationem suam auspicatus est: „ Si qua in universa Angelici Præceptoris Theologia, controversia est, quæ studium nostrum requirere videatur: ea profecto de qua, nunc agimus, ejusmodi est, in cujus defensionem nobis, qui Thomistarum nomine gloriamur, tota mentis intensione incumbendum sit. Quum enim affirmans opinio, quam Divus Thomas docuit, adeo sit a recentioribus Theologis exagitata, ut parum absit, quin inter aniles putidasque fabulas amandetur; Thomistæque quos hactenus mihi videre contigit, nihil solidi adferant, quo sua illi probabilitas auferatur, & argumenta quibus impetitur, profligentur. Quæ res in causa fuit, ut hanc in me provinciam susciperem producendi in medium quidquid ex Scriptura, & antiquis Patribus erui posse videbitur, ad hanc illustrandam Angelici Doctoris de Baptismo ex solo Christi nomine ex peculiari privilegio nonnunquam ab Apostolis collato sententiam: non ea profecto mente, ut res extra omnem controversiam ponatur; sed ne Divi Thomæ opinio inter fabulas habeatur". Ille huc usque, qui reveras si constitutos sibi terminos prætergressus non fuisset, in nullius incurrere reprehensionem haud potuisset; quis inficiari fuisset ausus ita nonnullos Sanctos Patres de facto cogitasse? Ast urceum instituens, currenti rota, ut in proverbio prope est, amphora exiit. Nempe disputando differendoque eo progressus est, ut interpretationem illam unice admittendam esse voluisse visus est, quum opposita opinio firmioribus fundamentis innixa esse intelligatur.

34. Animadvertimus siquidem, ut quum Actorum XIX. nonnulli ab Apostolo Paulo interrogati, an Spiritum Sanctum accepissent, iidemque in hæc respondissent verba: *neque si Spiritus Sanctus est audivimus*; animadvertimus, inquam, Apostolum tunc statim intellexisse, viros illos haud fuisse Christi Baptismate donatos: profecto quia istud non aliter conferebatur, quam expressa invocatione Beatæ Trinitatis.

35. Accedit, divini illius afflatus, aut revelationis, aut dispensationis respectu Apostolorum, nullum exstare, vel in Sacris Litteris, vel Apostolica ex Traditione monumentum. Miranda vero tot, & tanta quæ in Christi nomine Apostoli patrabant; immo consueta receptaque Baptismatis forma in nomine plenæ & adunatæ Trinitatis, cujus secunda Persona Christus ipse est, satis honorabile reddebant ipsius nomen: neque verisimile esse poterat, Apostolos recens adeo, ac solemne divini Magistri præceptum de populis in nomine Sanctissimæ Trinitatis baptizandis, absque necessitate violare voluisse.

36. Verbis igitur Actorum allegatis nil aliud intelligere oportet, quam Apostolos dedisse Baptisma in nomine Christi, hoc est auctoritate Christi, virtute a Christo accepta, Baptisma a Christo institutum, Baptisma ipsius Christi; adeo tamen, ut, in ipso conferendo, formam usurpaverint a Christo traditam, ac præceptam, scilicet invocationem Trinitatis. Jam id Hebraizantes nonnulli explicaverant, siquidem post Korthoitum ita Adamus Tribecorius, Exercitationibus in Annales Baronii ad Annum XXXIV. observandum, per hoc, quod *in nomine, & in nomen* Christi, baptizati aliqui leguntur, non semper exprimi integram Baptismi formulam, quomodo, nec id ipsum fit I. ad Corinthios X. ubi *in Mosen*, & ad Romanos XIX. ubi *in mortem* Christi, baptizati homines dicuntur. His namque locis agitur de sola actione Baptismi, quæ & formam comprehendit, & finem; siquidem εἰς & ἐπὶ apud Græcos, æquipollent significationi particularum ב & ל apud Hebræos, de quo Pfocherins Diatribe de paritate Linguæ Græcæ Novi Testamenti. Vidit id Eulogius apud Photium Capite ultimo ita scribens: *Baptizantur in nomine Domini Jesu, hoc est, secundum traditionem, & doctrinam Domini Jesu, quia & alibi dicitur quod in nomine Domini, vel in mortem Jesu sint baptizati*. Vix alicui autem nota non sunt Cypriani verba, Ep. LXXIII. quæ est ad Judaismum: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur; sed ut Patri quoque filius adjungeretur; quum ipse Christus baptizare jubeat in plena & adunata Trinitate*. Divus autem Augustinus Libro III. contra Maximinum Arianum Episcopum Cap. XVII. inquiebat: *non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; & tamen non intelliguntur batizati, nisi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Simili modo laudata Actorum Apostolorum testimonia alii interpretantur Ecclesiastici Scriptores, quos fuso citat agmine, ac illustrat Auctor operis de Re Sacramentaria in suis hoc de argumento adversus Cardinalem Orsium Disputationibus, quem tamen acri nimium stylo adorsus est, ultraque quam par erat, in concertatione ejusmodi eventus: quippe quemadmodum

dum probabilius profecto est, Apostolos numquam non baptizasse nisi in nomine plenæ ac adunatæ Trinitatis; ita negari nullo modo aut potest, aut debet, veterum aliquos allegatis Actorum locis eam dedisse interpretationem, quam innuit æque Sanctus Thomas: quod primus revera erat scopus ab Orsio intentus: quodque erat satis ad Angelicum Præceptorum ab inepta ratione cogitandi vindicandum. Quod autem iidem illi Veteres aliis in locis, aut Patres alii illa loca versantes, in oppositam concesserint opinionem, ac interpretationem, esse mirum non debet: quippe tanti momenti quæstionem hanc non existimarunt, ut ex perpetua, & constanti Traditione explicari indigeret. Quidquid enim Apostolorum de facto cogitaveris, illud tamen veluti certissime constitutum Catholica in Ecclesia habitum semper fuit, ab Apostolica ætate ad nostram usque, numquam, pro communi lege, licite valideque baptizari potuisse, nisi facta invocatione Sanctæ & Beatæ Trinitatis.

CAPUT IV.

De Præcepto Baptismi.

37. Error est plurium Socinianorum, præceptum de Baptismo non fuisse universale & perpetuum, sed tantummodo ad initia fidei spectasse, quibus ex rudi & infideli populo Ecclesia colligebatur. Ita enim disputant: Christus apud Marcum 16. præcipiens Baptisma, inquit; *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent, & bene habebunt*; atqui, subdunt Adversarii, hæc miraculorum copia ad Apostolicam Ecclesiam spectabat, non ad Ecclesiam adultam; itaque ad Ecclesiam tum primum ex Judæis colligendam pertinebat præceptum Baptismi, non vero ad Ecclesiam jam collectam, atque constitutam.

38. Quale tamen quantumque sit hoc erroris monstrum dici vix potest. Primo siquidem, præceptum quod respicit universum mundum, omnes gentes, omnem creaturam, proculdubio præceptum est generale & perpetuum; atqui ex Christi verbis tale est præceptum de Baptismo; universale igitur & perpetuum sit oportet. Secundo: Ita per Christi verba præcipitur Fides, sicut præcipitur Baptismus; sed præceptum Fidei, fatentibus Adversariis, est de re universali, & perpetua; cur obsecro æque ejusmodi non erit præceptum de Baptismo? Rursus: tamdiu juxta Adversarios permanere debebat præceptum de Baptismo, quamdiu miraculorum potestas perseveratura erat in Ecclesia; atqui hæc perseverat, & perseverabit usque ad finem Catholicæ Ecclesiæ; itaque præceptum etiam Baptismi perseverat, & perseverare usque ad finem necesse est. Tandem, non animadvertunt adversarii non fuisse dictum a Christo: signa autem eos, qui baptizati fuerint, hæc sequentur; sed verius: *signa autem eos, qui crediderint*, hæc sequentur: adeo ut promissus non fuerit nexus miraculorum cum Baptismo, sed cum Fide. Ideo autem miraculorum copia fuit in infantia Ecclesiæ quia restitutio doni miraculorum futura erat signum characteristicum adventus Messiæ, & quia tot illa Charismata, & prodigia rudi illi populo videbantur opportuna; vero adultæ semper quidem, non eadem tamen ubertate, vel necessaria, vel ubique concedenda.

39. Obj. 1. Christus Matthæi 28. non dixit, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; sed dixit: *docete omnes Gentes baptizantes eos*, idest, Judæos, qui Baptismata in moribus habebant; itaque præceptum de Baptismo non fuit generale, nec perpetuum futurum erat; sed ad tempus tantummodo respectu Judæorum, qui per illa fidei initia Christo nomen dare voluissent.

40. Resp. portentum hujus meditationis refutari ex orationis serie, & sensu, ex aliorum locis Evangelistarum quibus Baptismus a Christo præceptus est, ex Baptismate tot Gentilibus ætate Apostolica collato, exque Baptismate ætate adolescentis, & adultæ Ecclesiæ collato omnibus, qui Christiani esse debuerunt. Nec officit objectus dicendi modus, quippe una est ex anomaliis, sive irregularitatibus in scriptura frequentissimis, per quam sæpenumero pronomen a suo substantivo discordat genere, vel numero. Sic, ut exempla paucissima adferamus, ad Galatas IV. *Filioli mei, quos iterum parturio*. Græco in textu filioli nomen est neutrum, quos pronomen masculinum. Ad Romanos IX. juxta textum, *Vasa misericordiæ, quos præparavit*. ad Philippenses 30. *Nostra conversatio in cælis est, ex quo*, puta ex quibus. Non sunt ejusmodi irregularitates omnino incognitæ Latinis. Hymnum Laudum: *Verbum supernum prodiens, qui natus Orbi subvenis*. Terentius etiam ita: *Ut Dii illum, Deæque senium perdant, qui me hodie rimemoratus est*: proindeque baptizantes eos pro baptizantes eas ex anomalia linguæ in Textu Matthæi scriptum fuisse consequaris.

41. Obj. 2. Apostolus Paullus ad Hebræos 9. Baptizandi ritum inter consuetudines Judæorum recensebat, *quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, & in potibus, & variis Baptismatibus, & justitiis carnis, usque ad tempus correptionis impositis*. Neque vero Judæos inter initia fidei baptizandos fuisse negabat Paullus; sed id ad perfectæ

ſectæ Doctrinæ tempus pertinere non debuiſſe, oſtenderat ad Hebræos 6. ſcribens: *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum; Baptiſmatum Doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, & reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni*, cum quibus illa conſonant, quæ I. ad Corinthios I. legimus, ubi proteſtabatur Paullus: *non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*. Quorſum id vero? Certe, quia præceptum de fide futurum erat perpetuum, & univerſale; præceptum autem de Baptiſmo nec perpetuum, nec univerſale erat futurum.

42. Reſp. priore loco Apoſtolum revera loquutum eſſe de Baptiſmatibus, ſive de legalibus ablutionibus veteris Teſtamenti, quas imperfectas dicit reſpectu Sacramentorum novæ legis, & Baptiſmatis Chriſti, de quo tot locis magnifice omnino diſſerit; proindeque nobis ille locus, non adverſariis, favet.

43. Ita dixeris de ſecundo teſtimonio, ubi perfectos Fideles ad graviora, & altiſſima cognoſcenda myſteria evecturus Paullus, jam non neceſſe eſſe inquiebat: agere rurſus de rudimentis fidei, qualia doctrinæ erant de Baptiſmo, Confirmatione, pœnitentia, Reſurrectione mortuorum, & judicio æterno, utpote de rebus unicuique ſimplici fideli ſatis notis. Atqui doctrinæ de pœnitentia, de Reſurrectione, & de Judicio æterno futuræ erant univerſales ac perpetuæ; itaque univerſale etiam & perpetuum futurum erat præceptum de Baptiſmo.

44. Poſtremus locus eſt integer animadvertendus, qui ita ſe habet: *ſignificatum eſt mihi quia contentiones ſunt inter vos, quod unuſquiſque veſtrum dicit: ego quidem ſum Paulli, ego autem Apollo; ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diviſus eſt Chriſtus? Paullus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Paulli baptizati eſtis? Gratias ago Deo, quod neminem veſtrum baptizavi, niſi Criſpum, & Cajum: ne quis dicat quod in nomine meo baptizati eſtis. Baptizavi autem & Stephanæ domum: cæterum neſcio ſi quem alium baptizaverim; non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*. Quidnam in his verbis, *rogo*, adverſus univerſalitatem, & perpetuitatem lavacri baptiſmalis? Nil profecto. Gratias, inquit, ago Deo, cujus providentia factum eſt, ut neminem Corinthiaca in Urbe baptizaverim, præter Criſpum Synagogæ Principem, & Cajum hoſpitem meum: ne occaſionem, etiam nolens darem, erroris quo plurimi veſtrum illis nimium ſtudentes, & adhærentes, a quibus baptizati ſunt veluti in eorum nomen tranſcripti, partes in Eccleſia faciunt. Eſt enim optabile ſanctis Viris, ne ex bonis quæ faciunt, alii ſumant occaſionem erroris, vel peccati. Et quia Corinthii eum in errorem devenerant, ut ſe ab illis, a quibus Baptiſmum acceperant, denominarent, dicentes: Ego ſum Paulli, ego Apollinis, ego Cephæ. Veluti ſi in eorum nomine fuiſſent baptizati: propterea gaudebat Paullus quod e ſuo illa in Urbe miniſterio talis error conſequi minime potuerit.

45. Subdit vero Apoſtolus ſe fuiſſe Corinthum a Chriſto miſſum, non ut modo baptizaret, ſed immo magis ut prædicaret: tum quia qui illa in Urbe crediderant jam baptizati magnam partem fuerant, ideoque non erat, cur ipſe illuc mitteretur, quo eos rurſus baptizaret; tum etiam quia munus prædicandi erat magis proprium Apoſtolorum, quam officium baptizandi. Dixi non ut modo baptizaret, ſed immo magis ut prædicaret, quia pro Scripturæ phraſi adverbia negativa abſoluta ſæpenumero abſolute non negant, ſed vim habent præpoſitionis tantummodo comparativæ. Sic dicitur: *miſericordiam volo, & non ſacrificium*; ideſt, miſericordiam magis, quam ſacrificium. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*; ideſt, potius quam veſtimenta veſtra. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus*, ideſt, non tam vos, quam divinus Spiritus in vobis. *Qui me ſuſceperit, non me ſuſcipit*; ideſt non me ſolum ſuſcipit, ſed eum quoque, qui miſit me. *Cum facis prandium, noli vocare amicos, ſed pauperes*; ideſt, pauperes potius, quam amicos, & divites. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus Principes, & Poteſtates*; ideſt non ſolum adverſus carnem, & ſanguinem; ſed præcipue adverſus Principes, & Poteſtates erunt.

CAPUT V.

De Neceſſitate Baptiſmi.

46. Intelligentes Sociniani negari non poſſe præceptum de Baptiſmo eſſe perpetuum; quo tamen in errore perſeverent ita premunt: quod etiam ſi perpetuum foret ejuſmodi præceptum, tale tamen habendum ſit reſpectu eorum modo, qui infideles ſunt, vel in infidelitate naſcuntur; non autem reſpectu eorum, qui naſcuntur ex Chriſtianis. Quum enim Baptiſmus nil aliud Socinianorum opinione ſit, quam Symbolum Chriſtianæ Profeſſionis, inde neceſſarium eſſe negant tale ſignum illis, qui ex Chriſtianis orti, Chriſtianam Religionem profeſſuri ſunt. Quod etiamſi devotionis cauſa baptizari poſſe non recuſent; quia in rebus ad cultum Dei pertinentibus aliqua fieri interdum poſſunt, etiam minime præcepta; attamen numquam neceſſaria exiſtimanda; cujuſmodi cæremonia baptiſmalis eſt, quæ indifferens, & libera reſpectu noſtrâ eſſe debet.

47. Hic error tamen ejuſdem eſt cum oppugnata gravitatis. Baptiſmum ſiquidem vel in re, vel,

vel, si haberi non possit, saltem in voto, esse ad salutem absolute necessarium, majori claritate Christus exprimere non poterat, quam verbis illis apud Joannem III. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quæ sane non Judæos tantum respiciunt, vel Ethnicos tantum, vel nullam professos Religionem; sed omnes futuros homines cujuscumque status, & conditionis, & regionis, & generis: quemadmodum ex doctrina & praxi omnium Patrum, Conciliorum, Ecclesiarum, omniumque Fidelium confirmatur. Cujus ratio est, quia Baptismus non tam est Symbolum Christianæ Professionis, sed magis est medium, instrumentum, Sacramentum regenerationis, renovationis & liberationis a peccato, cujus nemo expers est, neque infans unius diei: proindeque nisi sacri ope lavacri, vel in re, vel saltem, ubi obtineri illud non possit, desiderio suscepti quis mundetur, vitam consequi non potest beatam & æternam.

48. Obj. I. Quemadmodum Christus dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum: ita æque dixit: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; atqui ex hac secunda propositione non colligunt Romanæ Ecclesiæ Doctores necessitatem absolutam sumendæ Eucharistiæ; itaque ex propositione prima inferre non debent absolutam Baptismi necessitatem.

49. Resp. Majorem, vel minorem Sacramentorum necessitatem non tam ex modo dicendi Sacrarum Litterarum, quam ex subjecta materia, atque ex Ecclesiæ doctrina, & praxi esse colligendam. Si res præcipiatur tamquam medium, sine quo, pro divina voluntate, salus obtineri non possit, talis res dicitur necessaria necessitate medii, si vero præcipiatur tamquam medium, quo, pro divina voluntate, salus facilius obtinetur, ea res appellatur necessaria necessitate tantummodo præcepti. Baptismum, & Pœnitentia, præcipiuntur tamquam media, sine quibus, vel saltem eorum voto, pro divina institutione, salus obtineri non possit. Quare obsecro? Quia talia Sacramenta, vel eorum votum, si haberi non possint, primam conferunt nobis gratiam justificantem, & sanctificantem, sine qua salus non obtinetur. Cætera autem Sacramenta secundam solum per se conferunt nobis gratiam, sive incrementum gratiæ, quo facilius obtinetur salus. Itaque etiamsi usitato quodam dicendi modo Sacris in Litteris ita dici videretur necessaria Eucharistia, sicut necessarius dicitur Baptismus; pro subjecta materia tamen, major istius quam illius necessitas profecto est; quippe absque incremento gratiæ, quod per Eucharistiam habetur, absolute, & per se loquendo, obtineri salus potest; absque prima gratia, quæ habetur per Baptismum, obtineri salus nullo modo potest. Juxta aliquos urgere magis præceptum de Baptismo, quam de Eucharistia, propterea quod verba: *nisi quis renatus fuerit* &c. sunt indefinita, ideoque respiciunt eos quoque, qui sunt præcepti incapaces; quum ex opposito verba: nisi manducaveritis, ad eos tantum, qui præcepti capaces sunt, directa esse videantur. Nos dicimus majorem adhuc necessitatem Baptismi præ necessitate Eucharistiæ, & colligimus ex eo, quod verba: *Nisi manducaveritis* &c. plurimi Sancti Patres de spirituali etiam manducatione exposuerunt, alii de Fide in Christum, alii de Verbo Dei, alii de doctrina sacra, quemadmodum in Tractatu legitur de Sacramento Eucharistiæ. Ex opposito nullus Patrum est, nullus umquam fuit Orthodoxorum, qui verba: *Nisi quis renatus fuerit* &c. non dixerit, & propugnaverit esse literaliter intelligenda.

50. Denique majorem Baptismi necessitatem desumimus ex ratione agendi Apostolicæ & antiquissimæ Ecclesiæ, quæ pueros, præsertim in mortis periculo constitutos, Baptismate donabat, non Eucharistia. Ut enim præclarissimis a Viris ostensum est, nonnisi sub, vel post Nicæni Concilii tempus, apud Græcos etiam, inducta dici potest consuetudo tradendi pueris cum Baptismo Confirmationem, & Eucharistiam. Quare illud obsecro? Quis magis necessarium Sanctissimi illi Patres priorum sæculorum habebant Baptismum, quam Eucharistiam; idoneumque Theologiæ nostræ fundamentum præbuerint, quo diceret, Baptismum necessarium esse necessitate medii; Eucharistiam vero necessitate tantummodo præcepti: quia quum pueri, vix nati sint incapaces præcepti, & adhuc tamen primitiva Ecclesia duxerit eos esse necessario baptizandos; itaque non ob præcepti necessitatem illos baptizavit; sed ob necessitatem medii, quo regenerarentur, & gratiam consequerentur ad originale delendum peccatum necessariam (a).

CA-

(a) De supplemento Baptismi. Votum, & desiderium Baptismi, quod includitur in Contritione ex charitate perfecta, & Martyrium, supplere in casu necessitatis actualem Baptismi susceptionem, constitutum satis est in Catholica Ecclesia, egitque Auctor noster duobus opusculis, quorum uno de Baptismate in Spiritu Sancto, & igne, altero vero de baptismate sine sanguine erudite disserit. Potius itaque vacat occurrere opinioni veterum aliquot Scholasticorum, quam renovare nostris temporibus, & probabilem saltem dicere non verentur nonnulli, scilicet, Parentum votum, & fidem, & devotam sup-

Digitized by Google

Caput VI.

De puerorum Baptisme.

51. Socinus rem indifferentem esse discit Baptismum puerorum, sed ejus in Transylvania Discipuli, & Anabaptistæ, pueros rationis expertes Baptismatis esse capaces non admittunt. Anabaptistæ propterea appellati, qui a pueros in infantia baptizatos, interim cum adoleverint baptizandos censent. Nos ex opposito licere non modo, sed valde expedire dicimus eos vix etiam natos sacris undis illustrare (a).

52. Et Joannes Christus apud Matth. 19. inquit: Sinite parvulos, & nolite prohibere ad me venire, talium est Regnum Cælorum; & cum imposuisset eis manus abiit, quæ expressiora sunt Græco in textu, & in interprete Lyrico. Quos igitur Christus ad se inquibat adduci, quos in ulnas suas accipiebat, quibus manus imponebat, & bene dicebat, qualium esse Regum Cælorum Regum pronunciabat, quomodo nefas erit sacro Baptismate donare? Cum infantes omnes, dum nascuntur, obstricti sint peccato originali, adhuc tamen possint placere Deo, & accipere donum Sancti Spiritus, cur a medio avertentur, per quod originali deleta culpa, divinam gratiam assequantur, & Ecclesia membra innocentissima fiant. Si communis ipsis est carnalis generatio, cur æque ipsis non erit spiritualis regeneratio communis? Si universa Israelitarum pueri fuere cum adultis in transitu maris Eritrei, quem scripsi Baptismatis. Christi typum Apostolus contendit; sique omnes Judæorum infantes fuere divina lege capaces, ut per Circumcisionem in Dei fœdere recenserentur; cur Christianorum pueri non erunt per Baptismum ad gratiam cælestis adoptionis admittendo.

53. Obj. 1. Christus dixit: docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c & rursus: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; atqui infantes ante usum rationis sunt instructionis incapaces, sunt incapaces fidei, igitur & Baptismi. Nec enim valet illud quod respondi solet, eos credere per fidem parentum, susceptorum, Ecclesiæ, ut enim objiciebat Episcopus Bonifacius Aug. Si constituam ante te parvulum, & interrogem, utrum cum creverit, futurus sit castus, vel fur non sit futurus; sine dubio respondebis, nescio: & utrum in eadem parvula ætate constitutus, cogitet aliquid boni, vel mali; dices: nescio: si igitur de moribus ejus futuris nil audes certi promittere & de ejus præsenti cogitatione; quod est illud, quod quando ad Baptismum offeruntur, pro eis Parentes, tamquam fidejussores, respondent, & dicunt, illos facere quod illa ætas cogitare non potest; aut si potest, occultum est? interrogamus enim eos, a quibus offeruntur, & dicimus: credit in Deum? De illa ætate quæ, utrum sit Deus, ignorat, respondent: credit; & ad cætera sic respondent singula, quæ quæruntur. Unde miror parentes in istis rebus tam fidenter pro parvulo respondere, ut dicant, eum tanta bona facere, quæ ad horam, qua baptizatur, Baptizator interrogat: tamen eadem hora si objiciam: Erit castus qui baptizatur, aut non erit fur? nescio, utrum audeat dicere quis: aliquid horum erit, aut non erit; sicut mihi sine dubitatione respondent, quod credat in Deum, & quod se convertat ad Deum. Hæc erant Bonifacii verba ad Augustinum, ut ex istius capite ad illum patet, in quo difficultates quidem istas solvere, & explanare conatur Augustinus, sed adeo parum apte, inconvenienter adeo, & frigide; inquiunt Anabaptistæ, ut nemini satisfacere posse videatur. Dicit autem pueros non habere tunc fidem Sacramenti

supplicationem cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, Parvulos justificare in casu necessitatis, quo succurri non potest; idque pie credi posse ut volitam a Deo dispositionem, ob quam rem Deus invisibiliter absque visibili Sacramento ob merita Christi, & Redemptoris intuitu, sanctificat, dum periculum salutis imminens est. Verum contra Ecclesiæ receptam doctrinam, hanc opinionem non esse admittendam censent Theologi saniores: quippe absque ullo in Scripturis fundamento, vel Traditione Ecclesiæ, vel sententiis Sanctorum Patrum, inductam. Cur enim falsitatis insimulanda non erit cogitatio, quæ in re tam gravi contra torrentem omnium Patrum inducit aliud pro parvulis remedium, præter illud, quod per tot sæcula ab omnibus Catholicis agnitum fuit, videlicet, vel actuale Baptisma, vel Martyrium?

(a) Paullus Colomesius in observationibus Sacris ea Marci 16. explicans: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, hæc habet: Hinc non immerito colligas solos adultos baptismi esse capaces. Qua in sententia veteres fuisse liquido fatetur Walafridus Strabo Libro de rebus Ecclesiasticis cap. 26. Ludovicus Vives ad Augustinum de Civit. Dei Lib. 1. cap. 27. Erasmus in quadam Epistola quam cum aliis edidit Paullus Merula 1607. Grotius in Epistolis ad Gallos pag 418. editionis secundæ, ut ad Matth. XIX. 14. Salmasius Libro de Transubstantiatione pag. 444. & Joannes Baptista Thiers in libello utilissimo de Festorum dierum imminutione pag. 265. veteribus hujus accensendus est Berengarius quem Pædobaptismum impugnasse tradunt Georgius Cassander, talium peritissimus Præf. in Lib. de Pædobaptismo & Franciscus de Roye in Berengarii vita; uterque ex Guimundo Episcopo Aversano. Berengarium secuti sunt Albigenses ut ex Historia patet Trevirensi Edita Tom. 12. Spicilegii Lucæ Dacherij.

Digitized by Google

menti; habere tamen Sacramentum fidei, quemadmodum hodie dicitur, eos habere fidem non actualem, sed habitualem; quæ quidnam sit, se intelligere non posse protestantur adversarii.

54. Quotus quisque tamen Christianorum est, qui Baptismi administrationem non ex cogitatis privati alicujus hominis, sed ex Christi, & Apostolorum agendi ratione esse desumendam ignoret? Christus infantibus vix natis imponebat manus; ut habemus Matth. 19. itaque eos benedictionis capaces existimabat. Apostoli, ut in sacris Litteris habemus, integras baptizabant familias: Familiam vero ex patribus constitutam esse, exque filiis, ex filiabus majoribus, & minoribus, satis constat. Hinc Origenes Lib. V. in epistolam ad Rom. inquiebat: *Ecclesia traditionem ab Apostolis suscepit, etiam pueris dare Baptismum*. Div. Irenæus lib. contra Gentes 2. cap. 39. de Christo scribebat: *omnes venit per semetipsum salvare, omnes*, inquam, *qui per eum renascentur in Deum, infantes, & pueros, & juvenes, & seniores*. D. Cyprianus in ep. ad Fidum scripsit: *fuit in Concilio nostro sententia, a baptismo, atque a gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi: quod cum circa universos observandum sit, atque retinendum, magis circa infantes ipsos, & recens natos observandum putamus, qui hoc ipso, de ope nostra, & de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim, nativitatis sua ortu plorantes, ac flentes, nihil aliud faciunt, quam deprecantur*. D. Ambrosius lib. 2. de Patriarcha Abram, inquit: *nec senex Proselytus, nec infans vernaculus excipitur, quia omnis ætas peccato obnoxia est, & ideo omnis ætas Sacramento idonea*. Aliorum testimonia Patrum longo (a) agmine adducit Natalis Alexander in dissertatione de Baptismo infantium contra Petrobusianos in Valdensibus, Albigensibus, & Anabaptistis redivivos.

55. Ex Apostolorum igitur, Patrumque, & Ecclesiæ agendi ratione, & doctrina intelligimus, Christum præcepisse quidem, ut adulti prius docerentur, & postea baptizarentur; non autem prohibuisse ne infantes prius baptizarentur, & postea docerentur; præsertim cum ideo vix nati baptizentur, ut suo instrui possint tempore, & facilius credant. Porro si Christi verba: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, nullam admittunt interpretationem, vel exceptionem, quid sequitur, obsecro? sequitur, nullum omnino infantem salvatum iri, quia nullus infans potest credere. Si igitur Anabaptistæ, qui pueros non modo non baptizatos, sed etiam non credentes in Cælum inducunt, exceptionem, & interpretationem verborum Christi admittunt respectu salutis puerorum, cur exceptionem, & interpretationem negant respectu Baptismi? Si infantes sine actuali fide possunt donari Regno Cælorum, etiam sine actuali fide possunt Baptismate donari: Nam sicut in adulto, qui ob necessitatem impeditur, ne recipiat Baptismum, valet absque Baptismo fides; ita & in puero actualis fidei incapaci, valere debet Baptismus absque actuali fide.

56. Vetus in Ecclesia doctrina est, pueris, qui initiantur imputari, adscribi, accommodari approbari fidem susceptorum, & parentum, sique nemo sit qui infantem offerat, suam tunc vocem, suam illi accommodare fidem, amantissimam matrem Ecclesiam: quod omne intelligendum est fieri per hoc, opera susceptorum, Parentum, & Ecclesiæ, donantur infantes Sacramento; sed nil necesse est, scire aliquem, an pueri futuri sint casti, necne, credituri, vel non credituri fuerint; quemadmodum enim susceptorum verbis interpretationem tribuas, quæ profecto non una apud Scriptores reperitur; Certissimum est, quod superiori in tractatu diximus: solum interrogandi, respondendi, abrenunciandi ritum pro adultis institutum, parvulis postea fuisse accommodatum, ut quod proprie fit in adultis, quamquam per similitudinem solemni in Baptismate, fieret in parvulis, qui non per actualem sponsorum, & Ecclesiæ solvantur fidem; sed per divinam gratiam in ipsis virtute Baptismatis infusam, per Sacramentum fidei salvantur, per fidei spiritum, per gratiam fidei, per habitum fidei, in collatione Sacramenti illius divinitus infusum, quo formaliter, & habitualiter fideles efficiuntur, & Christiano insigniti charactere, capaces, ut baptismalem gratiam consequantur.

57. Obj. 2. Tertull. in Lib. 2. de Bapt. optare se ostendit, ut hoc sacramentum ad annos cognitionis differretur. Malaphridus Strabo, Ludovicus Vives, Salmasius, aliique asseruerunt neminem olim nisi adulta ætate ad Baptismum accessisse: nec inficiari quisquam potest plures egregios viros Baptismum suum provectum ad ætatem, vel ad mortis usque tempus protraxisse, ergo &c.

58. Resp. Tertullianum sibi non probari testatum

(a). Aliorum testimonia Patrum, incipiendo a Clemente Romano, & Herma Pastore, & Justino Martyre, ad Leonem usque, & Gregorium Pontifices, proferunt innumeri Theologi; apud Cardinalem vero Noris, & Fabrettum, & Victorium, antiquissimi prostant lapides, sive inscriptiones super monumentis positæ puerorum, qui ante rationis usum dum viverent sacro fuerant lavacro initiati.

Digitized by Google

tum consuetudinem Baptizandi pueros vix natos ea ratione ostendere præceptum antiquissima ætate sua Baptismum puerorum fuisse: Scriptorem etiam illum singularitate opinionum laborasse a communi Catholicæ Ecclesiæ moribus & doctrina recedentium, ipsum de pueris locutum adultam ad ætatem pervenia. Ideoque de infantibus non dixisse in discrimine vitæ constitutis; quemadmodum Gregorius Nazianzenus ad tertium usque annum diferri Baptisma infantium oportere existimabat, nisi mortis timor eos confestim initiandos cogeret. Cæterum unius, aut alterius Doctoris, & Patris etiam cogitatum non esse decreto totius Catholicæ Ecclesiæ anteferendum, monuit hac in re ex Vincentii Lirinensis effato, Joannes ipse Gerardus Vossius, quamvis Etherodoxus disputatione 14. de Bap. allegatis prius Patrum omnium, antiquissimorum Conciliorum testimoniis, quæ vim, virtutem, & receptissimam consuetudinem Baptismi infantium tradidere.

Illa vero ex testium nube patet quam immaniter erraverint Valaphridus Strabo, Ludovicus Vives, Salmasius, aliique antiquarum rerum absque diligenti critice consarcinatores. Si soli adulti olim baptizarentur, cur de Baptismo infantium lamentabatur Tertullianus? Cur ex universali praxi baptizandi pueros peccatum originale in ipsis esse ostendebant Patres? Cur Pelagiani ipsi, qui peccatum originale negabant, pueros tamen recte, & jure baptizari fatebantur, quo Regnum Dei consequerentur? Cur de susceptoribus puerorum tot tantaque extant in veterum scriptis Patrum, & in antiquis Lyturgiis? Cur infantibus baptizatis referta est veterum historia temporum non minus, quam recentiorum? Incautos illos consarcinatores decipit quarti præsertim, & quinti sæculi abusus plurimorum baptisma ad seros annos, vel ad mortis tempus pertrahentium, quos ægre Ecclesia tollerabat, quosque Patres gravissime reprehenderunt. Ast quodnam illationis genus hoc est: nonnulli Baptisma protraxere usque adultam, vel seram, vel ultimam ad ætatem, ergo pueri sunt incapaces Baptismi; ergo nefas est infantes Baptizare? Perinde profecto id est, ac si ex quo nonnulli, vel sero, vel numquam in Templum ingrediuntur ad laudes Deo cum cæteris congeminandas, quis inferre vellet: itaque nefas est pueros ad ingressum Ecclesiæ admittere; vel incapaces sunt pueri, qui ad divinas celebrandas laudes cum fidelibus in Ecclesiis admittantur: quod consecutionis monstrum a nemine admissum intelligimus.

CAPUT VII.

De Confirmatione Baptismi.

59. Tridentinum sess. 7. Can. 14. ita statuit: Si quis dixerit, parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod Patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum receptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit. Erat hæc Erasmi Propositio fidei lubricæ viri, qui ova fovisse dicitur, a Luthero denique exclusa.

60. Quamvis vero morem interrogandi pueros ad usum rationis perventos an ratas habere promissiones velint ab eorum sponsoribus in Baptismo factas, nonnullæ Protestantium Ecclesiæ frequentare soleant, censentes, antiquitus receptum, ut pueri ab Episcopo, ineunte adolescentia, examinarentur, & ut actio plus haberet dignitatis, impositione manus ab ipso veluti confirmarentur: unde ortum arbitrantur, quod dicimus confirmationis Sacramentum: quo tantum in sensu si usurpanda foret confirmatio, se ab ea alienos minime futuros profitentur; quia communiter tamen eorum infantes vix nati baptizantur, & ad usum rationis perventi, illius Ecclesiæ sequuntur fidem, in qua Baptismum acceperunt; propterea de quæstione ejusmodi altissimum est scriptoribus elapsi temporis silentium.

61. Paucos tamen ante annos cum Orthodoxus Scriptor de rationis usu & jure agens in Religionis negotio, ostendisset, fateri quidem nos, ratione non comprehendi altissima fidei Mysteria; oportere tamen in examen revocare, quare credendum sit; nec actum fidei esse posse virtutis actum, Deoque gratum, nisi ex motivo credibilitatis processerit; hæc, inquam, cum pro Orthodoxorum doctrina laudatus Scriptor posuisset, fuit inter Adversarios, qui postulavit, quonam pacto recta adeo principia conciliari valeant cum decreto Tridentini, & praxi Ecclesiæ nostræ, omne examen semel baptizatis pueris ad usum rationis perventis prohibentis præcipientisque, cogendos eos esse non tam spiritualibus pœnis, & censuris, sed etiam temporalibus, si Christiana fide, & professione, quæ ipsis probata fortasse minus esset, alieni forent.

62. Porro, inquit ille, si de Baptizato adulto ageretur, posset Romana Ecclesia, pro suis saltem principiis, ipsum cogere ad fidem, & ad præcepta observanda; quippe præconcipitur, ipsum post diligens examen sponte sua se se Baptismo, proindeque fidei, & præceptis observandis obstrinxisse. Verum nil tale reperitur in puero mox post nativitatem baptizato. Quamvis enim Sacramentum

Digitized by Google

tum Baptismi non modo originalem in eo maculam deleat, sed etiam ipsum disponat ad actum fidei suo tempore eliciendum; ad actualem tamen fidem requiritur mens veritatum Evangelii percipiendarum, & discernendarum capax; quem ad statum cum pueri pervenerint, nisi credere sine ratione debeant, instruantur oportet de rebus fidei, & motiva credibilitatis in examen revocent, quibus probatis, actum fidei eliciant, & habitualem fidem, quam in Baptismate acceperunt, vel expresso consensu, vel saltem tacito confirment: quod tamen examen, & quam confirmationem, cum fieri vetent Catholici, consequi videtur, eos rationis usum, & jus circa credibilitatis motiva verbis, & oratione evehere, & prædicare, sed praxi & factis evehere & auferre.

63. Solvitur hæc tamen difficultas ex jure, beneficio, & efficacia Baptismi. Id autem, ut facilius intelligatur, animadvertendum primo loco est, pro Tridentini decreto, & praxi Catholicæ Ecclesiæ pueris baptizatis, & ad usum rationis perventis tale quidem non permitti examen, quod dubitationem in fide, aut suspensionem fidei involvat; propterea quod ejusmodi sive suspensio, sive dubitatio opponeretur habituali fidei, & gratiæ ab ipsis in Baptismate accepta, & dispositionem destrueret, quam Baptismus puero contulerat ad actum fidei suo tempore eliciendum. Ex hoc tamen non sequi aut Ecclesiam, aut Tridentinum puero adolescenti vel interdicere, vel non præcipere usum rationis circa credibilitatis motiva puero apta, & necessaria ad actum fidei auxilio divinæ gratiæ eliciendum(*a*).

64. Sed nec illud prætereundum est. Tempus quo infantes usum rationis attingunt, non esse instans indivisibile, atque idem in cunctis, sed pro capacitatis ipsorum, institutionis diversitate, diversum etiam, & varium, solique notum Deo, qui scrutatur renes, & corda; accedit ingens discrimen infantes inter & adultos non baptizatos. Illi quippe sexcentis erroribus præoccupati ardua oportet vincant obstacula, & gravissimum diuturnumque instituerint examen, ut ab Infidelitate ad actum, & habitum fidei transeant: quod nisi superatis difficultatibus, & perceptis pluribus credibilitatis motivis præstare non possunt. Cum ex opposito dicente Christo: sinite parvulos venire ad me; talium enim est Regnum Cælorum, satis ostendit talem esse eorum innocentiam, & simplicitatem, ut ad usum rationis perventi, summa valeant facilitate illis adhærere credibilitatis motivis, quæ ipsorum sunt capacitati proportionata: proindeque absque ulla aut suspensione, aut hæsitantia in fide statim atque docti sint ab ignorantia possint ad sufficientem transire intellectus convictionem, præsertim cum unicum ipsis auctoritatis docentis Ecclesiæ proponatur, clarum, sufficiens, eorumque menti proportionatum credibilitatis motivum; cum suos habeat gradus fides, eam tum primum profiteri possint, immo, & debeant, quæ cum ipsorum convenit capacitate.

65. His constitutis, ponatur baptizatus puer, qui

(*a*) Facile solvitur hæc difficultas, si primum animadvertamus, non omne examen formalem involvere dubitationem. Examinat quis dubitando ob infidelitatem, vel obstinationem: examinat etiam quis investigando ob ampliorem acquirendam cognitionem. Prioris generis examen proficiscitur a tenebris, & removet a luce veritatis: secundi examen generis a luce veritatis oritur, atque ipsam efficit clariorem. Potest aliquis in examen revocare num corpora existant. Tunc ille profecto de sui existentia corporia non dubitat, quia de illa conscius intime & perfecte est: sed ideo examen ejusmodi instituit ut intelligat, validiora ne sint fundamenta, quibus existere corpora statuitur; an sophismata eorum, qui corporum existentiam negant, eaque nonnisi ideas, & somniorum esse imagines constituunt. Zachariæ Sacerdoti annuntiavit Angelus conceptum Joannis ab Elizabeth uxore sua. Dubitavit Zacharias; propereaque mutus factus est, quoadusque Angeli verba suum habuere complementum, ut Lucæ 10. legimus. Peccasse Zachariam dubitando, negaverit nemo: quippe punitus a Deo fuit. Zachariæ tamen verba videntur simillima verbis Abrahæ, Gedeonis, Ipsiusque adeo sanctissimæ Virginis, cui, quum annuntiatus fuisset divini Verbi in carne conceptus, dixit: quomodo fiet istud? Ut Homilia tamen ducentesima nonagesima rectissime animadvertit Augustinus, non eadem de re, nec eodem modo, nec eodem dubitavit spiritu Zacharias, quo Abraham, Gedeon, & Virgo, quæ non de mysterio ab Angelo annunciato, neque de conceptu Christi dubitavit, sed solum de modo, quo, virum non cognoscens, puerum adhuc tamen esset paritura.

Idem respectu examinis, de quo agimus, dicendum. Pro doctrina Tridentini, & praxi Catholicæ Ecclesiæ pueris baptizatis, & ad usum rationis perventis, tale quidem non permittitur examen, quod dubitationem in fide, vel suspensionem fidei involvat; propterea quod ejusmodi sive suspensio, sive dubitatio, opponeretur habituali fidei, & gratiæ, ab ipsis in Baptismate acceptæ, & dispositionem destrueret, quam Baptismus puero contulerat ad actum fidei suo tempore eliciendum. Cum hoc tamen consistit, ut Tridentinum, & Ecclesia non probent modo, & consulant, sed immo præcipiant baptizato puero, & ad usum rationis, vel citius, vel serius, juxta capacitatis & circumstantiarum diversitatem pervento, instituendum examen circa credibilitatis motiva, ipsi certe apta, & necessaria ad actum fidei, auxilio divinæ gratiæ eliciendum.

qui ad usum rationis perventus, vel leviter monitus, lumine cognoscit naturali Deum esse, & Rectorem omnium esse; propriamque simul animadvertens infirmitatem, ob fidem adhuc habitualem, in Baptismo acceptam, dispositionem, & divinum habeat auxilium ad actus fidei suo tempore eliciendos. Num si puero ejusmodi quis proponat, Deum sua charitate contulisse Ecclesiæ auctoritatem, & munus suam docendi voluntatem, & ea quæ credere, & facere oportet, ut esse Deo gratus quis possit; num, inquam, si puer, id audit semel, & intelligit, censes ipsum de tam clara, tam facili, tam aperta veritate dubitaturum, & non immo ab ignorantiæ statu absque ulla hæsitatione, & dubio ad cognitionem transiturum, & ad fidem rationabili innixam Ecclesiæ docentis fundamento? Quemadmodum enim puero elementorum Euclidis prorsus ignaro, ita primæ saltem eorum propositiones demonstrantur, ut earum comprehensionem nulla in eo suspensio, aut dubitatio præcedat; ita & puero ad usum rationis pervenienti, antea etiam habitu fidei imbuto, divinaque adjuto gratia, adeo se se Ecclesiæ auctoritas, & lumen ostendunt, ut per judicium rationis, & voluntatis electionem ejusdem ductum Ecclesiæ assensu certissimo sequatur, & objecta fidei sibi Ecclesiæ nomine proposita infallibiliter credat (*a*).

66. Si pueri baptizati, & ad usum rationis perventi, deberent, quemadmodum adulti, idololatricas, vel philosophicas, vel hæreticas, vel Judaicas doctrinas ejurare, falsasque Ecclesias distinguere a vera, fas ipsis tunc foret judicium controversiis de quæstionibus aliquo tempore suspendere, vel universa credibilitatis motiva penetrare. Ast cum nihil ejusmodi in pueris vix ad usum rationis pervenis requiratur, non possunt, si vel tantillum ratione utantur, non agi auctoritate, & instructione parentum, Præceptorum, & Ecclesiæ, quibus cum nihil habeant, quod opponant, sequitur, ut statim, & facile ipsis assentiantur, & in actum fidei ætati suæ proportionatum erumpant.

67. Denique si Judæorum infantes, qui semel circumcisi, facti erant universæ legis servandæ debitores, cum adoleverant non interrogabantur, an legem servare vellent; sed eam servare cogebantur; quamvis, pro præstantissimorum opinione Theologorum, Circumcisio Originale peccatum minime deleat; quanto minus interrogandi sunt pueri nostri, an ea quæ in Baptismo Sponsores eorum promiserunt servare velint; quum sacri lavacri beneficio fuerint ab originali macula purgati? Jure igitur, & merito indixit Tridentinum interrogari eos non opportere, an ratas habere promissiones valint a Sponsoribus factas in Baptismo, cum libertas illa, quæ ad talem præsupponitur interrogationem, dubium fidei involveret, quod opponeretur baptismali gratiæ jam receptæ, & dispositionem destrueret, quam puer habet ad actum fidei suo tempore eliciendum.

68. Obj. 1. Ad credendum ut oportet, non sufficit pia motio, & affectio; sed apertissimus requiritur assensus, quem intellectus præstare non potest, nisi objectum fidei credibile menti videatur, illudque intellectus prævio, & sufficienti examine dijudicet; sed hoc examen suspensionem involvit ante consensum; itaque qui tale prohibent examen, rationabilem æque vetant fidem, & a positis principiis recedunt. Porro satis non est, quod pueris ad usum rationis perventis Romana in Communione proponitur credibilitatis motivum, scilicet auctoritas Ecclesiæ. Cum hoc ipsum motivum proponatur pueris Græcorum, quorum tamen fidem Romana non approbat Ecclesia.

69. Etiamsi vero poneretur infallibilitas Ecclesiæ, quonam pacto nosse potest puer solam Romanam Ecclesiam esse infallibilem? Præsertim cum si sincere loquimur, non alia de causa pueri tandem credant, nisi quia ita credendum esse eos docent parentes, Catechistæ, & Præceptores: sed si semel id esse satis constituimus, jam omni in secta pueri veram cognoscere, & habere fidem poterunt: quod tamen idem esset, atque universalem tolerantissimum inducere. Ne igitur id eveniat, pueris ad usum rationis pervenientia relinquendum erit examen circa credibilitatis fidei motiva, ne cito nimis & absque examine credentes, per entusiasmum tandem & imprudenter credant.

70. Resp. Examen suspensionem, & dubitationem involvens, pertinere ad infideles adultos, sexcentis erroribus, vel præjudiciis occupatos: pertinere ad homines habitualem fidem non habentes, divinoque juri per Sacramentum speciali modo minime subjectas; non autem ad innocentes pueros, nihil quod opponant auctoritati Ecclesiæ habentes; quique ad usum rationis perventi, nativo lumine intelligunt, quod inculcabat Augustinus in Lib. de utilitate credendi num. 34. Constitutam esse a Deo aliquam auctoritatem, qua velut certo gradu innitentes, attollamur ad Deum, si Augustinus jam adultus & sapiens num. 6. contra op. fundam. inquiebat: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas*: quanto magis Ecclesiæ auctoritas accommodatum & sufficiens erit infirmitati & simplicitati pueri, multo magis

(*a*) Vid. Petrus Maria Gazzaniga. Tom. I. pag. 183. & seq.

Digitized by Google

gis supernaturalem ad ordinem per baptismale donum jam evecti, motivum, ut fidei objecta percipiat, certoque credat? Explicantur puero Ecclesiæ dotes, & proprietates, ex quibus intelligit, quanto sit a Deo affectus beneficio, cui contigit in ea nasci, & educari, neque necesse est ut primo fidei actu Ecclesiam veram a falsis distinguat; cum ne quidem, an plures sint Ecclesiæ suspicari tunc debeat & possit; idque ipsius innocentiæ repugnet. Num ut Sylvester inter Americanos verus fiat Christianus, necesse est, ut ipsi proponatur discrimen inter Christianam Religionem, Sectasque Judaicam, & Maumetanicam intercedens? Nil profecto minus. Ejusmodi quippe comparationes adultos, & doctos docent, non rudiores, & pueros. Ipsi Protestantium non dicam pueri, sed rudiores etiam adulti, in fide suæ Ecclesiæ credunt; & ad suorum auctoritatem Pastorum adhærescunt. Si quis enim nostram difficultatem ipsis adversus errores suos proponat, quidnam ipsi statim, & semper, obsecro, reponunt? Illud sane, nescire se quidem eam solvere, sed strenue id factum suis a Doctoribus, & Ministris, ad quos nos remittunt. Adeo Ecclesiæ auctoritas ipsarum tandem anchora sectarum est, quæ omnem Ecclesiæ auferunt auctoritatem (*a*).

71. Docentur pueri fateor mysteria fidei, non immediate ab Ecclesia, sed a Parentibus, ab affinibus, a Parochis, a Catechistis. Nonne tamen isti omnes respectu pueri Ecclesiam repræsentant, dum puero credibilia proponunt auctoritate & nomine Ecclesiæ? Quin & ipsi Schismatici Græci, atque etiam hæretici illi, qui Christi, & Ecclesiæ auctoritatem urgent in pueris instituendis, istos veram ducunt ad fidem, & ad actus supernaturales eliciendos, donec Evangelico lacti venenum Schismatis, vel hæreseos non miscent; Ecclesia quippe, quæ, ut ait Augustinus, vel per se, vel per uteros ancillarum, infantes in Baptismo gignit, in institutione æque veritatum fidei, pueros vel per suum, vel per ancillarum sinum, usqueque error absit, fovet, & nutrit.

72. Obj. 2. Nemo tenetur nisi ad id, quod vel ipse per se, vel alter ex suo consensu promisit; atque promissiones in Baptismo neque puer facit, neque consensu pueri sponsores; itaque, nisi promissiones illas perventi ad rationis usum pueri confirment, ad eas non tenentur.

73. Resp. Objectam difficultatem non favere nisi Anabaptistis, qui pueros actualis fidei incapaces, negant baptizandos, proindeque ab omnibus Christianis Societatibus puerorum Baptisma admittentibus esse nobiscum pariter solvendum. Cui enim bono pueros vix natos sacris undis illustrare, si Baptismus nil ad eorum fidem consenserat? Denique si puer baptizatus ad promissiones non tenetur, ejus nomine in Baptismo factas, nisi eas confirmarit, satius foret, Baptisma adultam ad ætatem, & post examinis periculum, differre, quam Sacramentum profanationi exponere, casu, quo puer ad usum rationis perventus nollet illud confirmare. Hæc autem Baptismatis dilatio nonne omnium omnino Christianarum societatum praxi opponeretur, ipsorumque consuetudini Calvinistrum? quænam autem est, aut unquam fuit in universo humano genere Ecclesia, quæ infantes baptizatos Catechisticam ad institutionem, & in templis ad laudes Deo cum adultis congeminandas non admiserit, quæque eos ad usum rationis vix perventos capita fidei non docuit, & ad actus fidei supernaturalis eliciendos statim, atque possunt, non excitarit? Nonne hæc est ipsorum praxis Protestantium? quæ namque pro mera formula sit, in aliquibus ipsorum cœtibus a pueris ad usum rationis perventis, deque Cathechismo interrogatis, Baptismi confirmatis non magis præsupponit factum ab ipsis motivorum credibilitatis examen, quam ab aliis quibuscumque, qui exteriorem illam cæremoniam admittunt. Proindeque non magis canonem ferit Tridentinum objecta difficultas, quam doctrinam, & praxim omnium societatum Christianarum, quæ adversus Anabaptistas expedire docent, pueros vix natos lavacro vitæ lustrare.

74. Non movetur tamen hac retorsione adversarius, sed inquit nolle se hac in parte suos tueri Protestantes, apud quos filii æque vix nati baptizantur, & ad usum rationis perventi absque severiori examine, illius amplectuntur Ecclesiæ fidem, in qua baptismum accepere: tollerabiliorem esse adhuc tamen eorum agendi rationem, propterea quod pueris ad usum rationis perventis lectionem præcipiunt Scripturarum, juxta illud Apostoli 2. ad Timoth. 3. tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi, quia ab infantia sacras literas nosti: videtsiqui-

(*a*) Porro meminisse Adversarium oportebat quid primi Protestantium, initio Schismatis Catholicis responderint. Dum enim illi, ante Lutherum, & Calvinum, corrupta omnia clamarent, interrogabant nostri: utinam gentium ante homines illos vera fuisset Ecclesia? Quibus respondebant Protestantes, Ecclesiæ veræ magnam partem, tempore correptionis, in infantibus baptizatis constitisse: neque vero Ecclesiam in cunis jacentem, & vagientem, quæ nec loqui, nec fidem profiteri potuisset, intelligi volebant; sed pueros potius, ante ullum corruptionis fermentum, in fidei, spei, & charitatis actibus versantes: quos tamen vel majus quam nunc instituisse de motivis credendi examen, vel promissiones a sponsoribus in Baptismo factas confirmasse, nemo dixerit.

Digitized by Google

siquidem in illis puer baptizatus objects suæ fidei, & cum eodem Apostolo valet dicere: scio cui credidi, & certus sum; magis certum habentes hoc pacto credibilitatis motivum, quam Romanæ Communionis pueri, quibus talis lectio non permittitur.

75. Resp. Tamen optimam quidem esse lectionem Scripturarum, sed in adulto sapienteque, non puero, aut rudi. Num enim ad actus fidei eliciendos Scripturas legerant Christifideles illi, qui teste Irenæo, lib. 3. adversus hæreses cap. 4. sine charactere, vel attramento scriptam habebant per Spiritum in cordibus suis salutem, & traditionem diligenter custodiebant. D. Paulus non dixit fidem esse ex lectione, & meditatione Scripturarum, sed ad Rom. fides ex auditu; „ quocum consonat Tertullianus in libro de præ„ scriptione cap. 14. fides tua te salvam fecit, „ non exercitatio Scripturarum. D. autem Au„ gustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 49. „ ita in eumdem sensum: homo fide, spe, & „ charitate subnixus non indiget Scripturis, nisi „ ad alios instruendos: " itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine Codicibus vivunt. Quid vero si quis legere nesciat adulta etiam ætate, quemadmodum infimum vulgus, & muliercula? Numquid actum fidei numquam elicere debebunt? quotusquisque porro est, qui sibi persuadeat, puerum octo, vel decem, aut duodecim, & amplius annos natum instituere posse examen Scripturarum, ut inde motiva fidei eliciat? Num actus fidei adusque tempus examinis absoluti protrahet? Hoc in Ecclesia Dei novum utique & inauditum.

76. Directe igitur ut difficultati occurramus respondetur, promisisse revera Sponsores, non pueros, dum baptizarentur, promisisse eorum nomine Ecclesiam: nec ex eo tamen sequi, puerum, dum adoleverit, ad tales promissiones non teneri. Fac enim a viatore hominem in itinere repertum vulneribus confossum, & semivivum, ut ita dixerim, relictum, qui ab eo ad Medicum deferatur, ut sanetur; cumque ob ægritudinem loqui, ægrotus nequeat, permittat ejus nomine viator, hunc sanitati redditum, curam, & laborem Medici pretio pensaturum. Num cogitabimus fas illi homini recepta salute corporis futurum, sponsionem a Viatore factam non implere, propterea quod proprio ore nil Medico promiserit? Nil profecto minus. Cum igitur puer vix e Matris utero egressus, sit filius iræ peccati servus, ac dæmonis mancipium; opera vero Sponsorum, & Ecclesiæ, receperit Baptismum, cujus beneficio e laquei hostis liberatus, Christi frater evaserit, & Ecclesiæ membrum; neque tunc loqui valens, spoponderint ejus nomine Patrini, aut Ecclesia, fore, ut pro accepto beneficio; ad usum rationis perventus, actum fidei sit eliciturus, verbo & opere Christianam professurus pietatem; num, inquam, cogitabimus, fas esse puero ejusmodi factas suo nomine promissiones non implere, propterea quod non ipse, sed soli promiserint Sponsores? Vix humanam in mentem cadere hæc possunt; quippe, cum ob tam insigne beneficium, & tanta sui cum utilitate, fuerit Deo per Sacramentum mancipatus, & accipi porro possit, imo, & debeat, interpretativa pueri voluntas fidem promittendi, si Baptismo a tot malis liberetur. Semel atque per illum liberatus est, non potest, nec debet, ab illis promissionibus recedere, quarum intuitu Sacramentum, & tam uberes jam recepit effectus Sacramenti (a).

77. Inquit Adversarius tamen: Cur in Romana Communione pueri ad usum perventi ad Communionem Ecclesiasticam non admittuntur, nisi quia satis in fide confirmati non existimantur? Itaque infert, ea examina indigere, quo ad usum rationis perventi possint fidem amplecti, & confiteri. Errat ille tamen, siquidem ad meram disciplinam pertinet, quod non statim atque elicere actum fidei possunt pueri, Eucharistica Communione non donentur. Aliquando id vix natis pueris vel cum Baptismate concessum; nec in nostra modo, verum etiam in cæteris societatibus Christianis reverentiæ causa erga tantum Sacramentum id protrahitur. Non quod fidei habeantur incapaces, dum primum adolescunt, citiusque, vel tardius ad usum rationis perventi pueri, eo instructi, sed ut magis in ipsis formetur Christus, atque ex essentiali ad perfectiorem statum fidei perveniant. Si igitur essentialis actus fidei possibilis ipsis est ad rationis usum perventis, & probe institutis, qua de re nemo umquam Christianorum dubitavit; Cur cum ab origine per Baptismum Christo mancipati fuerint, Sacramentali beneficio auxilium supernaturale, & dispositionem ad actum fidei suo eliciendum tempore acceperint, cur inquam ipsis funestissima facultas, ut ancipites in fide forent, & ita adhuc hærerent, ut opus propterea foret eos interrogare, vellent ne ratas habere promissiones baptismales? Nonne idem hoc esset, atque hominem perfectæ sanitati redditum rogare, an eam præferre malit ægritudinis periculo, & mortis?

CA-

(a) Talem autem puerum, olim jam Baptismate donatum, ad usum postea rationis perventum, & Mysteria fidei edoctum, interrogare, velit ne ratas habere promissiones baptismales, id omnino foret, atque hominem jam antea ægrotum, & perfectæ sanitati restitutum, interrogare, an receptam sanitatem ægritudinis periculo, & morti velit anteferre: quo nihil insanius potest cogitari.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

An liceat Baptizare pueros Infidelium.

78. Expedire dicimus infantes vix natos sacro Baptismate donare; quæstio tamen est, an id de infantibus etiam infidelium intelligendum sit: generatim negamus, & ostendimus. D. Thoma verbis 22. quæst. 10. art. 12. scribentis: maximam auctoritatem habet Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda. Quare magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel D. Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris. Hoc autem Ecclesiæ in usu numquam fuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retro actis temporibus multi Catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, & Theodosius, a quibus id Patres nullo modo prætermisissent impetrare, si hoc esset consentaneum rationi; & ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut præter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Judæorum filii invitis Parentibus baptizentur. Hujus ratio duplex est, una quidem propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes, Baptismum susciperent; postmodum cum ad perfectam ætatem pervenirent, facile possent a parentibus induci ad ejurandum, quod ignorantes susceperunt; quod vergeret in fidei detrimentum. Ratio altera est, quia id repugnat justitiæ naturali: Filius enim naturaliter est aliquid Patris. Et primo quidem a parentibus non destituitur secundum corpus, quamdiu in utero Matris continetur. Postmodum vero, postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spirituali utero; quamdiu enim usum rationis non habeat puer, non differt ab animali irrationali: quare sicut bos, vel equus, est alicujus, ut utatur eo, quod voluerit, secundum jus civile, sicut proprio instrumento; ita de jure naturali est, ut filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura Patris. Contra justitiam igitur naturalem est, quod puer, antequam habeat usum rationis, subtrahatur a cura parentum, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus. Postquam tamen incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus, & potest quantum ad ea, quæ sunt juris divini, & naturalis sibi ipse providere. Tuncque est inducendus ad fidem, non coactione, sed persuasione; velitque invitis etiam parentibus consentire fidei, & baptizari; non autem antequam habeat usum rationis, unde pueri antiquorum Patrum salvati sunt in fide Parentum; quibus significatur, ad parentes spectare filiis de salute sua providere, præcipue antequam habeant usum rationis. Hucusque D. Thomas, qui eadem repetit 3. parte, quæst. 68. art. 10. ex quibus abunde patet, fas non esse infidelium filios invitis parentibus baptizare.

79. Obj. I. Magis præstandum est jus divinum baptizari præcipiens, quam jus Patrum baptizari vetans, præsertim cum, esto voluntas propria desit infidelium pueris, non deest tamen divina voluntas, quæ ipsos quoque ad ordinem direxit supernaturalem; cumque Parentes, dum in infidelitate filios nutriunt, peccent, ideo digni sunt, qui patria priventur potestate. Ergo &c.

80. Resp. jussisse quidem Dominum omnes baptizari, sed jussisse id fieri absque alterius injuria, & absque damni periculo gravioris; jussisse id fieri servato naturæ ordine & jure, quia ordo gratiæ perficit, non destruit, ordinem naturæ. Jam vero dum infidelium pueros baptizare volumus, vel ejusmodi pueros a suorum parentum cura subripimus, vel eos ipsis relinquimus. Si primum, maxima fit parentibus injuria, dum ipsis eripiuntur filii, quos inter bona pretiosissima recensent: si alterum, ipsi in periculum certissimum Apostasiæ conjiciuntur parvuli cum maxima Sacramenti contumelia. Peccant utique Parentes pueros in infidelitate nutrientes, sed ita peccant in ordine gratiæ, non in ordine naturæ, quemadmodum peccarent si eos occidere vellent, aut in pravis moribus contra naturæ legem eos instruerent; tunc enim patria privari potestate mererentur. Verum cum in casu nil ejusmodi præconcipiatur, integro apud ipsos remanente naturæ ordine, integrum apud eosdem suorum remanet dominium filiorum, qui propterea inviolato naturæ ordine, & jure, neque subduci ab eorum cura, & potestate possunt, neque licite baptizari.

81. Instat. Jus divinum supernaturale baptizari homines præcipiens, majus est jure divino naturali, ex quo proficiscitur patria potestas, qua vetari infantes dicuntur posse, ne baptizentur. Rursus, jus Dei in filios infidelium, qui civiliter serviunt; atqui pueri infidelium qui serviliter serviunt, volente humano Domino possunt juxta omnes invitis parentibus baptizari; itaque multo magis pueri infidelium qui tantummodo civiliter serviunt, poterunt, jubente Deo, invitis parentibus baptizari. Denique majus est dominium Principis in subditos, quam Patris in fillos; atqui invitis etiam infidelibus Principibus Apostoli verbum Dei prædicare debuerunt, & porro prædicaverunt, ob præceptum Christi: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ*; itaque multo magis invitis infidelibus Parentibus fas erit eorum filios baptizare, ob idem Christi præceptum subjectis additum verbis: *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*.

82. Resp. jus divinum supernaturale esse quidem majus jure divino naturali; nolle Deum tamen nos obedire jure supernaturali, violato ordine

dine ex & jure naturali; quum supernaturale jus non destruat, sed ordinaria lege perficiat, & compleat jus & ordinem naturæ. Porro discrimen est inter infideles qui Christianis civiliter serviunt, & eos, qui serviliter serviunt. Isti patria exciderunt potestate, filiosque procreant, non sibi, sed Dominis. Si tales Domini Christiani, jubentque, filios servorum sibi serviliter servientium baptizari, eos æque Christiana in Religione educari præcipiunt, & volunt; unde nullum sequitur profanationis Baptismatis periculum. Ex opposito quum infideles, qui tantummodo civiliter serviunt, patria non exciderint potestate, non Dominis sed sibi filios procreant, quos ipsis propterea eripere fas non erit; proindeque si tales infantes baptizentur, & Parentibus simul relinquantur, nonne tunc Sacramentum manifestæ exponitur profanationi?

83. Hæc tamen doctrina suas patitur exceptiones. Si infans casu aliquo a paterna domo fuerit abreptus, & in Christianorum terras delatus, nec eum ipsius Parentes sint repetituri, huic potest Baptisma conferri: tunc enim sine Parentibus censetur, illumque, non qui Baptisma dat, sed Deus ipse patriæ subripit potestati, ut docet Augustinus libro de Gratia, & Libero arbitrio Capite 22. Rursus, si infanti mors impendeat, & inscìis Parentibus ejus possit illum clam baptizare, baptiza: illum enim non tu, sed mors certo imminens, a patria liberat potestate. Si alter conjugum Christianus fiat, velitque infantem filium suum baptizari, quantumvis exempli causa uxor reclamet, baptizandus est, baptizatusque separandus est a Matre, & Patri dandus, quemadmodum decrevit Gregorius X. Sunt qui a Parentibus infidelibus pauperrimis dicuntur dato pretio impetrare soli ut filii eorum baptizentur. Sunt qui baptizari arbitrantur posse illorum infantes infidelium, qui multam habere solent prolis, vel Religionis, quam filius professurus erit rationem. Verum prudentiores, & sapientiores id fieri fas esse, omnino negant, quia utroque in casu exponitur Sacramentum periculo profanationis.

84. Validissima hæc ratio non exponendi Sacramentum periculo profanationis, debet nobis esse anchora & puppis. Quippe etiamsi B. Thomas rationem alteram proposuerit violatæ patriæ potestatis, attamen quum humana jura non modicam passa sint mutationem postremis præcipue temporibus, quibus infiniti prope, & inter se diversi Tractatus prodierunt de jure Belli, & Pacis, de jure publico, de jure patrio, deque jure summarum Potestatum circa sacra. quarum examen rerum neque modestiam nostram decet, neque ad nostram pertinet Theologiam: proinde prætermissa etiam quacumque Potestatis Patriæ consideratione, ex solo profanandi Baptismatis periculo omnes feliciter solvuntur difficultates. Quemadmodum enim Salvator noster dedit præceptum Sacramenti Baptismi, ita & præceptum dedit Sacramentorum Eucharistiæ, & Pœnitentiæ, sed nemo suspicari poterit fas esse celebrare Eucharistiam, vel administrare Sacramentum pœnitentiæ si manifestum adsit eorum profanationis periculum.

85 Nec fas esse poterit Baptismum conferre infidelium pueris usu rationis carentibus, dum Parentes inviti filios sint in infidelitate educaturi cum maxima Sacramenti contumelia.

86. Paterfamilias apud Lucam 14. cum convivium instituisset, dixit servo: *exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Nonne jure baptizantur pueri hæreticorum? Nonne integri populi ad Baptisma fuere minis & terroribus compulsi? ergo &c.

87. Resp. Evangelicam parabolam pro SS. interpretatione Patrum significare homines ad fidem compellendos esse precibus, adhortatione, persuasione, prædicatione, & virtutum exemplo, non coactione, non vi, non violato naturæ ordine, & jure. Ingens vero discrimen est inter hæreticorum pueros, & filios infidelium; quippe Ecclesia jus habet in hæreticos, tamquam in filios perduelles; at jus in eos non habet, qui numquam Christi noverunt nomen, juxta illud Apost. 1. ad Cor. 5. quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? eos qui foris sunt, Deus judicabit. Sic jure baptizantur filii eorum infidelium, qui omnino servi sunt, qui videlicet patria ceciderunt potestate, & quorum pueri non parentibus, sed Dominis nascuntur. Secus autem est respectu eorum qui civiliter tantum, aut belli jure serviunt, apud quos patria remanet potestas. Quare facta illa de tot adultis ad Baptismum compulsi numquam probavit, imo semper aversata est, Catholica Ecclesia, ut patet ex Concilio IV. Toletano, ex Epistolis D. Gregorii Magni, & ex responsione Nicolai I. ad consulta Bulgarorum; violenta quippe ejusmodi agendi ratio infamiam Religioni nostræ & fidei conciliat, quasi hæc a Deo non esset corda hominum inclinante cum ex opposito oporteat, Sanctos, idest fideles ab illis, qui foris sunt, hoc est ab infidelibus bonum habere testimonium, ut ait Paulus. Animadvertendum hic tamen, pueros infidelium quia parentibus deferuntur, & venduntur Christianis, quamvis non constet de justa ablatione eorumdem a cura parentum; quia tamen sine parentum conversatione, & cognitione etiam in spe juxta humanas rerum vices esse solent, ejusmodi, inquam, pueros absque parentibus jure & merito censeri, proptereaque Ecclesiam eos solere Baptismate donare. Idem multo magis præstare fas est, si infidelis filius videatur in extremo constitutus periculo, & certo moriturus; tunc enim jam naturaliter abstrahi censetur a patria potestate. Sunt qui arbitrantur legitime, & licite baptizari eorum pueros posse infidelium præsertim Barbarorum, qui nullam habent prolis, aut religionis, quam filius professurus

surus erit rationem, & curam. Minimum tunc enim videtur violandi Sacramenti periculum. Denique illis in Regionibus, ubi propter maximam caloris, & frigoris inclementiam, & propter negligentiam parentum prope omnes infantes ante rationis usum moriuntur, verisimile valde est, posse eos aliquando parentibus etiam inconsultis baptizari.

CAPUT IX.

An valeat Baptismus adultorum, qui ad eum coacti fuerunt.

88. Constat, aliquos Principes zelo quidem in Religionem Christi, sed non secundum scientiam, minis, terroribus, & edictis integros aliquando populos ad suscipiendum Baptisma exegisse; qua in re illos a Christianæ recessisse pietatis, & humanitatis spiritu dubitandum non est; docente Innocentio III. Cap. Majores de Baptismo, Religioni Christianæ esse contrarium, ut aliquis semper invitus, & penitus contradicens, compellatur ad recipiendam, & conservandam fidem Christianam. Revera Christus præcepit quidem baptizari, sed volentes tantum, vel per se, vel per alios; non autem baptizari renuentes. Quæritur utrum valida fuerint ejusmodi Baptismata, cum pervulgata regula sit ea, quæ fiunt metu cadente in constantem virum, irrita esse, & nulla. Valida fuisse tamen statuerunt Pontifices, Concilia, & Theologi prope omnes, qui distinguunt inter aliquem invitum & reluctantem baptizari, & aliquem sive blandimentis, sive etiam minis, & terroribus adduci se passum ad Baptisma. Primo in casu hoc invalidum censentes, non in posteriore. Innocentius III. Capite Majores de Baptismo scripsit: *inter invitum, & invitum, coactum, & coactum, alii non absurde distinguunt: quod is, qui terroribus, atque suppliciis violenter attrahitur; & ne detrimentum capiat, Baptismi suscipit Sacramentum, talis sicut est is, qui ficte ad Baptismum accedit, & characterem suscipit Christianitatis impressum, & ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observationem fidei Christianæ.* Et vero nemo dubitaverit, ea, quæ fiunt metu gravi in constantem & fortem virum cadente, nulla esse, & irrita; sed quis non videat, infideles illos, qui metu suppliciorum Baptisma susceperunt, nec fortes, nec constantes viros fuisse; sed imbelles & ignavos, ideoque non posse illis regulam aptari?

89. Id ut intelligatur, conferendum est malum imminens, quod timetur, cum malo ad quod eligendum minis quis vel terroribus compellitur; tumque si judicio viri prudentis fortis constantisque, majus extimatur, & gravius malum, quod imminet perferendum, quam quod eligendum, amplectendumque proponitur; tunc certe imminentis metus mali, quo quis ad malum aliquod eligendum inducitur, viri constantis & fortis metus est; quæque eo timore fiunt, nulla summo jure, & irrita censentur. Si autem ex opposito prudentis, constantisque judicio viri minus æstimatur, & levius quod imminet perferendum malum, quam quod per minas proponitur eligendum: tunc sane metus, quo quis ad eligendum istud inducitur, imbellis ignarique viri est; proindeque ea, quæ tali metu fiunt, irrita non sunt. Fac mortem homini intentatam, nisi spondeat se talem mulierem in uxorem ducturum: si ille consentiat, metu in virum fortem cadente, dicitur consensisse; quia mortem sibi intentatam majus esse malum juste, & prudenter judicat, quam consensum in Matrimonium; quare irritus, & nullus est hujusmodi consensus. Ast si Tyrannus mortem homini Christiano minitatur, nisi Christum ejuret; si hic ejuraverit, metu in fortem cadente virum ejurasse non dicitur; sed reus gravissimi sceleris habebitur, quia fortis, & constans vir quodcumque supplicium, ipsorumque minus malum existimabit mortem, quam Religionis Sanctissimæ ejurationem.

90. Dum itaque nonnulli Principes minis, vel terroribus ad Baptismum compulerunt aliquos adultos, id illi profecto contra Christi institutionem, & Ecclesiæ Spiritum egere; sed adhuc tamen ratus fuit illiusmodi Baptismus, utpote susceptus, non ex metu gravi in viros cadente fortes, & constantes, sed in eos, qui minus duxere malum, initiari Baptismate, quam supplicia, & mortem sustinere. Quippe si fortes, constantesque fuissent, quo erant animo in errore obfirmato, supplicia, & mortem ducere minus malum debuissent, quam suscipere Baptisma. Istud igitur, quamvis absolute solvissent, conditionate tamen, & magis quam incommoda intentata voluerunt; propterea factum est, ut characterem acceperint Baptismi, quo semel impresso, Christianam ad Religionem adigi jure potuerunt (a).

C A-

(a) Launojus in dissertatione sua de Baptismo varia refert facta Regum, atque Principum, Childerici præsertim, Dagoberti, Caroli Magni, Sizibuti Regis Hispan æ, aliorumque, qui Judæos, vel Gentiles ad Baptismum, & ad fidem coegerunt. Eorum referuntur leges jubentium filios invitis etiam Parentibus baptizari, quas leges Concilia quædam probavere, propterea in Jure Canonico relatas. Et sane id liceat oportet in favorem Baptismi, quod licitum olim fuit in favorem Circumcisionis, quum majo-

Digitized by Google

Caput X.

De Baptismate non iterando.

91. Baptismum semel rite collatum iterari non debere constans fuit omnium christianorum sententia. Hujus rei varia adferunt Theologi veteres, & recentiores argumenta. Fuere qui semel baptizandum docuerunt, quod baptizemur in Christi mortem; Christus autem semel tantum sit mortuus. Fuere qui confugierunt ad verba Christi apud Joan. 13.: *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*. Dogma hoc probari existimarunt alii, eo quod ad Eph. 4. dicitur *unum Baptisma*. Respexerunt alii verba Apostoli ad Hebræos VI. scribentis: *Impossibile erit, eos, qui semel sunt illuminati, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt rursus, renovari ad pœnitentiam*. Hæc namque verba SS. Patres ita intellexerunt: Apostolum non simpliciter negare voluisse posse aliquem per secundam pœnitentiam veniam consequi; sed negare modo voluisse per iteratum eam posse consequi Baptismum. Melius alii eam esse Dei voluntatem argumentantur, tum quod in nullo sacrarum Scripturarum loco Baptismum iterare jubeamur, quod de Eucharistia dici non potest, quippe I. ad Corinth. XI. de ea legimus: *hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem*. Tum etiam cum tot baptizatorum exempla in sacris literis habeamus, nullum tamen rebaptizatum fuisse reperimus; imo Corinthios, & Galatas lapsos, rursus Baptismate donari non jussit Paulus, sed eos modo ad Pœnitentiam revocavit. Cæterum validissima ratio petenda videtur ex natura consecrationis. Res enim semel ad usum aliquem Deo consecrata, talis, quandiu existit, perpetuo manet, Deo ipso Levitici ultimo ita statuente: *quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*. Spectavit hanc rationem August. lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. ubi de Baptismo, & ordinatione scripsit: utrumque Sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: ideoque Catholica in Ecclesia utrumque non licet iterari. Tandem sicut Agno Paschali successit Eucharistia, ita circumcisioni Baptisma; itaque ut iterabatur Pascha, non circumcisio: ita iterata Eucharistia, non debet iterari Baptismus. Denique id Ecclesiastica ostendit historia, id Patres tuentur omnes, & universalis traditio; Catholici potissimum addunt Baptismi non iterandi causam esse, quia imprimit characterem, de quo capite sequenti (a).

92. Obj.

majoris sit Baptismus necessitatis; atqui Matathias vir sapientissimus, referente, & approbante Scriptura, jussit circumcidi omnes pueros bello captos, ut Machabæorum I. legimus Capite 2. ergo &c. Sed objectis ex factis in quorum veritatem, vel circumstantias, inquirere non vacat, nil inferri posse adversus id, quod propugnamus. Amaro aliquorum zelo, ignaviæque, & iniquitati temporum, tribuenda sunt ejusmodi exempla; nec illa Baptismata Synodi, & jus Canonicum referunt, nisi ut valida fuisse decernant, & constituant; non autem ut licita, vel intentanda. Improbaverunt eam agendi rationem Ecclesiæ Hispaniarum, ut aperte intelligitur ex Concilio Toletano IV., Ecclesiæ Galliarum, ut habetur in Concilio Aurelianensi III. Eamdem improbavit agendi rationem Ecclesia Romana, ut intelligere est ex Epistolis Gregorii Magni Pontificis ad Paschasium Episcopum Neapolitanum, ad Vigilium Arelatensem Episcopum, & ad Theodorum Episcopum Massiliensem; nec non ex Nicolao I. in Responsione ad Consulta Bulgarorum, atque ex Innocentio III., loco allegato. Inauditam dicunt omnes esse prædicationem illam, quæ verberibus, vel terroribus fidem exigit: odiosam quoque effici Religionem, odiosum Christi nomen, veluti non ipse auxilio posset suo illud ubicumque voluerit extendere & proferre.

Quod pertinet ad Matathiam credibile est, pueros illos, quos circumcidi jussit, fuisse Judæorum filios, qui a Patribus suis nondum fuerant circumcisi propter metum impii Regis Antiochi, qui acerbis propositis pœnis Mosaicæ Legis cultum vetuerat; quod si fuerunt Gentilium filii, quia Patres eorum justo bello capti erant, Matathiæ servi, & mancipia fuerunt; quare belli jure, quod olim adeo extendebatur, poterant Religioni Judaicæ adscribi. At apud Christianos temperatum esse magis debet belli jus: neque id umquam committendum, quod humanitati, & legibus Catholicæ Ecclesiæ adversatur.

(a) Ad impediendam vero Baptismi iterationem severissimas Ecclesia tulit leges. In Concilio Ilerdensi Canone 14. fideles cum rebaptizatis edere vetantur. Innocentius Pontifex in Epist. ad Victricium diuturnam ipsis satisfactionem, & pœnitentiam injungit. Sanctus Leo in Epistola ad Nicetam, eos qui metu ad iterandum baptisma coacti sunt, nonnisi peracta pro arbitrio Episcopi pœnitentia admitti ad Ecclesiam constituit. Si qui Episcopi, Presbiteri, vel Diaconi secundum baptismum suscepissent, de gradu dejecti per omnem vitam pœnitere debebant, nec orationi, non modo fidelium, sed neque Catechumenorum interesse eis licebat, & in morte communio laica tantum illis reddebatur, quia non solum dignitatem suam Ecclesiasticam, sed ipsam Religionem Christianam per iteratum Baptismum abjecisse, & Paganos se palam professi esse credebantur. Hoc in Decretis legimus Felicis tertii in Concilio Romano, respectu habito ad Ecclesias Africanas, in quibus tales rebaptizationes ab Arianis fiebant. Quoniam vero Hæretici, qui jam extra Ecclesiam constituti erant, illius censuras flocci pendebant; propterea Imperatores Valentinianus, Honorius, & Theodosius junior, varia diversis temporibus

92. Obj. 1. Cyprianus, aliique plurimi, illius ætatis Episcopi, iterum baptizandos esse contendunt, qui fuerant ab hæreticis baptizati: ergo communis fuit sententia de baptismate non iterando.

93. Resp. Falli ita argumentantes: nam Cyprianus, & cæteri Episcopi, qui illius erant opinionis neminem rite baptizatum, iterum baptizare fas esse constantissime docuerunt; & semel in Ecclesia baptizatos, deinde factos peccatores, Apostatas, lapsos, non rursus per Baptismum, sed per Pœnitentiam purgandos esse constituebant. Controversia tantummodo erat de veritate Baptismi, quem hæretici contulissent. Nam quia illi erant extra Ecclesiam, neque nisi in Ecclesia est remissio peccatorum, sanctificatio, & promissio vitæ æternæ. Huic consequebantur Cyprianus, Firmilianus, & alii, non vero fuisse collatum ab hæreticis Baptisma; ideoque non rebaptizandos, sed primum baptizandos esse contendebant, qui apud hæreticos inanem cæremoniam, aut sacramenti potius pollutionem, quam sacramentum ipsum, ut ipsi cogitabant, accepissent. Omittimus Hemero-Baptistas, qui salvari neminem nisi quotidie baptizetur, & ita mundaretur a peccatis, contendebant: erant enim illi ex secta Judæorum ut ex Epiphanio intelligimus hæresi 17. Marcianitarum vero tria olim lavacra frequententium nullam rationem habemus, cum insanos illos; & quidem nullius nominis hæreticos jam ab incunabulis universa damnaverit Ecclesia, quemadmodum docet laudatus S. Doctor Epiphanius hæresi 42.

94. Obj. 2. Æthiopes, ut Osorius lib. tradit de rebus Regis Emanuelis, Epiphaniæ die singulis annis baptizantur. Ergo &c.

95. Resp. Illo ex more Æthiopes nunquam intendere sacrum initiationis, & regenerationis Sacramentum repetere velle. Fatentur enim se numquam cogitasse de iterando Sacramento; quo semel renati, & consecrati sunt; sed solum celebrare memoriam baptismi, quo Christus ea die baptizatus fuit; quemadmodum dum Circumcisionem conjungunt cum Baptismo, id se facere profitentur, non ob necessitatem circumcisionis ad salutem; sed tantum modo, ut ad initiationem Abrahæ, ab infidelibus inter quos degunt, tali signo secernantur.

96. Singularis se se tamen objicit difficultas, nempe, an ille baptizari rursus debeat qui cum adultus ad Baptismum accesserit, & fidem, quam non haberet, simulaverit, propterea regenerationis, & remissionis peccati originalis gratiam non accepit: qua quidem in re tametsi nobiscum conveniant Protestantes, eumque rebaptizandum esse omnino negent, atque statuant, ubi simulatione posita credere inceperit, prorem Baptismum fieri tunc sigillum ejus fœderis, quod Deus iniit cum credentibus; satis tamen explicare nequeunt, quanam ratione id contingat. Opportunam ex opposito hujus rei adferunt Catholici rationem, propterea nempe quod Baptismus, ficto etiam collatus, impresserit characterem Baptismalem de quo statim disputabimus (a).

97. S. Basilius quoque opinioni suæ non ita firmiter adhæsit, ut a christiana Religione eos alienos declararet, qui baptisma Hæreticorum admittebant. Mentem enim suam eadem Epistola ad Amphilochium, eodemque Canone primo, subjectis aperit verbis: *sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam, & dispensationem, Baptisma suscipi Hæreticorum, suscipiatur*; ex quibus profluit, quod etiamsi sua sententia, neque Hæreticorum, neque Laicorum baptisma probaverit Basilius, ratum tamen haberi utrumque posse crediderit, si Ecclesiæ placuerit id recipere & confirmare.

CA-

ribus promulgaverunt adversus ejusmodi Hæreticos decreta, quibus bonorum publicatione puniebatur quicumque ex ipsis aliquem rebaptizasse inventus esset.

(a) Novatiani ipsis, Donatistæ, Ariani, Eunomiani, qui vel a Catholicis, vel in aliis baptizatos sectis, ad suam accedentes, rursus baptizabant, ipsum rebaptismi refugiebant nomen; neque enim denuo se baptizare, sed simpliciter, & primum baptizare contendebant, quibus nempe ratus non erat Baptismus nisi in sectis propriis collatus. Non magis enim Catholicorum, quam Heterodoxorum ejusmodi, cæterorumque omnium perpetua sententia fuit, quemadmodum homo semel generatur, & nascitur, pluries autem mundatur; ita cum semel tantum renasci, & regenerari per baptisma possit; pluries autem per pœnitentiam mundari. Neque enim hic opponendi sunt Hemerobaptistæ, qui salvari neminem posse olim dicebant, nisi quotidie baptizetur; erant illi quippe ex secta Judæorum, ut ajebat S. Epiphanius hæresi 17. Marcionitarum vero tria olim lavacra frequentantium minorem habebimus rationem, quum paucissimi fuerint obscurique, & nullius nominis hæretici, quos jam ab incunabulis universa damnavit Ecclesia, ut monet laudatus Epiphanius hæresi 42.

Digitized by Google

Caput XI.

De charactere Baptismali.

98. Aiunt itaque Orthodoxi Baptismalem characterem esse spiritualem quamdam notam, instar signi, Sigilli & tesseræ spiritualis, in anima impressam, per quam homo permanenter consecratur Christo, fitque membrum familiæ ipsius, & Ecclesiæ, atque evadit particeps omnium privilegiorum Christianæ societatis. Scholasticorum commentum hanc characteris existentiam esse criminantur Protestantes, qui loca Scripturarum, a nonnullis Theologis Orthodoxis allegata, de spirituali regeneratione intelligi oportere contendunt, non autem aliquo de charactere. Qua quidem in re præstantissimos aliquos Catholicos habent consentientes, qui recte tamen animadvertunt, fidei dogmata non a solo Verbo Dei scripto, sed a verbo æque Dei tradito esse repetenda: a posteriore hoc igitur, quod dignoscitur traditione, & scriptis Patrum, existentiam erui Baptismalis characteris.

99. Et sane interdum sacri lavacri Sigillum celebrat S. Gregorius Nazianzenus, oratione 40. quæ est in Sanctum Baptisma. S. Epiphanius hæresi VIII. inquit: *Per Baptismum in Dei nomine signamur*. Sanct. Cyrillus Jerosolymitanus Catech. IV. inquit: *Spiritus Sanctus tempore Baptismatis animam obsignat*; & præfatione in Catecheses enumerans effectus plurimos Baptismi, hunc ei tribuit, quod sit *signaculum sanctum & indelebile*: S. Ambrosius in lib. de iis, qui initiantur cap. 7. inquit: *accepisti signaculum Spirituale*: S. Basilius hom. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum, scripsit: *nisi characterem in te cognoscat Angelus, quomodo pro te pugnabit?* S. Joann. Chrysostomus hom. 3. in 2. ad Cor. epist. scribit: *Sicut militibus signum Imperatoris, sic & fidelibus spiritus imponitur*. Disertissime vero omnium S. Augustinus admittit characterem distinctum a Baptismo, & ab eo impressum, ea de causa, quod Baptismus sit communis bonis, & malis, & nequeat iterari. Libro VI. de Baptismo Capite I. vocat Baptismum *characterem Dominicum*. Libro II. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. probat in Baptismo esse characterem; ex eo quod in qualibet militia quædam est militis nota ad dignoscendos Desertores; & Tractatu VI. in Joannem loquens de Baptizato in hæresi, inquiebat: quod foris accepisti approbo; character est Regis mei: corrigo desertorem, non immuto characterem. Ita & S. Gregorius Magnus lib. II. Epistola 32. Innocentius III. Cap. *majores*, & cum B. Thoma cæteri Orthodoxi. Et ita cæteri Patres præsertim Augustinus qui tot illis suis operibus contra Donatistas nihil ostendit, prædicavit, propugnavit, & confirmavit magis, quam remanere Baptisma semel in forma Ecclesiæ quibuscumque, & ubicumque collatum proindeque absque piaculo non iterandum. Ideo enim sive in ficte accedente ad Baptismum, sive in baptizato ab hæreticis; sive in desertore ad Ecclesiam revertente, non iterandum esse Baptismum docuit Augustinus; quia in homine semel baptizato tale Sacramentum remanet, ac perseverat. Atqui Sacramentum non remanet, & perseverat suo in ritu, & cæremonia, quæ actio transiens est; non remanet in desertoribus, & fictis, quantum ad effectum gratiæ, quia ficti eam in Baptismate non acceperunt, alii ob hæresim eam amisere; superest igitur ut Baptismus illis remaneat, quantum ad characterem, ut expressis ait verbis Augustinus in eorum animis indelebiliter impressum.

100. Obj. I. S. Augustinus, ex quo præsertim se hausisse gloriantur de charactere doctrinam recentiores Orthodoxi, iisdem tamen non favet; siquidem non semel affirmat, characterem Baptismalem agnosci exterius, & agnitum approbari; docet nihil esse aliud, quam invocationem Sanctissimæ Trinitatis in Baptismo: docet deníque a ritu externo non distingui: nam in sermone ad Plebem Cæsariensem ita scribit: *Donatus non baptizavit in nomine Donati; nam si in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret*. Opponit tunc S. Doctor characterem Baptismatis Donati, si in suo nomine hic baptizasset, characterri, qui imprimitur in Baptismate collato in Christi nomine, sed character Donati numquam fuisset signum, vel sigillum spirituale in anima impressum; sed mera extrinseca denominatio orta a ritu exteriori illius Baptismi; ergo idem juxta Augustinum dici debet de charactere ex ceremonia Baptismi nostri emergente.

Resp. Voluisse Augustinum characterem non cognosci in se, sed in sua causa, vel effectu, scilicet vel ex actione Baptismali, vel ex professione Trinitatis. Ex hypothesi autem impossibili argumentabatur contra Donatistas, ut evinceret, Baptismum non illius, qui lavacrum conferebat; sed illius, in cujus nomine conferebatur, haberi oportere Sacramentum. Itaque inquiebat, si Donatus suo baptizasset nomine, suum dedisset signum, suum characterem, suum Sacramentum, proptereaque omnes, qui in Christi nomine baptizant, non suum, sed Christi conferunt Baptismum. Quod ratiocinium valet maxime, tametsi rursus esse nossit Donati character, quamvis hic revera suo nomine baptizavisset. Alias si ex quo nullus fuit Donati character, inferri debeat, nullum etiam esse in baptizatis nostris characterem; æque inferre opus erit, ex quo nullum potuerit esse Sacramentum Baptismatis Donati, nullum etiam esse institutum a Christo Baptismi Sacramentum, quod nemo certe dixerit.

101. Obj. 2. Romanæ Ecclesiæ Doctores pro-

bant in Baptismo imprimi characterem, quia iterari non potest, & rursus iterari non posse, quia imprimit characterem; ejusmodi vero est vitiosus, ut ajunt, circulus. Iidem volunt ob characterem Baptismi, illum, qui ficte acceperit, & postea crediderit, remissionem peccatorum, quæ ante Baptismum perpetraverat, consequi. Cur igitur ob eumdem characterem, dum pœnituerit, non consequetur remissionem peccatorum, quæ commisit post Baptismum? Si enim Baptismus reviviscit in ficto, cur non in lapso?

102. Resp. Ecclesiæ Romanæ Doctores non docere imprimi characterem in Baptismo quia iterari non potest, sed quia ita docet traditio, & Ecclesia, neque rursus docere, Baptismum iterari non posse, quia imprimit characterem, sed quia ita in traditione, & ab Ecclesia constitutum intelligunt. Posito charactere sequitur Baptismum non esse iterandum: posito ipsum non debere iterari argumentamur characterem jam fuisse impressum: Verum altiora sunt utriusque veritatis fundamenta ex auctoritate nempe traditionis derivata. Ideo autem in ficte accedente, dum ipsum pœnitet, delentur peccata ante Baptismum commissa, quia ad id institutus est Baptismus; non delentur vi Baptismatis peccata post ipsum commissa, quia ad talia remittenda Sacramentum ejusmodi institutum non est, sed illud pœnitentiæ ut late ostendunt Orthodoxi, ubi de posteriore hoc agunt Sacramento.

103. Obj. 3. Ex quo Patres dixerint homines Baptismo obsignari, vel signaculum Christi in Baptismate accipere, inferendus non est baptismalis character indelebiliter in anima impressus; quippe nominibus illis intelligebant, vel signum crucis, vel baptismalem gratiam, vel virtutes, & actus hominis jam baptizati. Divus Ambrosius Libro de Isaac & anima cap. 8. scribebat: Signaculum Christi in fronte est; signaculum in corde. In fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus. Signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat imago ejus in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus, & factis, ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis. Hinc Augustinus dicebat, baptismalem characterem agnosci exterius, & agnitum approbari. Quis autem sibi persuaserit, id affirmari posse de spirituali tessera in anima impressa.

104. Resp. Non negari Patres illis aliquando vocibus significasse signum crucis, baptismalem gratiam, virtutesque & actus hominis jam baptizati; & facile concedi eos dixisse characterem baptismalem cognosci exterius, non quidem in se, sed in sua causa, vel effectu, videlicet, vel ex actione baptismatis, vel ex professione Trinitatis. Negatur adhuc tamen, Sanctos Patres illis vocibus non significasse sæpenumero spiritualem notam, & tesseram indelebiliter per Baptismum in anima impressam. Patet id ex celebri & diuturna ipsorum concertatione cum Donatistis circa Baptismum Hæreticorum; nil enim docebant magis, quam remanere Baptismum semel in forma Ecclesiæ quibuscumque, & ubicumque collatum, proindeque absque piaculo non iterandum: ideo enim sive in ficte accedente ad Baptismum, sive in baptizato ab hæreticis, sive in desertore ad Ecclesiam revertente, Sacramentum hoc non esse iterandum constituebant, quia in homine semel baptizato tale Sacramentum remanet, & perseverat; atqui Sacramentum remanere non poterat, & perseverare in ritu suo, & cæremonia, quæ fuerat actio transiens: non remanere poterat in desertoribus, & hæreticis, & fictis, quantum ad effectum gratiæ: quia ficti eam in Baptismo non acceperant; alii ob hæresim, vel apostasiam, gratiam amiserant; reliquum igitur esse debebat, & porro erat, juxta Patres, ut Baptismus quantum ad characterem remaneret in illorum etiam animis qui ficte ad eum accesserant, indelebiliter impressum.

105. Cum Patribus, & nobiscum in eo conveniunt Protestantes, iterum baptizari non debere illum qui ficto accesserat animo ad Baptisma, dum eum simulationis pœnitet, non quia, inquiunt, impressus per Baptismum fuerit character, sed quia baptismalis cæremonia, etiamsi fuerit actio transiens & præterita, valet adhuc tamen eum, qui ficto animo ad Sacramenti hujus susceptionem accesserit, distinguere tamquam baptizatum a non baptizato; sed primum, Baptismus non modo distinguit baptizatum a non Baptizato; sed magis hominem efficit Deo consecratum, verumque & proprium civem Christianæ civitatis, ad res idoneum sacras, & ad Sacramenta alia suscipienda; Deinde num actio præterita, & transiens a Sanctis Patribus appellata fuisset Dominicus character cum militari charactere conferendus? nam vocata fuisset interius animæ signum, & sigillum, vel signaculum spirituale ab Angelo Sancto cognoscendum? Minime sane gentium. Voce profecto characteris intelligendam esse notam, signum, tesseram, imaginem permanenter impressam, vel insculptam, ex Aristotele, Luciano, Philone, aliisque optimis Scriptoribus adnotant inter adversarios non pauci suis in Commentariis ad caput 1. Epistolæ ad Hebræos. Cur itaque ea uti voce Patres voluissent ad actionem præteritam, & transeuntem Baptismi denotandam? Cordatus nemo id umquam cogitabit. (a)

CA-

(a) Scholastici innumeras de Charactere quæstiones habuerunt quin unquam conveniant; At non de existentia sed de natura characteris explicanda dissentiunt sicut in peccati originalis natura expenenda

CAPUT XII.

De gratia Baptismali.

106. Doctrina Orthodoxorum est, Baptismum, rite collatum, & acceptum, conferre gratiam interiorem sanctificantem; per quam Baptizatus renascitur, regeneratur, innovatur, fit Dei filius, Christi membrum, unus cum eo spiritus, & capax vitæ æternæ. Sedente Clemente V. videntur Theologi nonnulli dubitasse, an etiam pueri baptizati habitualem gratiam consequerentur, an vero solam remissionem peccati originalis; qua de re exstat constitutio ejusdem Pontificis in Concilio Viennensi edita, in qua opinionem, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, *tamquam probabiliorem*, & doctrinis SS. PP. magis consonam, statuit esse eligendam. Non fugit talis constitutio Protestantes, qui ex ea confirmari posse contenderunt, ante Florentini, & Tridentini Concilii tempora, caput fidei in Ecclesia non fuisse, Sacramentum novæ legis producere gratiam ex opere operato, cum opinionem illam Pontifex probabiliorem esse dumtaxat constituerit.

107. Falli ipsos tamen nostri satis ostenderunt, probantes eam de qua agit Pontifex, fuisse scholasticam mere controversiam, ipsosque illos Theologos, qui parvulis habitualem gratiam in Baptismo infundi dubitabant, vim tamen intrinsecam Sacramenti non negasse. Nempe nonnulli existimabant increata sanctitate Christi, tamquam capitis, ipsa membra ejus irrorari, & regenerari initiatos ipsi Sancti Spiritus substantia, & charitate increata. Alii licet per Baptisma parvulis remitti culpam, & gratiam conferri dicerent, virtutes tamen reliquas non infundi contendebant; sed postea cum e vivis excederent, vel ad provectiorem ætatem pervenirent, tum demum eis tribui ejusmodi virtutes. Virtutum siquidem infusionem in hominibus contingere dicebant, ut eorum potentiæ quoddam operandum adminiculum habeant; cum vero infantes minime proportionatis ad agendum potentiis prædiți adhuc sint, hinc fieri non posse, ut habitibus virtutum ornarentur, etsi sacro salutis fonte abluti fuissent. Alii parvulis in Baptismo dari virtutes in sua solum radice arbitrabantur, non in propria tamen specie, & natura. Alii denique ita differebant: Virtutes possunt accipi duobus modis, altero secundum esse incompletum, ut sunt quædam dispositiones: altero ut sunt habitus velati, & qualitates. Priore modo eas parvulis in Baptismo infundi concedebant, non item posteriore. His constitutis videt quisque ex diversis ejusmodi veterum aliquot inter Scholasticos de parvulorum Baptismate sententiis non recte concici: de fide antiquis temporibus minime fuisse, Sacramenta vim continere internum aliquid, atque fixum in anima hominis producendi; cum enim vel ipsi, qui habitus virtutum, & habitualem negabant gratiam in parvulis Baptismatis, Theologi ponerent adhuc tamen vi Baptismatis deleri in pueris maculam originalem, & Baptisma dicerent illis proficere, certissime ad salutem, profecto talem tribuebant Baptismati virtutem, quæ ipsum ex se, Divinaque ex promissione, efficax esse manifestabat. Ut paucis dicam: gratiam in Baptismo conferri etiam parvulis non dubitabant, quatenus peccatum originale remittebat; negabant quatenus per modum habitus, & qualitatis in illis permaneret: qua in Philosophia magis accuratam cogitandi rationem desiderari possumus, sed quæri de neglecto, aut violato dogmate non possumus.

108. Rem ita se habere vel inde manifestum est, quod tota illa habituum doctrina, teste Morino lib. 3. de administratione Pœnitentiæ cap. 7. Mille supra centum annis in Ecclesia ignorata fuerit, Patresque fere omnes ante hoc temporis spatium, vim Sacramentorum, & virtutem, hominisque impii justificationem, non adscito cujusdem habitus adminiculo, explicarint. Patres siquidem eos, qui Baptismo illustrabantur, dicebant evadere filios Dei, amicos Dei, accipere donum Dei, habere Spiritum Sanctum, sigillum Sancti Spiritus, Christum in illis habitare, Spiritum Sanctum in illis operari; & similia. D. Augustini verba sunt in epistola ad Dardanum: *Dicimus ergo in parvulis baptizatis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum Sanctum.* Rursus Libros de peccatorum meritis, & remissione capite 9. scribebat: *Christum dare fidelibus occultissimam sui Spiritus gratiam, quam latenter infundit & parvulis.* Libro autem de Gratia, & libero arbitrio, cap. 22. de infantibus loquens, qui, dum baptizantur, obluctari solent, inquiebat: *Hæret in illis etiam reluctantibus gratia.* Hæc vero omnia Sacri lavacri dona, munera, effectus, & beneficia, scholastici demum, pro suorum Philosophia temporum habituum, & qualitatum supernaturalium nomine donare voluerunt.

109. Non diffitemur itaque Clementis decretum omnibus palam facere, quosdam ætate sua extitisse, qui aperte negarunt cum Baptismo infan-

---

da non conveniunt, licet peccatum hoc omnes admittant. Doctrina existentiæ characteris ad fidem; doctrina essentiæ characteris ad Scholæ pertinet opinionem.

infantibus gratiam infundi; sed quærere licet: quanam notione illi gratiam, quam inficiati sunt, intellectam voluerint? Certe in eo sensu illi gratiam infundi negavere, in quo id temporis alii oppositæ sententiæ Doctores illam admiserunt, quum hos illis Clementina constitutio ex adverso ponat; sed hanc gratiam a secundi Ordinis Theologis admissam eadem constitutio vocat *informantem*, *& habitualem*; inquit enim: *aliis asserentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, nonnullis dicentibus, dimitti peccatum, & virtutes infundi, habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad adultam ætatem*. Proinde gratia, quam primi Theologi negabant, & quam posteriores asserebant infundi, habitualis gratia est, nomine habitus, & permanentis cujusdam qualitatis expressa. Cur igitur Clemens V. secundam opinionem tamquam probabiliorem complectitur, probabiliorem non appellat opinionem eam, quæ justificationem baptizati pueri per aliquid internum, fixum, animæque insitum, & ab actibus distinctum confiteri contendit; hæc siquidem non modo inter fines probabilitatis consistit, sed fidei constitutione semper certa existimata est? verum probabiliorem eam nuncupat, ea solum ex parte, qua asseritur illud internum, fixumque, quod per Baptismum acquiritur, alicujus habitus, & qualitatis natura, & nomine esse insigniendum.

110. Sane nisi attendamus ad Scriptorum Philosophiam, & phrasim, & seriem orationis, proclive erit, ut in eorum assequenda mente decipiamur. Fuere inter Patres, qui dixere, Baptismo Joannis remissa fuisse peccata; Baptismo autem Christi collatam gratiam, & Spiritum Sanctum. Inter Patres fuere, qui docuerunt, Baptismo Christi remitti peccata, Confirmatione recipi gratiam, & Spiritum Sanctum. Numquid remitti possunt peccata sine gratia, & sancto Spiritu? Nil profecto minus. Verum Patres phrasi utebantur scripturali, quæ Spiritus sancti nomine modo gratiam remittentem peccata denotat, modo gratiam adoptionis, modo ipsius gratiæ incrementum, non semel ejusdem gratiæ virtutes, & operationes, aliquando sacram Ecclesiæ Ministrorum potestatem, aliquando donum linguarum, Prophetiæ, & miraculorum, aliaque sexcenta a sancto Spiritu profecta. Distinguebant igitur Patres inter Spiritum sanctum prout remittit peccata, & Spiritum sanctum, prout dat robur ad profitendam fidem, vel alia tribuit dona; quemadmodum Apostoli, qui Spiritum sanctum ante Ascensionem Christi in cælum jam habebant, dicuntur in Scripturis, iterum sanctum accepisse Spiritum die Pentecostes sacro; idest uberiora ejusdem Spiritus charismata; proindeque ut uberiorem aliquando significarent gratiam, uberiores sancti Spiritus effectus, scripturalibus illis utebantur Patres dicendi modis, quibus tamen, ut ex serie orationis eorum patet, receptissimam protestabantur Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, quæ professa semper est, regenerationem in Baptismo fieri illustratione sancti Spiritus, & interiori dono gratiæ, & sanctitatis, quam in baptizatorum animos per modum habitus infundi dicimus in præsens pro doctrina satis constituta, & phrasi generatim consecrata; & ut ab hæreticis regenerationem baptismalem in sola non imputatione peccati originalis, vel in sola justitiæ Christi imputatione constituentibus, longius recedamus (a).

CA-

(a) Samuel Basnagius in Annalibus Politico-Ecclesiasticis ad A. D. 54. num. XXVI. nonnullorum opinionibus recensitis scribit: de vero propius abesse ea videtur, quam palam clarissimus protulit Harduinus, nempe illorum indicari Baptismum, qui pœnarum Corinthiis cælitus irrogatarum metu, sacris undis ablui cupiebant: eo, inquit de Bapt. pro mortuis p. 18. *anno nimirum morbus invaserat, quo grassante, diem plurimi supremum obibant. Et in his haud pauci eorum, qui, ut Pacianus ait, ad altare veniebant indigni. Quamobrem ingruentis lethi metu τῶ φοβῶ τῶν νεκρῶν, propter mortuos, sive occasione mortuorum ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quorum maximus numerus fuit, Baptismo alii ut tingerentur, orabant. Et quominus restare via videbatur, hoc solicitius viaticum alterius vitæ quærere, nec lavacro ante obitum carere velle*. Ea quidem explicatio; & in re Corinthiis cum novissima, tum ad permovendos animos aptissima collocatur, & vim verborum quoque retinet. Sic ὑπὲρ sumitur II. Corinthiorum V. 15. Ephes. III. 13. Neque explanationi desunt exempla. Sic Commentariensis perpetrato in carcere miraculo, tremefactus accidit Paullo & Silæ ad pedes, *& baptizatus est ipse, & domestici illius illico*. Act. XVI. Nissenus in eos, qui differunt Baptisma T. II. p. 125. inquit: *vidi quando aliquis terræ motus in mundo exortus fuerit, aut famer pestisve sævierit, aut irruptio facta sit inimicorum, festinare omnes ad Baptisterium, ne vacui gratia excedant*. Augustinus, quem laudat Harduinus, Libro XX. de Civitate Dei cap. 9. *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc est regnum Christi. Alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi: Nec aliud prodesset ad ejus in periculis Baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc vita*. Suspiciatur & Hieronymus Epist. LXI. cap. 16. adversus errores Joannis Hierosolymitani: Ad alia festinanti sufficient verba Marcellini in Cronico. Anno Domini CCCCXIX. Monaxio & Plinta Coss. 6. comiti Marcellino fides, mul-

CAPUT XIII.

De Ministro Baptismo.

411. CUM duplici fieri possit modo Baptismalis cæremonia, publice, vel solemniter, atque etiam private; hinc fit, ut sit duplex etiam Baptismi Minister, nempe ordinarius & extraordinarius. Omnia, quæ hac de re antiqui docuerunt, paucis comprehendit Eugenius IV. Romanus Pontifex in suo decreto scribens: *Minister est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier, imo etiam Paganus, vel Hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ, & facere intendat, quod facit Ecclesia.* Hujus autem ratio est, quod apud Orthodoxos dogma sit, Baptismum esse omnino ad salutem necessarium: itaque in extremæ necessitatis casu, si ordinarius Minister non adsit, extraordinarium admitti posse existimant, quo munere Laicum non modo, sed fœminam quoque, imo non baptizatum, tunc fungi posse permittunt. (a)

412. Hujus antiquitatem doctrinæ, & disciplinæ habemus in Tertulliano, qui lib. de Bapt. cap. 17. inquit: Baptismi dandi jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem; quo salvo salva pax est. Alioquin etiam Laicis jus est: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest: proindeque & Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis Laicis disciplina verecundiæ, & modestia incumbit, cum ea Majoribus competat, ne sibi assumant dicatum Episcopis officium Episcopatus; sufficiat scilicet in necessitatibus utaris sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia securitatis excipitur cum viget circumstantia periclitantis: quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod libere potuit. In hoc Tertulliani loco expres-

---

multæ Palestinæ Civitates, Villæque terræ motu collapsæ. Dominus noster Jesus Christus semper ubique præsens, & super montem Oliveti Hierosolymæ vicinum se se de nube manifestavit. Multæ tunc utriusque sexus vicinarum Gentium nationes, tam visu, quam auditu perterritæ, atque credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt. Simili motu concussi Judæi, qui permittente Juliano Templum instaurare Hierosolymitanum conabantur: *cum inflictas a Deo plagas extimescerent, diffugerunt, & ad suas quique sedes reversi sunt, Deum esse confitentes eum, quem majores ipsorum olim cruci suffixerant*, ut narrat Theodoretus H. E. L. 8. III. cap. 20. quo casu multos fuisse sacri Baptismi cupidos, aperte liquet.

Tertullianus Libro contra Marcionem V. cap. 10. Quid, ait, facient qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt? Viderit institutio ista Kalendæ si feriæ Februariæ respondebunt illi, pro mortuis petere. Noli ergo Apostolum novum statim auctorem, aut confirmatorem ejus denotare, ut tanto magis sisteret carnis resurrectionem, quanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur side resurrectionis hoc facerent. Habemus illum alicubi unius baptismi definitorem. Igitur ac pro mortuis tingui, pro corporibus est tingui; mortuum enim corpus ostendimus. Quid facient qui pro corporibus baptizantur, si corpora non resurgunt?

Tertull. de Baptismo cap V. Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu spiritualium potestatum eadem efficacia idolis suis subministrant, sed viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur undis alicujus, aut Mithræ. Ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt. Ceterum Villas, Domos, Templa, totasque urbes aspergine circumlatæ aquæ expiant passim. Certe ludis apollinaribus, & eleusiniis tinguntur, idque se in regenerationem ex impuritate perjuriorum suorum agere præsumunt. Item penes veteres quisquis se homini Deo infecerat purgatrice aqua se expiabat. Libro de anima cap. 40. idem Tertull. Hinc enim, & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina. Ceterum inquit, immundi nascerentur, quasi designatos tamen sanctitati, & per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios; ut hujus spei pignore matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat dominicæ definitionis: nisi quis nasceretur ex aqua, & spiritu, non ibit in regnum Dei, id est, non erit sanctus. Ceterum Harduini absurdum opinamentum & novitatis monstrum nullo sane fulcitur fundamento, unitatem sacramentorum evertit, prout eam vigere diximus in utraque Orientali, & Occidentali Ecclesia, ex ut alia quam plura omittam, neque in sacris litteris, nec in Traditione, nec in Ecclesiæ praxi, aut sacramentorum analogia ullum habere posse argumentum, omnino propterea exulandum.

(a) Hujus antiquitatem doctrinæ, & disciplinæ ostendunt Theologi Orthodoxi testimoniis Tertulliani, Concilii Illiberitani, Ecclesiæ Alexandrinæ, Hieronymi, Augustini, Gelasii Romani Pontificis, Isidori Episcopi Hispalensis. Conciliorum etiam, atque synodorum, nec non ex Canonibus, & praxi Ecclesiarum Orientis, & Occidentis recentiorum temporum. Photius siquidem inter omnes, quas adversus Ecclesiam Romanam efformavit objectiones in famosa sua Epistola encyclica, materiam hanc nequidem tetigit, quod absque dubio facturus fuisset, si qua inter Orientales atque Occidentales ea in doctrina & praxi, differentia extitisset.

Digitized by Google

pressam animadvertunt Theologi perpetuam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, & praxim: videlicet Baptismi *(a)* administrationem ad Episcopos, Presbyteros, Diaconos, & Laicos pertinere, sed non eodem modo; ad Episcopos tamquam ad primarios Ministros; ad Presbyteros tamquam ad Sacerdotes; ad Diaconos tamquam ad Delegatos ab Episcopis; ad Laicos in casu solum necessitatis; quare tametsi, dum possemus, ordinis rationem habere debeamus, adeout quam maxime peccet, qui extra necessitatis locum, dat operam, ut violetur. Secus tamen, si urgeat necessitas, juxta constantissimam, & innumeris confirmatam monumentis Ecclesiæ consuetudinem, & traditionem, quam Calvinus ipse, licet non probaverit, apertissime tamen agnovit lib. 6. institutionum cap. 4. Paragrapho 20. his verbis: *quod multis abhinc sæculis, ideoque ab ipso fere exordio Ecclesiæ usu receptum video, ut in periculo mortis, laici baptizarent, si Minister in tempore non adesset; non video, quam firma ratione possit defendi!* Et sane quum satis constitutum sit, Sacramentum non ex ejus manu æstimandum esse, a quo administratur, sed velut ex ipsa Dei manu, a quo procul dubio profectum est: inde colligere licet, nihil illi adferri, vel auferri de ipsius dignitate, per cujus manum traditur. Propterea, sicut inter homines, si qua missa Epistola fuerit, modo satis & manus & signum agnoscantur, minime refert, quis vel qualis tabellarius fuerit: ita sufficere nobis debet manum & signum Domini Nostri suo in Baptismate agnoscere, a quocumque tandem Tabellario deferatur. Qui enim pauci numero Anabaptistæ, & de Calvinianorum grege aliqui, nisi a publico Ministro collatum valere Baptisma, adversus omnem antiquitatem, ipsamque adversus majorem Hæreticorum partem, negant; ii Donatistarum errorem in medium revocant: contra quorum ineptias satis valida ratione muniemur, si cogitabimus, tradi sacrum lavacrum, non in nomine Baptizantis: sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ideoque Baptismum non esse hominis, sed Dei, a quocumque demum fuerit administratum.

113. Verum quare non poterit defendi? quia inquit, cæteris cum Calvinianis Vossius disp. 10. de Bapt., si Minister non adsit nulla est necessitas Baptismi; inficiatur siquidem infantes ideo periclitari de salute, quia non possint rite baptizari, ideoque censet potius quam ad Baptismum a Laico, Muliere, aut ab infideli conferendum, cujus neque mandatum, neque exemplum in Scripturis exhibetur, confugiendum esse ad preces, quibus ea gratia puero extra ordinem a Deo impetretur quam ordinarie conferre solet per Baptismum. Addunt, Ministros Baptismi pro Christo legatione fungi, neque ejusmodi esse posse Laicos, Mulieres, infideles; quare eo pacto, quo dicta, factaque hominis privati se se pro Legato venditantis, pro nihilo haberentur; aut sigillum ad publici imitationem a privato quopiam effectum, & cuipiam instrumento appensum, nullius valoris esse & momenti, ita & nullum esse Baptisma ab eo, qui publicus non sit Minister Ecclesiæ, collatum.

114. Ast quantum hujusmodi fallaciis errent adversarii, qui etiam paucissima intelligunt. Tam enim ipsimet fatentur nulla futura fore talia argumenta, si Baptismus revera necessitate medii esset necessarius ad salutem, & gratiam efficeret ex opere operato. Cum autem hæc a nobis jam fuerint ostensa, sequitur inania esse, quæ objiciuntur argumenta. Neque porro valet quod ajunt nec præceptum haberi in Scripturis, nec exemplum. Non habetur in illis nec expressum præceptum, nec exemplum Eucharistiæ Mulieribus tradendæ, quibus tamen eam tradendam esse volunt Calviniani. Nec expressum exemplum habetur, nec præceptum de pueris vix natis baptizandis, & tamen adversarii puerorum Baptisma adversus Anabaptistas propugnant. Non est mandatum, aut exemplum in Scripturis de Eucharistia a Laicis consecranda, & tamen Calviniani præsertim Grossius id fieri posse contendunt, si copia Ministri non adsit, veluti in casu necessitatis. Cur igitur in extremo necessitatis casu fas non erit cunctis baptizare, cum id demum constituerit a Spiritu Sancto Dei edocta Catholica Ecclesia!

Mira profecto doctrinæ adversariorum antilogia, cujus occasione animum sumit, quod inquiebat Tertullianus de quibusdam Laicis sui temporis, qui cum se se peræquare Clero gestiebant, adducebant in medium loca Scripturarum: omnes unum sumus: fecit nos Sacerdotes Deo, & similia; sed cum ad peræquationem disciplinæ provocabantur, tunc infulas deponebant, seque

---

(a) Nec propterea dandi Baptismi Jus æque omnibus, eodemque modo competit; sed Episcopis, & propriis Sacerdotibus competit ex auctoritate, & ex officio; Diaconis tamquam delegatis ab Episcopo; Laicis autem privatim tantummodo permittitur in extremæ necessitatis casu, adeo ut, dum possumus, ordinis rationem habere omnino debeamus; quare gravissime peccaret, qui extra necessitatis casum, ordinis violationem, vel perturbationem induceret: attamen, si urgeat necessitas, juxta constantissimam, & innumeris confirmatam monumentis, Ecclesiæ consuetudinem & traditionem, potest quicumque valide non solum, sed licite etiam baptizare.

Digitized by Google

que impares, & inferiores esse Clericis declarabant: ita in casu nostro adversarii. Ita nos ordinem sacrum esse dicimus divino jure institutum, illi statim allegant verba Ilarii Romani Diaconi commentario in cap. 4. epist. ad Eph. Primum omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuscumque diebus, & temporibus, & ut cresceret plebs, & multiplicaretur, omnibus intra initia concessum est & evangelizare, & baptizare. At ubi conventicula constituta sunt, & rectores & cetera officia in Ecclesia sunt ordinata. Ast ubi ventum est ad dogma de absoluta Baptismi necessitate, ex qua oritur facultas in omnibus illud in necessitatis casu administrandi, tunc juxta adversarios administratio Baptismi ad eos pertinere solum debet, quibus concredita est dispensatio Mysteriorum Dei. Nonne hoc idem est, atque se se perpetuæ opponere doctrinæ, & consuetudini Ecclesiæ?

115. Neque diffitemur tamen Baptisma a Laicis, & a Mulieribus collatum, veteres aliquos minime probasse, eos præsertim, quibus probatum non erat Baptisma hæreticorum; Laicos etiam aliquibus in locis abstinuisse se a sacro lavacro etiam in necessitatis casu administrando; hæreticos nonnullos a Tertulliano, & Epiphanio reprehensos propterea quod fœminæ in eorum sectis Baptisma administrarent; denique principium illud, quo multi Patres usi sunt, quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, ut inferrent, Laicos, & mulieres posse in necessitatis casu baptizare; principium inquam illud facere contra infideles, qui cum Baptismum non acceperint, non videntur propterea illud posse administrare.

116. Verum quemadmodum ex definitione Ecclesiæ intellectum tandem est, veteres illos, qui non admittebant Baptisma hæreticorum errasse; ita statui idem oportet eorum de opinione circa Baptisma Laicorum; ejusdem Ecclesiæ definitio infertur ex decretis Conciliorum Nicæni, Arelatensis, Florentini, Tridentini, exque responsis plurium Pontificum, quæ consonant cum celebri decreto Pontificis Stephani in causa rebaptizantium, quorum historiam plurimi Scriptores, suo quisque pro studio edidere; cum aliqui non animadverterent distinctionem inter illicitum, & invalidum fuisse minus apud veteres frequentem, nullumque dixisse Baptisma illud, quod illicitum fortasse tantummodo existimabant; ipsos vero qui Stephani Pontificis decretum vindicabant Patres, ut fortius adversarios premerent, ex istorum hypothesi fuisse sæpenumero argumentatos. Unde evenit, ut in universa antiquitate nil implessum & confusum magis ea de Baptismate hæreticorum quæstione reperiri posse videatur.

117. Ex quo vero obscuræ aliquando, nec adhuc satis illustratæ forent de ejusmodi Baptismatibus quæstiones, factum est, ut aliquibus in locis Laici, & Mulieres a conferendo Baptismate abstinuerint. Verum in re tam gravi non moribus adhærendum est, sed legibus & distinctionibus Ecclesiæ. Tertullianus, & Epiphanius locuti sunt hæreticis de fœminis, ceterisque, quæ aut publicum, & solemnem Baptismum, aut extra necessitatis casum conferre auderent. Denique dum illud urgebant Patres: quod ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, non eo sensu id urgebant, ut illi tantum baptizare possent, qui Baptismum accepissent, sed illud explicare satagebant, quod Tertullianus dixerat: Baptismum æque Dei census ab omnibus exerceri; nempe ea ratione, qua Baptismus poterat indiscriminatim a cunctis accipi, ita posse ipsum in casu necessitatis ab omnibus indiscriminatim dari.

CAPUT ULTIMUM.

De antiquitate Rituum & Cæremoniarum Baptismi.

118. Ab exordio Ecclesiæ, & ab ipsorum praxi Apostolorum, in solemni Baptismatis administratione aliquos adjunctos fuisse ritus atque cæremonias, quæ splendidiorem redderent celebrationem Sacramenti, virtutemque sacri Mysterii significarent, facile ostenditur ex Epistola I. Divi Petri Cap. 3. ubi ait: *Salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Nomen quippe græcum, quod Vulgatus Interpres reddit interrogatio, verius stipulationem significat, quæ & interrogationem comprehendit, & responsionem sive promissionem: quippe jam tum Apostolica ætate sacrum ad lavacrum baptizandus accedens interrogabatur, adhærere ne Christo vellet? Ille vero se adhærere respondebat. Cujus exemplum rei habemus Actorum 8. ubi quum Eunuchus Reginæ Candacis, audita Philippi prædicatione, dixisset illi: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Dixit Philippus: *si credis ex toto corde, licet*. Respondens Eunuchus ait: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*. Tunc descenderunt in aquam, & Philippus Eunuchum baptizavit.

119. Et vero Lucianus, sive alter quispiam, ejus certe coætaneus, & Apostolorum successioni coævus, profanus, immo impius Scriptor, Baptismum in Philopatride dum luderet, Catechumenum induxit ita interrogantem: *quemnam igitur jurabo?* Cui ille, qui Ministri sustinebat personam, respondebat: *Deum alte regnantem, magnum, immortalem, cælestem: Filium Patris: Spiritum a Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria: hæc Jovem puta, hunc existima Deum*. Quare ex ipsa tam scelesti hominis

minis irrisione intelligitur, jam tum, Apostolica videlicet ætate, vel paulo post, eos, qui ad Baptismum veniebant, solitos fuisse professionem Fidei emittere, ejuratisque falsis Diis, Deum profiteri Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, essentia unum, personis trinum, seque se totos illi consecrare.

120. Stipulationem hanc Tertullianus *sponsionem salutis* appellabat in libro de Baptismo; eamque per symboli recitationem factam fuisse indicat Irenæus Martyr libro contra Gentes 1. Capite 1. vel per interrogata & responsa, ut ex Origene colligitur Homilia V. in Librum numerorum scribente: *Eorum, quæ geruntur in Baptismo, verborum, gestorumque, & ordinum, atque interrogationum, & responsionum, quis facile explicet rationem?* Nec enim modo Sanctissimæ Trinitatis professio emittebatur a baptizando, vel de Trinitatis tantum fide interrogabatur, sed & de aliis præcipuis capitibus; præsertimque de Ecclesia, quippe quod Tertullianus Lib. de Baptismo Capite 6. ita scripserit: *quum autem sub tribus & testatio fidei, & sponsio salutis pignorentur, necessario adjicitur Ecclesiæ mentio; quoniam ubi tres, idest, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.* Idque clarius explicat S. Cyprianus in Epistola, quam Concilii Carthaginensis nomine ad Episcopos Numidiæ scripsit, ubi inquiebat: *sed & ipsa interrogatio, quæ fit in Baptismo, testis est veritatis. Nam quum dicimus: credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam? Intelligimus remissionem peccatorum non nisi in Ecclesia dari.* Ejusmodi interrogatio in Baptismate adeo recepta erat, ut nec ipsi Hæretici, nisi talibus sponsionibus factis baptizaverint; quemadmodum colligitur ex Epistola ejusdem Cypriani ad Magnum, ubi inquiebat: *quod si aliquis illud opponat, ut dicat, eamdem Novatianorum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat, eodem Symbolo, quo & nos, baptizare; eumdem nosse Deum Patrem, eumdem Filium Christum, eumdem Spiritum Sanctum, & propter hoc usurpare eum baptizandi potestatem posse, quod videatur in interrogatione Baptismi a nobis non discrepare: sciat, quisquis hoc opponendum putat, primum non unam nobis & Schismatis symboli legem, neque eamdem interrogationem: nam quum dicunt: credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam.* Nonne ex hac ipsa Cypriani contra Novatianos disputatione, abunde adhuc patet, ipsos baptizandum de symbolo interrogasse.

121. Antiquissimos alios Baptismi ritus explicat Tertullianus in Libro de corona Militis Cap. 3. scribens: *Ut a Baptismate ingrediar aquam edituri, ibidem, sed aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit: inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus, eaque ex die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus.*

122. Samuel Basnagius in Annalibus Politico-Ecclesiasticis ad annum trigesimum sextum propugnare non dubitavit, Baptismum Justini Martyris ætate adhuc constitisse sola aqua, & invocatione sacrosanctæ Trinitatis; antiquam vero simplicitatem deflorari Tertulliani tempore cœpisse adjectis ritibus, & cæremoniis Apostolica ætate minime usurpatis; & de quibus altum reperitur in scriptis Justini Martyris, Irenæi, & Athenagoræ silentium.

123. Fallitur ille tamen vehementer. Nam Tertullianus, paucis post obitum Justini annis baptizatus, laudatos in solemni Baptismatis ritus atque cæremonias celebratione, inter Ecclesiæ consuetudines recenset, quæ ob diuturnum, & immemorabilem usum, vim jam legis obtinuerant; quippe Capite 4. allegati libri de corona militis, subdit: *Istarum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix.* Stupidum profecto dicere oporteret Tertullianum, vel Ecclesiasticarum ignorantissimum rerum, si hæc & similia scripsisset, præter quam de ritibus, & institutis, quorum ob nimiam veritatem ignotæ fuissent origines. An non ludibrium omnibus deberet, qui rituum ante aliquot annos ab Ecclesia institutorum immemorabilem antiquitatem prædicaret; deque pristina Traditione, disciplina, & consuetudine id factum diceret, de quo nullum adduci posset Ecclesiæ Apostolicæ indicium?

124. Neque solum Tertullianus in Africa, sed & in Asia, & in Ægypto, & in Europa, Baptismales ritus atque cæremonias ex primæva & Apostolica consuetudine & traditione deduxerunt Clemens Alexandrinus Libro I. Pædagogi Cap. 6. (a) S. Basilius Libro de Spiritu sancto Capite 27., & S. Hieronymus in Dialogo adversus

(a) Origenes vero Homilia V. in librum numerorum hæc habet: Eucharistiæ sive percipiendæ sive eo ritu quo geritur explicandæ vel eorum quæ geruntur in Baptismo, verborumque gestorum, & ordinum, atque interrogationum, & responsionum, quis facile explicet rationem?

Digitized by Google

sus Luciferianos. Quod enim apud Ecclesiasticos Scriptores Tertulliano vetustiores rituum ejusmodi expressa mentio non exstet, inde est, quod nullius ante ipsum Scriptoris tot & tam varii Libri, tamque varia & multiplici rerum Ecclesiasticarum eruditione referti ad nos pervenerunt; non autem quod nihil eorum ante Tertullianum observaretur, quorum immo non ille tantum, sed qui inde floruerunt Patres, ab ipsis usque Ecclesiæ incunabulis receptam fuisse disciplinam & consuetudinem testantur.

125. Sponsores quoque, sive susceptores, in solemni Baptismatis administratione prioribus Ecclesiæ sæculis adhibebantur. Sunt qui ex susceptoribus, vel in circumcisione, vel in Baptismo Proselytorum apud Judæos usurpatis morem hunc derivatum autumant. Crediderunt alii inductus Susceptores, ut, sævientibus tunc temporis persecutionibus, si Baptizatorum Parentes ad Martyrium raperentur, aliquis esset Baptismatis recepti testis. Ejusmodi munus inductum alii dixere propterea quod quum innumeri baptizarentur, timens Ecclesia ne a fide aliqui deficerent, fidejussores idcirco requirebat, qui pro Neophytis sponderent. Ex puerorum præsertim Baptismo plurimi eos fideles fuisse adhibendos censent, non modo qui pueros gestarent & offerent; sed & qui pro illis fidei professionem facerent, & pro talibus infantibus sponderent. Certe de susceptoribus in Baptismo puerorum, tamquam de munere universa in Ecclesia jam recepto, scripsit Tertullianus in Libro de Baptismo.

126. Ceterum non omnes solemnis Baptismi ceremoniæ semper & ubique eædem, sed aliquæ minoris momenti, pro diversa opportunitate, & Ecclesiarum disciplina, diversæ etiam fuere. Hodierna die illas Ecclesia usurpat, quæ plurimum valent ad efficaciam hujus Mysterii significandam, adque adumbrandam ingerendamque in nobis illorum rituum imaginem, qui vel in veterum Catechumenatu ante Baptismum, vel in ipsius actuali celebratione Baptismatis, vel post Baptismum generatim a Neophytis frequentabantur: Baptismum præcedunt aquæ Baptismalis consecratio, mora Baptizandi ante fores Ecclesiæ, nominis impositio, Catechismus, exorcismus, frontis aliarumque partium obsignatio, manuum impositio, salis degustatio, salivæ ad nares, & ad aures delibutio. Baptismum comitantur abrenuntiatio (a), sacri olei inunctio, Fidei professio, & inquisitio voluntatis baptizandi. Sequuntur Baptismum inunctio Chrismatis, impositio Albæ vestis, & ardentis cerei traditio: quorum omnium rationes Romano in Catechismo perfectissime traduntur.

DIS-

(a) Ab ipsorum praxi Apostolorum derivatam abrenuntiationis in Baptismo formulam censent nobilissimi sacrarum litterarum Interpretes, ex verbis D. Petri Epistola sua I. cap. 3. ubi inquit: *salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*. Nomen quippe Græcum, quod vulgatus Interpres reddit interrogatio, verius significat stipulationem, quæ & interrogationem, & responsionem, sive promissionem comprehendit; siquidem jam tum Apostolica ætate sacrum ad lavacrum Baptizandus accedens, interrogabatur: *Abrenuntiasne Satanæ?* Respondebat ille: *Abrenuncio*. Rursum interrogatus: *Adhæres ne Christo?* Respondebat: *Adhæreo*. Quem ritum *sponsionem salutis* appellabat Tertullianus in Libro de Baptismo. Locupletissimis itaque ejusmodi testimoniis anteferendum non est Justini Martyris, Athenagoræ, & Irenæi silentium; neque istud adversus illorum.

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

DE

SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

CAPUT PRIMUM.

Confirmatio verum & proprium est Novæ Legis Sacramentum.

1. CAlviniani Confirmationem aliud nil esse, quam meram suscepti Baptismatis ratihabitionem, & approbationem arbitrantur, quod ita illi exponunt. Cum primis Ecclesiæ temporibus permultum recentes ab utero, & rationis expertes baptizarentur infantes; dum postea rationis usum fuerant assecuti, ad Episcopos ducebantur, & interrogabantur, an ratum haberent, quod ipsorum nomine a susceptoribus in Baptismo promissum fuerat: id si ratum haberent, ab Episcopis tamquam vere valideque baptizati confirmabantur, sin minus, tamquam non baptizati rejiciebantur; inde ortam ajunt universam nostram Confirmationis Cæremoniam.

2. Augustanæ Confessionis affeclæ Confirmationem esse dixerunt nudam Baptismi suscepti Cæremoniam, invectam inductamque a Romano Pontifice Melchiade an. Christi 311. dum solemniter ab Episcopo conferebatur Baptismus. Ab utrisque recedere videtur Joannes Dallæus, qui Confirmationem fuisse privilegium contendit a Christo Ecclesiæ dumtaxat nascenti concessum ad gratias gratis datas hominibus baptizatis conferendas. Universi igitur Protestantes, solis Episcopalibus exceptis Confirmationem e Sacramentorum albo expunxere. (a) Catholicorum ex opposito dogma semper fuit, Confirmationem verum esse Novæ Legis Sacramentum, quo fideles baptizati fiunt Christi milites, & Sancti Spiritus plenitudinem accipiunt ad fidem aperte strenueque profitendam.

3. Probant autem ex Scripturis, cap. siquidem Act. 8. legimus: *Cum audissent Apostoli, quod recepisset Samaria verbum Dei miserunt ad eos Petrum, & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Cap. eorumdem Actorum 19. narratur, D. Paulum, cum venisset Ephesum, ibique multos reperisset baptizatos, manus ipsis imposuisse, qui statim Spiritum Sanctum accepere. Ex ejusmodi vero Sacrarum literarum testimoniis ita ratiocinantur Orthodoxi: ubicumque est signum sensibile constans ex rebus, & verbis, perpetuum, & practicum gratiæ sanctificantis, ibi est Sacramentum Novæ Legis; atqui in allegata Manuum impositione cum oratione conjuncta reperiuntur ea omnia: nam perpetuum fuisse constantissima evincit Patrum omnium, & Ecclesiæ doctrina, & praxis apud omnes Rituales, & Euchologicos libros confirmata.

4. Hoc rursus Sacramentum ab Apostolo celebratum existimatur 2. ad Corinthios 1. ubi scripsit: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos, Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Sicut & a Joanne Epist. 1. cap. 2. ubi legimus: *Sed vos unctionem habetis a Spiritu Sancto.* Et iterum: *& vos unctionem, quam accepistis a Deo, maneat in vobis.* Confirmat ex verbis D. Pauli ad Hebræos VI. scribentis: *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum jacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum.* Quæ quidem impositio manuum, utpote a Baptismate distincta, intelligitur de Sacramento Confirmationis ab omnibus prope Græcis & Latinis. Quibus in testimoniis græce est Chrisma, ad Ecclesiæ ritum significandum, quo visibili sub Chrismate Spiritus Sanctus Neophytis concedebatur; quemadmodum Sanctus Augustinus Libro XV. de Trinitate cap. 26. animadvertebat scribens: *Non utique oleo visibili,* perpe-

(a) Profani quidam Scriptores quemadmodum occasione Balneorum solemne Baptisma inductum, ita ex eo quod qui balneo usi fuerant, statim perungi oleo solerent, unctionem quoque a nostris sanctificatam fuisse, & sacro adjectam lavacro somniarunt.

Digitized by Google

petuam de hoc Sacramento Traditionem Veterum testimonia ostendunt. Tertullianus in libro de Resurrectione Carnis Capite 26. inquiebat: *Sic Judaei terrena solummodo sperando, caelestia amittunt, ignorantes, & panem de caelo repromissum, & oleum divinae unctionis, & vinum Spiritus, aquam animae vigorem vigorantis ex vite Christi*. Delicias Ecclesiae hoc recenset loco Tertullianus, tria nimirum Sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam.

5. S. Cyprianus epist. 73. narrato Petri & Joannis facto ex actis Apostolicis cap. 8. subdit: Quod nunc quoque apud nos geritur, & qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offeruntur, ut per nostram orationem, & per manus impositionem, Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consignentur. Lactantius libro Divinarum Institutionum VII. Capite 5. scribebat: Homo caelesti lavacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitae prioris, & incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus, & plenus. De Sacramento Confirmationis haec posteriora fuisse a Lactantio pronunciata monent ejus Interpretes, qui animadvertunt, illud a SS. Patribus appellatum fuisse perfectionem, propterea quod Baptismus a Confirmatione perficeretur. S. Ambrosius lib. 3. de Sacramentis cap. 2. ait: post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur. D. Augustin. lib. 15. de Trinitate cap. 24. scribit: Non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento baptizatos ungit Ecclesia. Atqui Sacramenti illa est optima definitio: invisibilis gratiae signum visibile; itaque visibilis unctio, qua invisibile donum gratiae significatur in Sacramentorum numero referenda est.

6. Sed longe luculentius tractatu 3. in epistol. Joannis visibili unctioni tum rem ipsam, atque definitionem, tum ipsum etiam Sacramenti nomen attribuit, ita num. 5. *Unctio Spiritualis ipse Spiritus Sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili*. Et num. 12. *Unctionis Sacramentum est virtus ipsa invisibilis. unctio invisibilis Spiritus Sanctus, unctio invisibilis Charitas ipsa est*. Ne quis vero Sacramenti nomen his in locis minus proprie accipiendum esse contendat, alia in promptu ejusdem S. Doctoris habemus loca in quibus Baptismo, & Eucharistiae, Unctionis Sacramentum adnumeratur, & una eademque notione Sacramenti nomen de tribus hisce Christianae Religionis ritibus praedicatur; Ita lib. de Baptismo cap. 20. Ita etiam tract. 118. in Joann. n. 5. ita serm. 227. alias 83. de diversis; & serm. 324. de diversis, alias 33. inquit: *Baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus completis omnibus Sacramentis absumptus est*. Baptismo scilicet, atque Unctione cum ei adnexa manus impositione; & Eucharistia, quae statim post Baptismum, & Confirmationem ipsis infantibus olim porrigebatur. Denique ne insignia alia praetereamus loca lib. 2. contra Epistolam Pethiliani cap. 104. explicans illud Psal. 132. Sicut unguentum in Cap., scribit: *in unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari; quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. Discerne ergo visibile Sanctum Sacramentum, quod esse & in bonis, & in malis potest, illis ad praemium, istis ad judicium, ab invisibili unctione Chrismatis, quae proprium bonum est*. Huc usque August. quo cum consonant caeteri omnes Patres ab omnibus Polemicis Scriptoribus, & praesertim a Jacobo Sambovio in tractatu de hoc Sacramento allegati.

7. Novimus autem Diluvio comparatum fuisse a Patribus Baptismum, Columbae Spiritum Sanctum post Baptisma ad hominem advolantem, & ramo virentis olivae, unctionem, quae Neophytis adhibetur. Hunc ultimum Baptismi Complementum esse, Perfectionem, & consummationem praedicabant Patres, non quod Baptismatis integritati quidpiam desit, quominus veri Christiani simus; sed quod per Baptismum quasi modo geniti infantes, per Confirmationem virtute Spiritus Sancti roborati in viros crescimus perfectos. Non erat igitur ritus ille privilegium a Christo Domino nascenti tantum Ecclesiae concessum, quo gratiae gratis datae conferrentur; neque erat approbatio, & ratihabitio baptismatis accepti, neque nuda demum baptismatis caeremonia, cum specialem haberet & proprium effectum scilicet plenitudinem Sancti Spiritus, virtutemque & vim ad fidem palam & generose profitendam.

8. Obj. 1. Confirmationis caeremonia abhorret a simplicitate Sacramentorum, quae vere Christus instituit; quid simplicius aqua baptismatis, & pane ac vino Eucharistiae? at vero mixtum ex oleo & balsamo facile comparari non potest. Cum enim Apostoli solas manus imponerent ad conferenda extraordinaria & visibilia Spiritus Sancti dona; ejusmodi manuum impositioni adjuncta nunc est Chrismatio. Antiqua autem Ecclesia numquam de Sacramento cogitavit ad conferendam animi fortitudinem ad fidei professionem necessariam. Sed tales effectus Baptismo, & Eucharistiae afferebat; nimirum munire nos, confirmare, corroborare, perficere. Nam Spiritus Sanctus, quem in Baptismo recipimus, non est iners, vel ignavus, sed Spiritus virtutis. Eucharisticus autem Panis cor hominis confirmat. Notat imo D. Cyprianus Epist. 54. Athletas ad martyrium properantes solo roboratos fuisse Eucharistiae Clypeo, & Sacramento.

9. Resp. Materiam essentialem Confirmationis esse simplicissimam videlicet impositionem manus, & Olei unctionem. Quid enim Oleo communius? Admixtio scilicet Balsami non est de necess-

necessitate Sacramenti, sed de necessitate modo Ecclesiastici praecepti. Alii autem effectus sunt Confirmationis ab effectibus Baptismi, & Eucharistiae. Effectus baptismatis est spiritus renovationis, regenerationis, & adoptionis; effectus Eucharistiae est gratia nutriens; sed effectus Confirmationis est gratia roboris, & plenitudinis, qua spiritualiter ad virilem proficimus aetatem, & ad fidem contra visibiles ejus hostes, & Daemonis tentationes profitendam. Per Baptismum evadimus Christianae Civitatis membra; per Confirmationem membra evadimus Christianae militiae. Tametsi spiritus in Baptismate acceptus, esset spiritus perfectionis, & virtutis; Baptismo tamen adjiciebatur olim Eucharistia, quam propterea Sacramentum fuisse non negabunt adversarii. Cur igitur negabunt dignitatem Chrismatis Sacramentalem quod collatum renatis fuerit, & regeneratis per Baptismum? Conferebatur Baptismus, ut renasceretur homo; Confirmatio ut ad virilem proveheretur fortitudinem; Eucharistia denique, ut roboratus nutriretur.

10. Accidentale erat vero ratione status & conditionis Ecclesiae nascentis, quod ab Apostolis gratiae etiam conferrentur gratis datae, ut docuit D. Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap. 16. Et tract. 4. in Epistol. VIII. Joannis; Erant illa signa temporis opportuna ad Commendationem rudis fidei, & Ecclesiae primordia dilatanda. Verum proprius & praecipuus Confirmationis effectus ille erat qui a Christo fuerat promissus; Christus autem Lucae ultimo Sanctum non promisit Spiritum ad gratias gratis datas, sed ad gratiam Confirmatricem roboris & fortitudinis, ad strenuam fidei testificationem: accedit super omnes baptizatos advocatum fuisse cum impositione manuum Spiritum sanctum, neque omnes tamen donis extraordinariis gavisos fuisse, ut inquiebat Paulus 1. ad Corinth. 12. Numquid omnes Prophetae? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? proindeque consequens est gratiam Sancti spiritus in impositione manuum acceptam, fuisse omnino a donis extraordinariis diversam. Causa vero cur Athletae ad martyrium properantes ab Episcopis non confirmarentur, ea sane erat, quia iidem pro temporis illius disciplina jam tum cum fuerant baptizati Sacramentum Chrismatis acceperant; solo igitur Eucharistiae cibo confortari indigebant. (a)

11. Obj. 2. Confirmatio non fuit habita ut Sacramentum a pluribus Sectis Orientalibus; ergo, &c.

12. Resp. De fide Orientalium hac in re non esse dubitandum. Clarissimus Renaudotius tom. 2. Liturgiarum Orientalium in adnotationibus ad Severi Liturgiam num. 1. haec habet: *Miron* vox graeca est usus Ecclesiastici, quam Siri, Arabes, & Orientales reliqui suam fecerunt ad significandum Chrisma, quo baptizati in fronte signantur; praecipue vero apud Orientales Ecclesias, ea voce significatur Sacramentum Confirmationis, ut in Latino appellatur. Cum autem simul administrari cum baptismate soleat per totum Orientem, ut olim in Occidente mos fuit quando Episcopus aderat, multi temere Graecos, & reliquos Orientales Christianos, Confirmationem agnoscere tamquam Novae Legis Sacramentum negaverunt; eo magis quod a Presbyteris apud illos administratur, non ut apud nos a solis Episcopis. Quam inanis esset illa accusatio, probavimus tom. 5. perpetuitatis fidei; & ex liturgia Severi Patriarchae Antiocheni satis intelligi potest quam religiose de *Miron*, sive Confirmatione, quae idem est, Jacobitae sentiant, quorum ea in parte eadem est atque reliquorum Orientalium Christianorum fides, & doctrina. Comparant enim illud cum Baptismo, & Eucharistia, quae duo Sacramenta agnoscere illos nemo dubitat; orant quippe ut igni aeterno non tradantur, quia signati sunt Chrismate, donumque Spiritus sancti acceperunt; Sigillum doni Spiritus sancti, ut apud Graecos; tum quia Eucharistiam acceperunt, quod exprimunt ita, ut metaphorae locus nullus sit,

---

(a) Miracula, quae initio nascentis Ecclesiae in collatione Sacramentorum eveniebant, ad eorum effectus mirabiliter designandos concessa sunt; quippe ne ulla virtutis Sacramentorum dubitatio in animis tunc fidelium resideret, voluit clementissimus Deus, quid illa interius efficerent, miraculorum significationibus declarare, ut eadem perpetuo interius fieri constantissime crederemus, quamvis longe a nostris sensibus remota essent. Baptizatis jam Apostolis inquit Dominus apud Lucam 24.: *Sedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.* Itaque die Pentecostes sacro Apostoli Spiritum sanctum acceperunt, quo deinde ad praedicandam fidei veritatem, adeundaque pro Christi gloria pericula alacriores, ac fortes fuerunt, tunc facto de caelo repente sonitu, tamquam advenientis spiritus vehementia, apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis: ex quo intelligere oportet, Sacramento Confirmationis eumdem nobis spiritum tribui, easque addi vires, quibus possimus carni, mundo, & Satanae resistere, & repugnare. Et ea quidem miracula, quoties Apostoli Baptismum, vel Confirmationem ministraverint, ad commendationem rudis fidei; & ad primordia Ecclesiae dilatanda, aliquandiu visa sunt, donec firmata jam fide, & corroborata, fieri desierint; non propterea tamen conferri desiit verus & proprius Confirmationis effectus, qui ille profecto est, quem Christus Lucae ultimo promisit, videlicet non miraculorum spiritus, sed spiritus roboris, & fortitudinis ad fidem strenue, & generose profitendam.

Digitized by Google

fit, cum dicunt, Corpus Christi conditum, & depositum fuisse in nobis; tum quia per Baptismum regenerati sunt. Agnoscunt igitur gratiam, ut vulgo dicitur, Sacramentalem in Chrismatis unctione non minus, quam in Baptismo, & in Eucharistia, atque adeo illud sacramentum esse confitentur. Huc usque Renaudotius.

13. Ob maximam igitur rerum rituumque Orientalium ignorationem erravere primi Protestantes, quorum posteros pudet in præsens. Nam ut sexcentos ex nostris omittamus, qui antiquas illustravere liturgias, novissime Joseph Aloysius Assemanus Codicem liturgiarum edidit Ecclesiæ universæ, in cujus lib. 3. qui est de Confirmatione, antiquissimos non modo Ecclesiarum Occidentalium ordines exponit, sed Græcorum etiam, Coptorum, Æthyopum, Chaldæorum & Nestorianorum, aliorumque plurium Orientalium, administrationem sacri Chrismatis Sacramentalem continentes.

14. Obj. 3. S. Hieronymus, in Dialogo adversus Luciferianos, mota quæstione, cur in Ecclesia per manus Episcoporum conferatur Spiritus Sanctus, concedit id quidem ex ea descendere auctoritate, qua post Christi ascensionem, Apostoli usi sunt. Addit tamen, nulla necessitate factum esse, ut manus baptizatis imponerentur in Spiritum sanctum; multisque in locis id factum fuisse ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis alicujus necessitatem: nulla igitur innititur lege Confirmationis Cæremonia, sed meræ disciplinæ res est.

15. Resp. Verborum Hieronymi sensum intelligi probe non posse, nisi quæstionis, quam cum Luciferianis vexabat, status præconcipiatur. Agebatur illo in Dialogo de baptismate Arianorum, quod Luciferiani ratum quidem & validum habebant; sed in eo non dari existimabant Spiritum sanctum. Cum enim Ariani eos, qui baptizabant, non confirmarent; & Luciferiani in ea versarentur opinione, quam Tertullianus, Optatus Milevitanus, Pacianus Barcinonensis, Isidorus Hispalensis, aliique propugnaverunt, scilicet, Baptismi remittere peccata proprium esse, Confirmationis autem conferre Spiritum sanctum; hinc inferebant Luciferiani, baptizatos ab Arianis consecutos quidem fuisse peccatorum remissionem, minime tamen Spiritum Sanctum, quia Confirmati non fuerant; idcirco Spiritum eos Sanctum accipere, tum solum, cum Catholicam accedentes ad Ecclesiam, manus impositionem ab Episcopis accipiebant. Totus igitur erat Hieronymus, ut evinceret, in baptismate Arianorum, si remissa fuerant peccata, datum etiam fuisse Spiritum sanctum, quia ut inquiebat, remitti non possunt peccata sine Spiritu sancto, atque ideo consequebatur, nullam fuisse necessitatem, nullam legem, cur hunc in finem hæreticis illis ad Ecclesiam confugientibus manus Episcopi imponerent. Concedit apertissime Hieronymus, ejusmodi impositionem manuum ex auctoritate & traditione Apostolica descendere: concedit eam esse in Spiritum sanctum, juxta quod adfert gratiam roboris, & fortitudinis; ideoque non negat eam esse Sacramentum, sed negat eam in Spiritum sanctum esse, juxta quod adfert remissionem peccatorum: jure negat, eam esse de necessitate medii, aut præcepti divini, & ad salutem consequendam necessariam. Quia vero noverat, apud Orientales fuisse a Presbyteris tradi solitam Confirmationem; a solis autem Episcopis apud Occidentales; inde ait, plurimis in locis ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis divinæ necessitatem factum esse, ut manus Episcopi imponerent in Spiritum sanctum. Non igitur de Confirmationis natura, & dignitate disserit Hieronymus; sed ipsius de usu, & ministro, & effectu, neque ejus necessitatem rejicit, nisi respectu remissionis peccatorum, quam præconcipit in valido Baptismate acceptum; & nisi ut vindicet Baptismi juxta Ecclesiæ ritum etiam in hæresi suscepti. (a)

16. Ob. 4. R. E. Theologi de Confirmatione dicentes non conveniunt, imo quam maxime dissentiunt in ejus institutione explicanda, tum in materia, & forma, tum in subjecto, ritu, necessitate, genere probationum, Ministro, & effectu hujusce cæremoniæ determinandis; ergo &c.

17. Resp. Inane hoc esse Dallæi ex dissidiis Scholasticorum deductum argumentum. Profitentur illi omnes sacram Confirmationem habere dignitatem Sacramenti. Hoc constituto salva res est. Quod enim Augustinus de origine animæ, deque peccato Originali ad Optatum scribebat epist. 157. *Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est*. Id in casu nostro affirmare possumus. Dummodo Orthodoxi Theologi Confirmationis ritum esse Sacramentalem tueantur, fas illis esto disputandi ad satietatem. Controversiæ profecto, quæ objiciuntur non fuere nisi Scholasticorum temporibus exortæ antiquos univer-

(a) Ceterum, præterquamquod totus ille sancti Doctoris Dialogus est in ratiocinationibus, quas dicimus ad hominem, & in retorquendis Luciferianorum argumentis; dicimus, nullo jure auctoritatem Hieronymi nobis objicere adversarios, quum nil frequentius Protestantium in scriptis reperiatur, quam inutile esse Hieronymi mentem investigare: quippe quod stabilem sententiam ipse revera non haberet, æstuque disputationis adeo abripi soleret, ut quid sibi vellet, ipsemet sæpissime ignoraret.

Digitized by Google

universa noverat Ecclesia, Baptizatos præter unctionem baptismalem in vertice fuisse deinde vel a Sacerdotibus in Oriente, vel ab Episcopis in Occidente unctos in fronte, & impositione manuum donatos, quo Confirmati Spiritu sancto illustrarentur. Inductis vero quæstionibus de materia, forma, Ministro, & cætera hujus Cæremoniæ, eadem stetit tamen fides, & fidei professio, eadem Ecclesiæ praxis, iisdem ritibus, iisdem liturgiis & euchologicis libris ordinata.

18. Et sane, ut recte animadvertunt Theologi Orthodoxi, si ex quæstionibus scholasticorum, sive etiam Protestantium, ad rem Sacramentariam pertinentibus, consequi oporteat hoc, vel illud sacrum symbolum non gaudere dignitate Sacramenti, nullum procul dubio Christianis reliquum erit Sacramentum. Baptismum, & Eucharistiam tamquam vere novæ legis Sacramenta venerantur Protestantes, & tamen Lutherus in lib. de Captivitate Babylonica contendit valere Baptismum susceptum in nomine Domini, etsi non datum. Vossius ex opposito in disputatione 2. de Baptismo thesi 5. cæteris asserit cum Calvinianis necesse esse, ut detur in nomine Domini; quemadmodum necesse est, ut eodem Domini nomine suscipiatur. Censet Beza publico solum in loco Baptismi Sacramentum esse administrandum; ast alii plurimi omni in loco baptizari posse constitutos in necessitate, præsentibus parentibus, familia, & paucis piis viris. Necessitatem Baptismi tantam esse volunt Melancthon, Petrus Martyr, & Bucherus, ut ab hæreticis peti possit, si aliter haberi non valeat. Dissentit Calvinus lib. instit. 4. cap. 15. De Eucharistiæ materia Beza, aliique existimavere pane, & vino deficientibus, fas esse in hujus administratione Sacramenti iis uti, quæ ad cibum, & potum communiter usurpantur. Sed opinioni ejusmodi adversantur cæteri Protestantes. Statuit Kemnitius non prece hominis, sed consacrari verbo institutionis, Eucharistiam. Alii ex opposito & preces, & totam institutionem cum precibus ad Eucharistiæ consecrationis formam pertinere reclamant. Quantum a se invicem dissentiant, circa sensum verborum: *Hoc est Corpus meum*, necesse non est hic observare; sicuti neque dissidia, quæ inter ipsos versantur de reali præsentia, de utriusque speciei necessitate, de concomitantia, de permanentia, utrum nempe Eucharistia tantum in usu sita sit, an sit aliquid permanens. De aliis demum, quæ Protestantibus in Accademiis maxima contentione agitantur. Itaque si ex infinitis Protestantium de Baptismo, & Eucharistia domesticis dissidiis non consequitur Dallæus, Baptismum, & Eucharistiam non esse vera novæ legis Sacramenta, cur ex nostris circa Confirmationem disputationibus argumentari pergit contra Sacramentalem ipsius dignitatem? Philosophi de natura & proprietatibus siderum, & elementorum perpetuo disputavere: num elementa, & sidera existere dubitaverunt? Nil profecto minus. (a)

19. Obj. 5. Tertullianus in allegato contra Marcionem loco scribebat: *sed Christus quidem usque nunc, nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos ungit; nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat &c.* Consuetudinem illam tradendi recens baptizatis concordiam, sive particulam lactis, & mellis, celebrant Clemens quoque Alexandrinus, Sanctus Hieronymus, Concilium Carthaginense tertium, & vetera Sacramentaria; atqui degustationem illam lactis, & mellis nemo dixerit verum fuisse Sacramentum; quum dubitandum non sit, eam non fuisse nisi Baptismalem cæremoniam; cur idem igitur non cogitabimus de Unctione, qua perungi Neophyti solebant?

20. Resp. In primis retorquendo argumentum. Si sacra Unctio Neophytis concessa esse Sacramentum non debeat, propterea quod recensetur inter

(a) Eos præsertim Patres, qui Catechistæ munus egerunt, de tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia clare, fuse, & diligentissime egisse ad Catechumenos perfectos, qui ea mox sumpturi erant, instituendos, certissimum est. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, postquam prima, & secunda Catechesi mystagogica de Baptismo dixisset, in tertia sacro de Chrismate ita disserit, ut nostri temporis Hæreticorum errores oppugnare voluisse videatur. Nam vi ejus sacræ unctionis veram existere Sacramenti rationem, ex ipsius oratione perspicuum fit, eamdemque diversam esse prorsus ab altera illa unctione, quæ in ipsa Baptismatis collatione peragebatur, quamque exposuerat jam Catechesi secunda. Idque eo planius apparet, propterea quod, tametsi pro ea Ecclesiarum consuetudine Confirmatio daretur statim, atque ex ipso fonte Neophitus egrediebatur; disertis tamen verbis sejunctim agit Cyrillus de utraque unctione: prius enim exponit baptismalem, postea peculiariter agit de illa quæ sacram constituit Confirmationem. Sanctus etiam Ambrosius librum de Mysteriis ad Neophitos instituendos se scribere protestatus, eadem sapientia & gravitate, qua dixit de Baptismo, dixit deinde de Confirmatione, per quam Baptizatum septem Spiritus sancti donis exornari, & ditari affirmat; cujus etiam mysterii cæremonias, & ritus, eorumque rationem, & mirabiles effectus ordine recenset. Demum de sanctissimo dixit Eucharistiæ mysterio. Si sanctus Pater eamdem Confirmationi, quam Baptismo, & Eucharistiæ tribuit originem, & dignitatem, sequitur Confirmationem non minus, quam Baptisma, & Eucharistiam Christianæ religionis esse Sacramentum.

Digitized by Google

inter deguftationem particulæ lactis ac mellis, quæ nuda erat baptifmatis cæremonia, fequatur oportet, neque Baptifmum, neque Euchariftiam, vera Sacramenta effe, propterea quod iftorum etiam celebratio cum deguftatione lactis ac mellis fimul a Patribus recenfeatur; atqui nemo adverfariorum dixerit Baptifmum, & Euchariftiam vera non effe facramenta; vel Euchariftiam nudam effe baptifmi cæremoniam; itaque nec id fas erit cogitare de benedicta unctione, qua Neophiti perungebantur, etiam, fi cum mellis & lactis concordia numeretur in antiquis monumentis.

21. Difcriminis autem ratio ea eft, quod lactis & mellis deguftationi, quam Neophiti faciebant, nullum Patres proprium tribuant & affignent Sacramenti effectum; fed præguftatam tantummodo eam mellis & lactis concordiam docent ad fpiritualis veluti infantiæ fignificationem, ut verbis utar Hieronymi in Dialogo contra Luciferianos: quocum ceteri omnes, qui ea de re verba faciunt, confonant. Nempe quum initio prope omnes, qui ad Baptifmum veniebant, adultæ effent ætatis, de quibus tamen fcripfiffe videbatur Apoftolus Petrus Epift. I. cap. 2.: *ficut modo geniti infantes, lac concupifcite &c.*: Heinc Ecclefia, ut intelligerent Neophiti, fe modo natos fuiffe per Baptifmum Chrifto, & innocentiam veluti infantium adeptos, mellis ac lactis concordiam eifdem præbebat deguftandam: quæ cæremonia, vel confuetudo, poftquam omnes fidelium filii vix nati donari baptifmate cœperunt, inutilis quum foret, propterea omiffa, & abrogata eft. Ex oppofito impofitioni manuum, & unctioni, de quibus agimus in præfens, verum propriumque tribuunt, affignantque Patres facramenti effectum, gratiam roboris fcilicet, & fortitudinis adverfus fidei hoftes fidelibus in perpetuum tradendum, & permanenter in illis perfeveraturam. Quum omnes quotquot fuere a prima ætate ad noftram Ecclefiaftici fcriptores Sacramentum Confirmationis eodem in fenfu, & ordine collocaverint, quo Baptifmum, & Euchariftiam: pauciffimi ex oppofito de lactis & mellis concordia meminerint, & veluti baptifmalem modo aliquibus in Ecclefiis cæremoniam celebraverint, apertiffimum fit, non confuetudinem hanc, bene vero facram Confirmationem creditam a Patribus fuiffe verum novæ legis Sacramentum.

22. Animadvertit Bafnagius juxta fanctum Irenæum lib. I. cap. 18. propriam fuiffe Hæreticis Valentinianis difciplinam, baptizatos perfundendi opobalfamo. Quum autem fanctus Pater tunc ea memoret, quibus Valentiniani Catholica ab Ecclefia difcrepabant, inde colligit Bafnagius ex Valentinianorum fonte poft mortem Irenæi, deductum in Ecclefiam fuiffe Chrifmatis inftitutum, ut pergratum illis fieret, qui fectam Valentinianorum ejurantes fe fe in Ecclefiam recipiebant; eoque facilius fufceptum illum fuiffe ritum, quod non abfque fapientiæ umbra admitti videretur; fic enim novo lumine illuftrabatur Baptifmus, fic fpiritualis unctio veluti ante oculos adducebatur. Alter Calvinifta, videlicet Crozæus, in fua Chriftianifmi Indiarum hiftoria, lib. VI. candide fatetur, omnes Orientis Ecclefias habere facrum Chrifma pro vero novæ legis Sacramento; fed animadvertit, Chrifmatis confectionem, juxta quod eo utuntur in Confirmatione Orientales, & Græci, & quemadmodum defcribitur in hiftoria Ecclefiæ Alexandrinæ a Vanflebio confcripta, convenire cum confectione unguenti Kyphi a Plutarcho defcripti, quo Idololatræ Ægyptii utebantur. Quærunt jam vero quorfum Chrifma ejufmodi, vel ab Idololatr's, vel a Valentinianis Hæreticis acceptum, ftatui tamquam materia poffit Sacramenti a Chrifto inftituti? præfertim quum opobalfamo ufos Apoftolos fuiffe in confignandis Neophitis neque facræ literæ teftentur, neque verifimile effe videatur; immo etiamfi id concederetur, propterea quod frequens erat in Judæa balfamum; attamen cum Judaicum balfamum defideretur in præfens, & ea quæ in Oriente crefcunt, fint nobis impervia; cetera vero prorfus fictitia haberi debeant; inde colligunt, hodiernam Chrifmationem nullum habere, quo materia dicatur facramenti fundamentum.

23. Refp. diximus materiam effentialem Confirmationis effe fimpliciffimam, videlicet impofitionem manus, & olei unctionem. Quid enim oleo communius? Admixtio fcilicet balfami cum oleo non videtur habenda de neceffitate facramenti, fed tantummodo de neceffitate Ecclefiaftici præcepti. Quamvis enim veteres etiam Patres de Sacramento Confirmationis differentes, nomine Chrifmatis ufi non femel fint, vocem tamen Chrifmatis ad fignificandum oleum ufurpare potuerunt. Etenim vox hæc *Chrifma*, græca eft, derivata a verbo *Chrio*, quæ per fe nihil aliud fonat, quam Unctionem, quæ præcipue fieri folet, adhibito vulgari oleo ex olivis expreffo; propterea que Innocentius I. In Epiftola ad Decentium, oleum, quo conficitur Sacramentum Extremæ Unctionis, cui certe oleo balfamum non admifcetur, Chrifma nominavit. Ad Bafnagii objectum infra refpondebimus.

24. Obj. 7. Juftinus Martyr in fua Apologia aperte, & candide omnes Chriftianorum cæremonias Cæfaribus exponens, memorato Baptifmo, tranfitum ad Euchariftiam faciens, omittit Confirmationem; itaque annis æræ Chriftianæ amplius centum fexaginta neque baptizatis manus impofitæ fuere, neque unctio adhibita ad eos confirmandos.

25. Refp. Silentii Juftini Martyris rationem facile reddi poffe. Quum enim Catechefim fcribere animo neutiquam inftituiffet, fatis habuit præcipuorum Ecclefiæ Sacramentorum, Baptifmi fcilicet, atque Euchariftiæ fumma capita delibare; ne-

re; neque ipsius instituti ratio postulabat, ut singula, quæ Baptismum antecedebant, & consequebantur, Catechistarum more, accuratissime consectaretur.

26. Sed verendum erat, inquiunt adversarii, ne a Desertore aliquo Ecclesiæ postularetur criminis Justinus, quod sciens & prudens nobilissimam Christianæ disciplinæ cæremoniam occultasset: quo pacto, & sibi, & Christianis, quorum patrocinium susceperat, periculum creasset.

27. Resp. Quasi vero Catecheses exarandi munus Sancto Martyri ab Imperatoribus fuisset impositum; vel multum eorum referret scire, an Christiani homines post lavacrum, etiam oleo perungerentur; ut verendum fuerit, ne id Justinus silentio obvolvens, tantum facinus sanguine elueret, vel ob eam causam adversus Christianos gladiis, & ignibus irati Cæsares desævirent. O inanes, & miseræ conjecturæ!

28. Nos autem Justini silentio allegata opponimus Tertulliani testimonia, ex quibus palam fit, longe antequam Justinus scriberet, Neophitos fuisse post Baptismum confirmatos. Ea præcipue consideranda ex libro de Baptismo: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta Unctione, de pristina disciplina*: *Et paulo post*: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum*. *Quemadmodum & ea adversus Marcionem*: *sed Christus quidem usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit &c.* Quid autem virium, & efficaciæ argumentis ejusmodi fuisset, si inunctio Neophytorum, & manuum sacerdotalium super eos impositio, fuissent heri, vel nudius tertius, non autem ante ipsam, adversus quos Tertullianus decertabat, Saturnianorum, Valentinianorum, Apellitarum, & Marcionitarum, Justino Martyre vetustiorum a Catholica Ecclesia defectionem, instituta? Nonne Hæretici illi respondere potuissent: Quid ad nos, si oleo Creatoris ungere Neophitos vobis libuit? Quod vir accuratissimus optime animadvertens non in simplici earum rerum usu, sed in ipsius usus antiquitate vim argumenti collocavit. Non ait: num oleum Creatoris adscivit, quo suos ungeret; sed ait: usque nunc, idest, post adeo longum temporis intervallum, ex quo adversus Creatoris opera blasphemare animo instituistis, Christus Creatoris oleum non reprobavit, quo suos ungeret; sed illo adhuc uti pergit: quæ sane majorem Justini Martyris ætate denotant antiquitatem.

29. Nunc quod est magis necessarium, diligentius videamus. Nempe Heterodoxi nos ad contextum sacrarum literarum revocant, quo intelligi ajunt, eos, quibus Apostoli imponebant manus, confestim prophetasse, variis locutos fuisse linguis, & miracula edidisse, vel sanctum Spiritum super eos visibili aliquo & conspicuo signo descendisse: quare non alium in finem fuisse Neophytos Apostolica in Ecclesia confirmatos consequuntur.

30. Falli eos tamen evincunt Orthodoxi, & præ cæteris Estius, Distinctione VII. in Librum IV. sententiarum, paragrapho duodecimo, hujusmodi momentis. Primo: Fideles per manuum impositionem Spiritum Sanctum acceperunt ad eum effectum, ad quem antea per Christum erat promissus; promissio autem Christi continetur verbis illis apud Lucam ultimo: *ego mittam in vos promissum Patris mei*: *vos autem sedete in Civitate, quoadusque induamini virtute ex alto*. Et Actorum II. habetur: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa*. Itaque sanctus Spiritus, sicut promissus, ita & datus est fidelibus, non peculiariter ad donum linguarum, vel quid simile, sed ad virtutem, idest, fortitudinem, & robur, quo invicti in confessione fidei persisterent. Ejus autem effectus promissionem non ad solos Apostolos, sed ad omnes fideles pertinere, Divus Petrus Actorum II. ostendebat ex Joelis vaticinio, quo promiserat Dominus effusurum Spiritum sanctum super omnem carnem; manifestius autem illis verbis, quo omnibus, quos Dominus advocaverit, doni sancti Spiritus factam repromissionem protestabatur.

31. Secundo: magna cura, & sollicitudine ab Apostolis actum fuit, ut baptizatis manus imponerentur ad accipiendum Spiritum sanctum, ut patet ex locis allegatis. Ex opposito parum solliciti Apostoli ipsi videbantur, ut fideles dona haberent gratis data, utpote quæ, non ad propriam, sed ad aliorum utilitatem tantummodo concessa, quibus aliqui non ordinate utebantur, & quæ respectu Chrismatis, pro nihilo erant reputanda, quemadmodum docebat Paulus in priori ad Corinthios.

32. Tertio: Petrus Actorum II. post Baptismum, & remissionem peccatorum, maximo pro munere credentibus promittebat donum sancti Spiritus; oportet itaque hoc fuisse aliquid majus remissione peccatorum data per Baptismum. Quarto: omnes baptizati sine discrimine per manus impositionem Apostolorum Spiritum sanctum accipiebant; nec tamen omnes vel linguis loquebantur, vel prophetabant, etiamsi fide, spe & Charitate ferverent, dicente Apostolo I. ad Corinthios 12.: *Numquid omnes Prophetæ? numquid omnes linguis loquuntur? &c.*

33. Quinto: Eodem Apostolo teste, Epist. ad Corinthios 14. *Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus*. Quis autem dixerit Spiritum sanctum ex alto fuisse promissum non propter fideles, sed propter infideles? Sexto: Idem Apostolus ad Hebræos 6. inquisitionem manuum adnumerat Baptismo, Pœnitentiæ, doctrinæ resurrectionis mortuorum, aliisque, quæ tamquam elementa Fidei præscribebantur, & tradebantur

etiam

Digitized by Google

etiam rudioribus; non itaque pertinebat ad gratias gratis datas, ut quæ nec illis quidem aderat omnibus, qui sensus habebant in fide exercitatos.

34. Septimo: Philippus Diaconus ut Act. 8. legimus, immundos spiritus e Samaritanis pluribus ejiciebat, multos curabat Paralyticos, & claudos, aliaque signa, & virtutes maximas faciebat; habebat igitur miraculorum gratiam. Nec apparet ratio, cur non & manuum suarum impositione potuerit dona illa Samaritanis impetrare, si non major aliquis effectus reservatus Apostolici ordinis ministerio per manus eorum impositionem expectandus. Postremo: Dona illa gratis data, temporalia fuere, primisque illis temporibus dumtaxat ad Ecclesiam propagandam opportuna. Christus autem Fidelibus Spiritum promittens sanctum, apud Joannem 24. inquiebat: *qui maneat vobiscum in æternum*. Erat itaque præter gratias gratis datas effectus alius impositionis manuum præcipuus, & in hominibus confirmatis permanenter perseveraturus *(a)*.

35. Quod si inquiras, quare in Sacramentorum collatione Apostolicis temporibus tot miracula eveniebant, quæ fieri postea desierunt? Respondent omnes Patres, clementissimum Deum per illa rudioris adhuc fidei initia, ad Sacramentorum effectus mirabiliter, & veluti sensibiliter designandos, talia prodigia concessisse. Verum corroborata jam fide, satisque confirmata, quum nulla virtutis Sacramentorum dubitatio in animis Fidelium residere, jam posset, prodigiis amplius opus non fuit, quum jam facile credere valeant Fideles, Sacramenta interius in nobis operari ea, quæ a sensibus quidem nostris remota sunt, sed certissimo fidei lumine intelliguntur.

CAPUT II.

De institutione Confirmationis.

36. PRæter Protestantes, qui Confirmationem esse verum Evangelicæ Legis Sacramentum negant, fuere inter scholasticos nonnulli, videlicet Alexander Alensis, D. Bonaventura, Cardinalis Jacobus Vitriacensis, Petrus Aureolus, aliique: quin & synodus Beneventana anni 1374. a quibus licet Sacramenti dignitas in Confirmatione agnoscatur; non tamen immediata a Christo Domino institutio; præsertim quod non facile tempus statuatur, quo eam Salvator instituerit.

37. Certum esse debet tamen, Confirmationis Sacramentum fuisse immediate a Christo Domino institutum, tum ob momenta in tractatu de Sacramentis

(a) De fide Orientalium circa Sacramentum Novæ legis, quod Confirmationis Sacramentum appellari solet, magna Protestantes fiducia, Patrum nostrorum memoria, obscurorum innixi testimonio itineratorum, vel scriptorum, jactabant, Armenos, Æthiopes, Ægyptios, aliasque Orientalium Ecclesias, vel Sectas, Sacramentum Confirmationis non agnovisse. Nostrorum alii respondebant ex Schismaticis Ecclesiis nil inferri posse contra veritatem: alii dicebant incertum illud esse, deceptosque fortasse itineratores, propterea quod Orientales Confirmationem simul cum Baptismo, & ritibus a nostris diversis administrarent: alii demum ex Synodis in Græcia congregatis, in quibus quatuor Patriarcharum Orientalium consensus in re sacramentaria laudabatur, Orientales etiam populos hujus fidem sacramenti conservasse tuebantur. Inanes profecto erant pro ætate illa tales responsiones, quamvis illis non facile aquiescere solerent adversarii: tum quia Sacramentorum, quæ a Christo sunt, doctrina quodcumque Schisma, quamcumque antecedat oportet Hæreticorum a Catholica Ecclesia defectionem, tum etiam quia, & Orthodoxi erant, & aliqua fide digni videbantur Scriptores ab Heterodoxis allegati; tum demum quia quatuor Patriarchæ, qui cum Græcis consentiunt, Græcæ Religionis sunt: quum ex opposito de sectis a Græca communione dissentientibus controversia instituatur. Feliciores itaque nos dici possumus in præsens, postquam nostri diligentiorem operam Orientalium linguis, & libris, & Liturgiis, dedere; iisisque editis, & illustratis, quantum nullo jure Protestantes Armeniorum, Æthiopum, Ægyptiorum, aliorumque sectas Orientalium, secum consentiant, & jactaverint, apertissime ostenderunt. Vid. Clarissimus Renaudotius. Et sane librorum a Catholicis exantlatorum non mediocris fructus est, quod non amplius de Orientalibus sectis, tamquam a nobis in hujus fide sacramenti dissentientibus, glorientur, vel gloriari possint Protestantes. Recens Calvinianus Scriptor la Croze, maximi inter suos habitus, Regisque Borossorum Bibliothecæ Præfectus, Catholicis quamvis infensissimus, in sua tamen Christianismi Indiarum Historia Libro VI. aperte denique fatetur, Orientis Ecclesias, & sectas, Myro, sive Chrismate, ad Neophytos confirmandos uti, illudque habere tamquam Sacramentum; tantummodo adjiciens, & animadvertens, ejus Chrismatis confectionem, quemadmodum describitur in Historia Alexandrinæ Ecclesiæ a Vanslebio conscripta, convenire cum confectione unguenti Kyphi a Plutarcho descripti, quo Gentiles Ægyptii olim utebantur. Sed nobis nunc satis est Calvinianum hunc hominem, Orientalium in Historia Ecclesiarum, tanta ut existimatur a suis, cum gloria & laude versatum fateri non dubitare, Orientales omnes, non minus quam Græcos, sacro Chrismate ad Neophytos uti confirmandos, tamquam Religionis Sacramento. Quod enim ad aromata spectat in ipsius confectione ab Orientalibus adhibita, id ad materiam sacramenti pertinet, de qua statim pertractabimus.

Digitized by Google

mentis in Genere allegata, tum quod constat Apostolos Confirmationem Neophytis contulisse, & illius usum ab Ecclesiæ incunabulis ad hanc usque ætatem sine intermissione perdurasse; atqui neque Apostoli, neque Patres, neque universi per totum Orbem Catholicum Episcopi, ritum illum accurate semper & ubique observassent; neque testati fuissent, illa se Cæremonia Neophytis Sanctum conferre Spiritum, nisi eam instituisset Christus ipse, atque illius applicationis se gratiam perpetuo conjuncturum promisisset; itaque proxime & immediate a Deo instituta dici debet.

38. At inquiunt, quonam tempore facta fuit ejusmodi institutio? Fuerunt nonnulli, qui pridie mortis, alii die Pentecostes fuisse Confirmationem a Christo institutam arbitrati sunt, sed absque certo fundamento. Et primi quidem nituntur auctoritati Pontificis Fabiani, qui Ep. 2. cap. 1. hæc scripsisse dicitur: *Illa die Dominus Jesus postquam cœnavit cum Discipulis suis, & lavit eorum pedes, sicut a Sanctis Apostolis, Prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit.* Verum tritum jam modo nimis est apud doctos indoctosque eam epistolam non esse genuinum Pontificis illius fœtum, sed cum aliis plurimis octavum sæculum ab impostoribus excogitatum. Sed quemadmodum hic addit Gasper Juveninus, huic opinioni nec favet Latinarum praxis Ecclesiarum, quæ die sacræ cœnæ Domini veteri Chrismate combusto novum ex antiquorum Patrum traditione consecrant: siquidem, ut S. Thomas animadvertit, ea die Chrisma consecratur, ut Episcopi illud ad Parochos mittant, qui Sabbatho sancto saltem secundum antiquorum disciplinam solemne Baptisma conferebant, & baptizatorum verticem Chrismate consecrato ungebant.

39. Die Pentecostes institutum dici nequit illud Sacramentum, cum neque illius materia, neque illius forma applicatæ tunc fuerint Apostolis, qui a Spiritu sancto igneis in linguis apparente robur acceperunt fidei palam profitendæ. Itaque ad tempus illud confugiendum est, quod Resurrectionem inter & Ascensionem Christi fluxit, dum Apostolis, cæterisque Discipulis sæpenumero apparens locutus est cum illis de Regno Dei; ut docere videtur S. Leo Magnus sermone 1. de Ascensione Domini decantatis illis verbis: *hi dies, qui inter Resurrectionem Ascensionemque fluxerunt, non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria.* Præ ceteris autem promisit tunc Christus daturum se Spiritum sanctum; quare ut egregie D. Thomas 1. part. qu. 7. art. 1. Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo; & hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem, & Ascensionem.

CAPUT III.

De Materia Confirmationis.

40. TRes sunt hac de re Theologorum opiniones. Prima eorum est, qui arbitrantur, solam impositionem manuum esse materiam hujus Sacramenti adeo ut unctio, sive Chrismatio sit quidem antiquissima, solius tamen institutionis Ecclesiasticæ, ideoque materia tantum integralis non essentialis. Altera eorum est, qui opinantur solam unctionem esse materiam essentialem Confirmationis acti auctoritate Innocentii III. per Chrismationem frontis designari manuum impositionem Apostolorum, sicut etiam Eugenii IV. suo in decreto scribentis loco manus impositionis, quæ primis Ecclesiæ temporibus adhibebatur, dari in Ecclesia Confirmationem; Existimant quippe hujus sententiæ Theologi, penes Ecclesiam esse determinare in specie materiam Sacramentorum: & revera electam fuisse prioribus adhuc sæculis unctionem, quamquam Apostoli sola usi fuerint manus impositione. Tertia opinio eorum est, qui docent, materiam hujus Sacramenti in utraque consistere, videlicet in impositione manuum simul, & unctione, rati utramque fuisse ab Apostolis adhibitam, tametsi de unctione altum sit in Actis Apostolicis silentium.

41. Cardinalis Orsius in dissertatione sua historica-Theologica de Chrismate Confirmationi, totus est, ut evincat, sacram Unctionem semper habitam in Ecclesia fuisse aut pro unica, & adæquata, aut saltem præcipua Sacramenti Confirmationis materia. Id ut efficiat cap. 1. animadvertit, Chrismatis usum in Confirmandis Neophytis ab ipsis usque Christianæ Religionis exordiis esse repetendum, eumque a Sanctis Patribus Paciano, Innocentio I. Cypriano, & Basilio Apostolica ex traditione fuisse derivatum, ad quem etiam adludere visus sit Apostolus 2. ad Cor. 1. *qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus vestris.* Sicut & Joannis. Ep. 1. cap. 2. *Sed vos unctionem habetis a Spiritu sancto, & nostis omnia &c. iterum & vos unctionem, quam accepistis a Deo manet in vobis, & non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus.* Quibus in testimoniis græce est *Chrisma*, quod per Spiritum sanctum videtur Apostolus significare voluisse respiciens ad Ecclesiæ ritum, quo sub visibili Chrismate Spiritus sanctus concedebatur. Priorem locum Theodoretus exponens ipsam, quæ adhibetur a Græcis Consignationis formulam usurpavit: ipse nos unxit, & sanctissimi Spiritus signaculo dignos nos duxit. His enim inter ungendum utuntur verbis: *signaculum doni Sancti spiritus.* Capite alte-

Digitized by Google

altero Claudii de Vert opinionem oppugnat Orsius, Confirmationem olim meram & simplicem fuisse Baptismi cæremoniam cogitantis, ex Patribus Latinis, Concilio I. Arausicano antiquioribus sacram Unctionem distinctum fuisse a Baptismo Sacramentum ostendens. Cap. 3. celebri Arauxicano canone, ex coævis Patribus, aliisque ad usque XIII. sæculum Latinis Scriptoribus demonstrat, Chrismationem esse habendam partem Confirmationis essentialem: Græcos, & Orientales Scriptores Sacramentum Confirmationis, aut unice, aut potissimum sacra in Unctione constituisse, cap. 4. docet. Duobus autem, quæ sequuntur, tum ex Græcorum, & Orientalium Euchologiis, tum ex antiquis Latinorum Ritualibus hoc ipsum luculentissime confirmat.

42. Equidem videtur hic Scriptor in recta versari opinione. Si enim Græci, atque Orientales Confirmationem, aut unice, aut potissimum in sacra Unctione constituunt, quam signum doni Sancti spiritus appellant, non intelligo, quonam jure, qui solam manuum impositionem esse statuunt materiam essentialem hujus Sacramenti vindicandæ adversus Protestantes dignitati Confirmationis Sacramentali, præsidium advocare Græcorum possint, atque Orientalium, eorumque consensione uti, atque usu. Non ignoramus silentium Scripturarum solam memorantium manuum impositionem. Animadvertunt tamen clarissimi Theologi, quod cum ea, quæ ad ritus Sacramentorum pertinent, secretissima haberentur aliquando, & sola fere voce, quasi per manus traderentur, propterea noluisse Deum Lucam in Actis Apostolorum neque elementum, neque verbum hujus Sacramenti scripto prodere; ideoque usum fuisse vocabulo manuum impositionis, quæ generalis quædam cæremonia habebatur ad Spirituales producendos effectus usurpata; nullo modo dubitandum sub generali illa voce, ac vi facile subintellectam a Christianis peculiarem, & arcaniorem unctionis cæremoniam. Addunt alii, perpetuo receptum fuisse usu, ut Sacramenta omnia aliquando a forma, aliquando a materia, sæpe ab aliqua earum parte, non semel a ritu quodam, aut eorum cæremonia, aut fine, aut effectu cognominarentur. Quare Sacramentum hoc, tum manus impositio, tum Sacramentum Chrismatis, Sacramentum unctionis etiam, vel signaculum Spiritus sancti, perfectio denique, aut Consummatio, aut Confirmatio appellatum intelligitur. Qui autem unius ritus nomen usurpat, cæteros non excludit; sicut non excludit formam, qui voce utitur significante materiam.

43. Dum itaque Innocentius III. cap. cum venisset, extra, de sacra Unctione scripsit: per frontis Chrismationem designatur manuum impositio Apostolorum; & Eugenius IV. in decreto pro unione Armenorum scripsit: loco manuum impositionis Apostolorum datur in Ecclesia Confirmatio, numquam fuit eorum mens Chrismationem fieri solitam in Ecclesia, in præsens esse loco impositionis manuum ab Apostolis olim usurpatæ, quasi Apostoli olim non inunxerint, aut Episcopi impositionem manuum hoc tempore omittant; cum extensis super Confirmandos manibus nunc etiam revera orent, sed significare modo intenderunt id ipsum, quod Apostoli, dum dicebantur manum imponere, faciebant, id, inquam, nostros Episcopos facere dum confirmare Chrismate dicuntur; adeo ut non ritus hodiernus a veteri, sed solus loquendi modus distinguatur, quemadmodum expressius significavere Senonensis Concilii sæculo XVI. celebrati Patres, ubi dixerunt: tunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum.

44. Dices tamen: Concilium Moguntinum eodem sæculo XVI. habitum de Confirmatione hæc docet cap. 18. Hoc Sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub illis temporibus Apostolorum ex eorumdem traditione adhibita Chrismatis unctione adhiberi cœpit. Canone autem 2. Concilii Arausicani I. V. sæculo coacti constitutum legimus: non esse necessariam repetitam Chrismationem, non esse videlicet necesse, ut qui semel in Baptismo unctus fuit in vertice a Sacerdote, iterum in Confirmatione ungatur in fronte ab Episcopo. Abest igitur adeo, ut unctio præcipua sit hujus Sacramenti pars, ut nequidem ad ipsius essentiam pertinere videatur.

Resp. Ita quidem Patribus illis Moguntinis visum; sed oppositam opinionem sacra etiam de Unctione ab Apostolis adhibita, antiquiorum inniti testimoniis Patrum proptereaque videri præferendam. De varia lectione, & sensu Canonis Arausicani notæ sunt quæstiones inter Petrum Aurelium, & Sirmundum agitatæ. Anteferenda videtur tamen eorum interpretatio, qui animadvertunt, Arausicanos Patres allegato in Canone statuere de illis, qui in casu necessitatis, & sine solemnitate baptizati a Sacerdote, propterea uncti in vertice non fuissent; de illis, inquam, verba facere, & statuere, ut si absque solemnitate baptizati, uncti non fuerint in vertice, admoneatur Episcopus, qui, si ita ei placuerit baptismalem illam unctionis verticalis cæremoniam privato in Baptismate omissam, poterit in Confirmatione supplere, admonentes tamen id non esse necessarium; non esse necessariam duplicem Chrismationem in Confirmatione, & cæremonialem nempe in Baptismo omissam, & essentialem, quæ in Confirmatione debet fieri; sed hac retenta, aliam prætermitti posse ex eo, quod subdunt Patres una eademque benedictione consecratur Chrisma, quo tum ad Unctionem verticis utuntur Presbyteri in Baptismo, tum ad unctionem frontis utuntur Episcopi in Confirmatione.

45. Cum vero Basnagius in suis Ecclesiastico-

Poli-

Politicis annalibus ad ann. 37. ex Justini Martyris silentio, ubi S. Pater aperte, & candide omnes Christianorum cæremonias Cæsaribus exposuit, & memorato Baptismo transitum ad Eucharistiam faciens, omisit Confirmationem, cum ejusmodi, inquam, de causa consecutus esset Basnagius annis Æræ nostræ amplius 160. neque Baptizatis manus impositas fuisse, neque unctionem adhibitam, ita regerit citatus Cardinalis: servati a Justino Martyre silentii ratio facile reddi potest. Cum enim Catechesim scribere animo neutiquam instituisset, satis habuit præcipuorum Ecclesiæ Sacramentorum, Baptismi scilicet, atque Eucharistiæ summa capita delibare; neque ipsius instituti ratio postulabat, ut singula, quæ Baptismum antecedunt, aut consequuntur, Cathechistarum more accuratissime consectaretur.

46. Sed verendum erat, inquit Basnagius, ne a deteriore aliquo Ecclesiæ criminis postularetur Justinus, quod sciens, ac prudens nobilissimam Christianæ disciplinæ cæremoniam occuluisset, quo pacto, & sibi, & Christianis, quorum patronum agebat, creasset periculum. Quasi vero, regerit Orsius, cathecheses exarandi munus sancto martyri ab Imperatoribus fuisset impositum, aut multum eorum referret scire, an Christiani homines post lavacrum etiam oleo perungerentur: ut verendum fuerit, ne id Justinus silentio obvolvens tantum facinus sanguine elueret, neve ob eam caussam adversus Christianos gladiis, & ignibus irati Cæsares desævirent; oh inanes, & miseræ conjecturæ!

47. Nos vero Justini silentio diserta luculentaque Tertulliani loca & auctoritates obdu imus, ex quibus manifeste apparebit, longe antequam ille scriberet, Chrismatis usum in perungendis Neophytis apud Catholicos invaluisse, atque ejusdem esse hujus auctoris judicio, & sententia cum Baptismo, & Eucharistiæ divinæ institutionis & in Ecclesia Catholica vetustatis; libro igitur de Baptismo cap. 7. *exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina*, & c. 8. rursus dehinc *manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum*: quibus in testimoniis, & unctionem vides, & impositionem manus ad Neophytos Confirmandos. Lib. vero de Resurrectione Carnis cap. 8. hæc habet: caro abluitur, ut anima consecretur, Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur; Caro corpore, & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur. Et lib. 1. adversus Marcionem cap. 14. inquit: sed Christus quidem usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis, & lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum Corpus suum repræsentat; etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris. Quid autem virium, & efficaciæ hisce argumentis inesset, si inunctio Neophytorum, & manuum Sacerdotalium super eorum capita impositio, aliive ejusmodi ritus, cæremoniæ fuissent, heri, aut nudius tertius, non autem ante ipsam, adversus quos Tertullianus decertabat, Saturnianorum, Valentinianorum, Apellitarum, & Marcionitarum ab Ecclesia Catholica defectione, vel immediate a Christo, vel ab Episcopis, aut viris Apostolicis institutæ.

48. Dixi a Christo, vel ab Episcopis ob lactis, & mellis societatem; quam divinæ institutionis non esse, credere par est. Sed & eam tamen lib. de Corona Militis cap. 3. inter illas consuetudines Ecclesiæ recenset, quæ quod immemorabili consuetudine niterentur jam vim legis obtinuerant. Ceterum hac una excepta cæremonia, divinæ ceteros esse ritus institutionis, plane, & aperte significat. Nam Christum ait, visibilia hæc elementa in Sacramentorum suorum usum adhibuisse, quod quamvis de lactis, & mellis usu, cui nullum effectum gratiæ proprium, & peculiarem assignat, minus proprie accipiendum sit; de unctione cur non eodem modo ac de Baptismo, & Eucharistia dictum a Tertulliano fuisse intelligamus, nulla omnino ratio est, cum sacræ Unctioni peculiarem effectum gratiæ, perinde atque Baptismo, & Eucharistiæ tribuat, & eum non solum superioribus locis, sed etiam haud semel in lib. de præscriptione hæreticorum mediam collocat Baptismum inter, & Eucharistiam, & una cum illis in censum refert novi fœderis Sacramentorum.

Nisi igitur, ut inquiebam, Unctionis ritus a Tertulliano recensitus ante prædictorum hæreticorum, qui vel ipso Justino Martyre vetustiores habentur ab Ecclesia Catholica defectionem in usu fuisset, inane prorsus, ac futile confecisset Tertullianus argumentum. Nam facile reponere potuissent. Quid ad nos, si oleo Creatoris Neophytos ungere vobis libuit? Quod vir acutissimus optime animadvertens non in simplici istarum rerum usu, sed in ipsius usus antiquitate vim argumenti collocavit, non ait: nunc oleum Creatoris adscivit, quo suos ungeret, sed ait: *usque nunc* idest post adeo magnum temporis intervallum, ex quo adversus Creatoris opera blasphemare animo instituistis, Christus Creatoris oleum non reprobavit, quo suos ungeret; sed illo adhuc uti pergit, quæ sane majorem Justini ætate denotant antiquitatem.

49. Verum urget Basnagius, erat una de Valentinianorum institutionibus unctionis cæremonia, & quidem opobalsamo, ut ex Irenæo intelligimus, neque unquam pro sua sapientia, atque candore optimus ille Pater impunia objecisset hominibus ritus a Catholicis observatos. Itaque videtur colligi oportere ex Valentinianorum fonte in Ecclesiam deductum esse Chrismatis institutum, ut pergratum illis fieret, qui Sectam

Valen-

Valentinianorum ejurantes in Ecclesiam se recipiebant.

50. Resp. Tamen ab Ecclesia Catholica olei usum perinde atque Baptismi, & Eucharistiæ hæreticos recepisse; non hanc ab hæreticis, ut ex Tertulliano colligi potest lib. de præscriptionibus hæreticorum, ubi hos ab Orthodoxis tria, Baptismi, sacræ Unctionis, & Eucharistiæ, Sacramenta æmulatos esse tradit præsertim his verbis: *Sequitur a quo intellectus interpretetur eorum, quæ hæreses faciant, Diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis amulatur. Tingit & ipse quosdam utique credentes, & fideles suos: expositionem delictorum de lavacro repromittit; & si adhuc memini, mytra signat illic in frontibus milites suos. Celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam*. Verba illa: signat illic in frontibus milites suos, ad signum Crucis pertinere, quod cum unctione post Baptismum in Confirmatione fiebat, non modo Orthodoxi docent Scriptores; sed inter heterodoxos doctissimus Binghamus fatetur tomo Originum Ecclesiasticarum 4. lib. XI. cap. 9. §. 6. scribens: omnia eo describit ordine Tertullianus, quo post Baptismum ad Eucharistiam usque fiebant. Erat ibi unctio, & signatio beneficio Crucis, ac manuum impositio, & tum Eucharistia. Ut adeo hoc signum Crucis manifeste ad Unctionem pertineat, quæ Baptismum consequebatur, & usitata erat impositionis manuum, sive Confirmationis cæremonia. Hucusque Binghamus: proindeque non ab Ethnicis, vel Hæreticis, deductum in Ecclesiam fuit simplicis Unctionis institutum; sed illud ab Ecclesia tum Ethnici, tum Hæretici, suos in Cœtus derivarunt.

51. Sed ex Irenæi verbis non immerito colligimus, subdit Basnagius, propriam hæreticis fuisse disciplinam baptizatos perfundendi opobalsamo, cum ea memoret Iræneus, quibus ab Ecclesia Valentiniani discrepabant. Verum nunc de Balsamo non inquirimus, sed generatim de Unctione, quæcumque demum oleo vel simplici, vel aliis liquoribus permixto conficeretur. Hæc autem Basnagius confundit, ut Irenæi testimonio fretus ex Valentinianorum fontibus Chrismatis institutum in Ecclesia deducat. Qua etiam in re falluntur, aut verius fallunt cæteri Heterodoxi, præsertim Kemnitius in examine Concilii Tridentini objiciens nativum in Judæa balsamum jam diu defecisse; nosque in præsens nisi factitium non habere; quo sane nil absurdius. Nam præterquamquod non desunt Indica Balsama ejusdem cum Judaico præstantiæ, quemadmodum peritissimi fatentur; numquid Catholicum dogma est, Balsami permixtionem pertinere ad essentiam hujus Sacramenti? Minime sane gentium. Usurpatus igitur jam tum ab Ecclesiæ exordiis inungendi in Confirmatione ritus de simplici olei inunctione est intelligendus. Balsami quippe apud Latinos mentio non occurrit ante IV. sæculum; ut plurimi evincunt Scriptores; & solius olei faciunt mentionem vetera Concilia, & Patres; etiamsi pro recepta & ecclesiastica phrasi, vel unguenti, vel Chrismatis voce aliquando usi sint, quæ ut lib. docet 7. Optatus Milevitanus, ex Christi nomine, atque ex gratiæ suavitate, benedicto semel oleo conveniebat. His constitutis, distinguamus oportet inter unctionem ex simplici oleo, Apostolicis jam temporibus in Confirmatione usurpatam; & unctionem ex oleo, & balsamo, nondum adhuc Catholica in Ecclesia, Valentinianorum tempore receptam. Priorem illam Valentiniani, aliique hæretici ab Ecclesia Catholica, sicut etiam sacras literas, aliasque Sacramentorum cæremonias, suos in cœtus exportarunt, eas, aut integras retinentes, aut ad arbitrium interpretantes; quemadmodum præstiterant Valentiniani respectu olei Confirmationis, quod balsami unctione, vel mutarant, vel corruperant; quare jure, & merito notati ab Irenæo, quod simplicem olei unctionem tunc Ecclesia usurparet; ex quo sane sequitur, simplicem unctionem non Ecclesiam ab hæreticis, sed hæreticos ab Ecclesia accepisse.

52. Attamen si de mixtione olei, & opobalsami sermo sit, hanc a Valentinianis Ecclesiam derivasse, vel ideo ut Valentinianis gratificaretur, admittere, & primum adhibere perexisse, nemo prudens adfirmaverit; tum quia nulla de re, præsertim grassantibus hæresibus, sollicita magis fuit Catholica Ecclesia, quam ut ab eis conversatione quoque, institutis, & disciplina, immo adiaphoris etiam rebus, sejungeretur, quorum errores reprobaverat; tum etiam, quia sæculo Ecclesiæ sexto nulli reliqui erant Valentiniani, qui etiam tales numquam auctoritate, & numero fuere, illis ut velificari Catholici indigerent; ideoque oportet consequamur diu jam illis hæreticis exactis Ecclesiam sponte libenterque oleo opobalsamum adjecisse, quo magis, magisque suavissimam vim & virtutem hujus sacri symboli exprimeret, & significaret.

CAPUT IV.

An impositio manus, vel unctio, per quam conversi ab hæresi recipiebantur in Ecclesia fuerit Sacramentum Confirmationis.

53. ITA sensisse videntur Sirmondus, Maldonatus, & Goarius; sed communiter id argumentis hujusmodi negatur. Confirmatio olim simul cum Baptismo tradebatur; atqui si conversi ab hæresi iterum fuissent confirmati, hoc Sacramentum fuisset iteratum contra receptissimam Ecclesiarum omnium consuetudinem; itaque

que illa sive impositio manus, sive unctio, per quam recipiebantur ab hæresi conversi, non erat hoc Sacramentum, sed mera pœnitentialis cæremonia. Rursus, hoc Sacramentum institutum fuit tamquam appendix, perfectio, consummatio Baptismi, non virorum modo, sed etiam fœminarum, atque puerorum. Cur usurpatum igitur fuisset ad hæreticos in Ecclesia recipiendos, si ratus præsertim eorum Baptismus habebatur? Denique Sacramentum Confirmationis impositione manus, & unctione simul traditum semper est in Catholica Ecclesia; verum ex opposito ab hæresi conversi, a sexto saltem sæculo, variis in Ecclesia reconciliati sunt modis, alii quidem sola manuum impositione, alii sola unctione, alii absque utraque; uti nos docet Div. Gregorius Magnus lib. 9. Epistol. 61. quæ est ad Quirinum his verbis: *Et quidem ab antiqua Patrum institutione didicimus, ut quilibet, qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad Sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur: unde, Arianos per impositionem manuum Occidens: per unctionem vero sacri Chrismatis ad ingressum Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Oriens reformat. Monophysitas, & alios ex sola vera fidei Confessione recipit: quia Sanctum Baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cum vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint; vel ipsi per professionem veræ fidei, Sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. Hucusque Sanctus Pontifex.*

54. Hoc autem Gregorii Testimonio factum est, ut Morinus quum priori in editione sui operis de administratione Sacramenti Pœnitentiæ oppositam nostræ opinionem defendisset, in recognitione demum doctissimi illius Commentarii ab ea candide recesserit, his usus verbis: ancipiti admodum animo sui, immo anxio, dum antiquæ hæreticorum in Ecclesiam receptionis historia cum veræ Theologiæ præceptis mihi concilianda fuit. Omnium tamen maxime perplexa mihi visa est ea, quæ refert, hæreticos per manuum impositionem accipere Spiritum sanctum, aut etiam per unctionem huic impositioni vel conjunctam, vel separatam. Tam efficacia enim, tam augusta epitheta videbantur mihi huic manuum impositioni a sanctis Patribus passim tribui, ut quamquam plane incertus nutarem, an Sacramentum esset, an simplex cæremonia; credibilius tamen mihi esset, verum esse Confirmationis Sacramentum, quam simplicem cæremoniam. Nihilominus difficultate iterum apud me, & diligentius considerata, ea sententia, quæ manuum illam impositionem simplici cæremoniæ addicit, mihi videtur certa, & multo tutior. Etenim incommodis longe minus obnoxia est, & ea posita evanescunt pleræque difficultates a nobis, vel potius a re ipsa excitatæ. Deinde maximi momenti argumentum, & ineluctabile mihi videtur illa reconciliationis hæreticorum varietas eodem tempore in Ecclesia Orientali, & Occidentali usurpata: Orientalibus hæreticos per unctionem suscipientibus, quos Occidentales per solam manuum impositionem admittebant. Præterea Occidentales inter se in ea Cæremonia non consentiebant. Nonnulli enim in admissione hæreticorum Orientales imitabantur, eosque ut ipsi ungebant. Distinguebant insuper saltem nonnulli inter hæreticos: aliquos enim, ut Donatistas cum sola manuum impositione Ecclesiæ reconciliabant. Denique labente tempore universus iste ritus erga novos hæreticos exorientes tam apud Orientales, quam Occidentales abrogatus est. Eos enim uno consensu per solam fidei professionem, & hæresis suæ anathematizationem Ecclesiæ Catholicæ Patres reconciliarunt. Profecto ex tanta varietate plane certum videtur, ritum illum manuum impositionis sive solitarium, sive unctioni conjunctum puram putam fuisse cæremoniam, quam in hæreticorum reconciliatione, & Ecclesiæ incorporatione adhibebant; quis enim istam varietatem, divisionem, conjunctionem, tandemque abrogationem in vero Sacramento admittere possit?

55. Obj. I. Theodoretus lib. 3. hæreticarum fabularum ita scribit de Novatianis: Iis, quos baptizant, Sacratissimum *Chrisma non præbent, quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur laudatissimi Patres inungi præceperunt.* Arianos etiam, Macedonianos, Apolinaristas Confirmationem suis Neophytis tradidisse nemo dixerit, cum non recte crediderint in Spiritum sanctum: proindeque consequens est, Confirmationem, de qua agimus, fuisse ipsis collatam, dum ad Ecclesiam accedebant, quamvis enim Nicæna synodus, eos reconciliandos dixerit, solumque per manuum impositionem: attamen ea vox, phrasi Ecclesiastica, & scripturali, arcaniorem denotat ritum, scilicet impositionem manus cum unctione, quemadmodum nos interpretamur, ubi agitur de impositione manuum super Neophytos ab Apostolis facta: præsertim cum respectu hæreticorum, qui iungebantur dum revertebantur ad Ecclesiam, inter inungendum formula, tunc quoque: *Signaculum doni Sancti Spiritus* pronunciaretur: Ergo &c.

56. Resp. Equidem Theodoretus lib. 3. Hæreticarum Fabularum scripsit Novatianos fuisse in Ecclesiam per Confirmationem receptos; sed respondetur fidem hac in re non videri præstandam Theodoreto; nam cum Nicænum non modo Concilium, sed veteres magis Patres Epiphanius, Pacianus, Augustinus, Philastrius, & Joannes Damascenus Novatianos quam maxime perstrinxerint, neque tamen eos, circa dogma, aut usum Confirmationis errasse dixerint, aut cum accede-

rent

Digitized by Google

runt ad Ecclesiam confirmatos fuisse tradiderint, certissimo argumento est, hoc Sacramentum fuisse ab ipsis etiam creditum, & usurpatum. Verum admittamus testimonium Theodoreti, quid inde sequitur? Illud certe, id proprium fuisse Novatianorum; itaque in aliis hæreticis Ecclesia verum agnoscebat jam receptum confirmationis Sacramentum; ideoque eos rursus non confirmabat. Neque vero officit, quod aliqui hæretici non recte sentirent de Spiritu sancto: quippe si recte non sentientes de Christo, verum adhuc, & ratum in forma Ecclesiæ conferre poterant, & porro conferrebant Baptismum, cur non recte sentientes de Spiritu sancto non potuerint verum Chrismatis Sacramentum?

57. Sed & illud animadvertendum est, aliud esse, hæreticos quosdam propterea quod crediti non fuerint in suis sectis ratum habuisse Sacramentum Chrismatis, ideo postquam ad Ecclesiam Catholicam reversi fuerint, fuisse Chrismate donatos: qua de re non esse debet controversia; aliud vero est, collationem sacri Chrismatis fuisse medium, & formam, per quam reconciliarentur cum Ecclesia, quod nos in præsens inficiamur. Cum enim cæremonia nulla esse Sacramentum possit, nisi celebrata juxta finem a Christo institutum, si nullum est, aut in sacris literis, aut in Apostolica traditione monumentum, quo intelligamus confirmationis Sacramentum fuisse a Christo ad reconciliandos hæreticos institutum, sed solum ad perficiandos baptizatos; inferri debet, illam sive manus impositionem, sive unctionem in recipiendis hæreticis adhibitam, fuisse reconciliatoriam tantum, non confirmatoriam.

58. Nullius ponderis est, quod Græcorum alii inter ungendum eos, qui cum Ecclesiæ corpore conjungebantur, pronunciaverint verba: *Signaculum doni sancti Spiritus*, quæ dicuntur apud eos forma Sacramenti Confirmationis. Siquidem ex eo quod in aliquibus Ecclesiasticis cæremoniis, aut materia usurpetur, aut recitetur forma alicujus Sacramenti, inferre minime fas est, illud Sacramentum tunc administrari. Ipsi Græci in tradenda Extrema Unctione, peruncto infirmo, cæteros etiam eodem oleo ungunt adstantes; neque tamen illa unctio, Sacramentum est respectu adstantium, qui gaudent sanitate. Apud nos Latinos eodem Chrismate, quo utuntur Presbyteri ad verticalem unctionem in Baptismo, utuntur Episcopi ad unctionem frontis in Confirmatione; neque tamen ex quo Sacramentum conficiunt Episcopi dum consignant in fronte, sequitur Sacramentum conficere Presbyteros in vertice ungentes. Quorum ratio est, quia ad Sacramentum conficiendum non sufficiunt eadem materia, aut forma, aut Minister, sed requiritur ut actio in eum directa sit finem; ad quem a Christo instituta est. Cum autem impositio manuum cum unctione instituta non fit a Christo, neque usurpata ab Apostolis, ad homines ab hæresi, aut a Schismate solvendos, sed ad robur, & ad fortitudinem pro fidei Confessione consequendum; ideo dum in hunc finem ea rite celebratur cæremonia, confirmationis Sacramentum traditur; non vero dum eo intuitu peragitur, ut qui segreges erant ostendantur in sinum Matris Ecclesiæ recepti.

59. Obj. 2. Divus Cyprianus in Epistolis ad Jubajanum, & Stephanum Rom. Pontificem, contendit, hæreticos recipiendos esse per Baptismum, & Confirmationem, immo præconcipiebat, Stephanum per Confirmationem illos reconciliare cum Ecclesia, ex quo ansam sumebat ita argumentandi contra ipsum, si hæreticis dum ad Ecclesiam revertuntur imponuntur manus in Spiritum sanctum; itaqua illum in hæresi non acceperunt, neque fuere in ea confirmati; sed si Spiritum sanctum in hæresi non acceperunt, neque verum Baptisma acceperunt, igitur sicut iterum confirmantur, debent æque iterum baptizari, & utroque renasci Sacramento. Consonat cum Cypriano Syricius Pontifex ad Hymerium cap. 4. de Arianis scribens: *quos nos cum Novatianis, aliisque hæreticis sicut in Synodo constitutum est per invocationem solam septiformis sancti Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit*. Concilium illud, quod Pontifex adlegat, est Arelatense I.; in cujus canone 8. habetur, ut hæreticis, qui in Trinitate baptizati sunt, ab hæresi redeuntibus, manus tantum imponatur, ut accipiant Spiritum sanctum: Concinit Leo etiam Magnus Ep. 37. c. 2. his verbis: *quod ibi defuit conferatur, ut per Episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur*.

60. Resp. Cyprianum, quemadmodum, & Firmilianum, aliosque irritum habentes Baptismum omnium hæreticorum, ex hac falsa hypothesi, fuisse tamen consequentissime locutos. Si enim juxta illos non valebat hæreticorum Baptismus, certe nullius esse poterat valoris Confirmatio hæreticorum, proindeque quemadmodum Baptismus, ita, pro eorum opinione, repetenda erat Confirmatio hæreticorum ad Ecclesiam accedentium. Oppositum cum sensisset Stephanus Rom. Pontifex, & cum eo tunc etiam universa propemodum Ecclesia, valere scilicet hæreticorum Baptisma in ritu Ecclesiæ collatum, ideoque nullo modo repetendum: ita consequenter valere existimabant Chrisma hæreticorum, quod propterea iterare nefas habuissent.

61. Fallebatur autem Cyprianus dum existimabat recipi a Stephano hæreticos per impositionem manus, quæ foret Sacramentum Confirmationis. Expressissima siquidem sunt Pontificis ejusdem verba apud ipsum Cyprianum Epist. 74. ita statuentis: *Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum*

Digitized by Google

tum est, ut manus illi imponatur ad Pœnitentiam. Vides impositionem manus, non in Confirmationem, sed in Pœnitentiam. Quare patet, impositionem illam manus fuisse solummodo reconciliatoriam.

62. De ejusmodi manus impositione, quæ erat in signum modo reconciliationis, loquebantur æque Pontifex Syricius, Arelatensis canon, & Leo Magnus; quippe non distinguunt primum inter hæreticos, qui in Ecclesia, & eos, qui extra Ecclesiam baptizati fuerant. Atqui certissimum est, baptizatos in Ecclesia, si in hæresim lapsi ad Ecclesiam postea redirent, non fuisse rursus confirmandos, quemadmodum fatebantur Firmilianus etiam, & Cyprianus; & puto eos numquam fuisse rursus Confirmatos; cum eadem sit ratio hujus Sacramenti, & Baptismi; eadem fuerit de utroque ab hæreticis collata quæstio, & controversia; itaque juxta Syricium Arelatensem canonem, & Leonem, nec debebant illi confirmari, qui in Baptismo extra Ecclesiam rite suscepto ratum jam acceperant Confirmationis etiam Sacramentum.

63. Sane Syricius loquebatur de Arianis, quorum uti Baptismus, ita etiam Confirmatio numquam in dubium revocata est. Immo scopus Pontificia, quemadmodum Arelatensis canonis, & Leonis Magni, alius non erat, quam constituere nullos hæreticos, qui ratum extra Ecclesiam Baptisma suscepissent baptizandos; proindeque subdidit Syricius, esse ipsis tantum imponendas manus juxta quod totus Oriens, Occidensque custodiebat. Atqui Oriens, Occidensque non custodiebant ritum communem impositionis manuum in reconciliatione hæreticorum, nam in Oriente alii accipiebantur per solam unctionem, alii per solam fidei professionem; alii quemadmodum Novatiani, per manus impositionem in pœnitentiam, qua facta, si opus erat, Confirmabantur; itaque ex sola phrasi recipere impositionem manus in Spiritum sanctum, vel in virtutem septiformem Spiritus sancti, consequi non licet, collatum fuisse Sacramentum Chrismatis, ubi agitur de reconciliatione hæreticorum.

64. Obj. 3. Quæ unctioni, & manus impositioni conversorum ab hæresi tribuuntur epitheta, & elogia, eamdem plane fuisse evincunt cum confirmatoria, sive unctione, sive manus impositione. Illam enim perinde atque hanc, & Chrismationem, & benedictionem, & manus impositionem, & sanctum Chrisma, & Chrisma simpliciter, vocant. Dicunt, manum ab hæresi conversis æque ac Neophytis imponi, ut accipiant sanctum Spiritum. Illos æque ac istos vel manus impositione seorsum, vel ea conjunctim cum Chrismate consignari, confirmari, communiri, ad ingressum sanctæ Ecclesiæ reformari, Eucharistiæ recipiendæ idoneos fieri: hanc denique utrorumque Confirmationem ab Episcopo petendam, postquam ita in Ecclesia institutum fuit, ut Chrismatis administratio penes Episcopum solum fuisset.

65. Simili modo de natura, & virtute cæremoniarum, quæ in Ecclesia adhibentur, non ex solis nominibus, & epithetis definiendum est; sed ex earum magis institutione, fine, doctrina perpetuo & conformi usu totius Ecclesiæ Catholicæ Sacramentales, aut etiam solas Ecclesiasticas cæremonias nonnulli veteres Sacramenta simpliciter vocabant; neque tamen ejusdem causa nominis, aut illi ipsi, aut cæteri Orthodoxi, tales cæremonias vera & propria esse duxere Sacramenta, ita dicendum de manuum impositione facta in reconciliatione hæreticorum, quam quidem primum, si Cyprianum legimus, intelligere possumus, non tantum ab Episcopo, sed ab universo olim Clero simul factam, cum tamen, eam, quæ verum erat Confirmationis Sacramentum, Cyprianus ipse a solo Episcopo asseruerit faciendam. Etiam postquam Occidentali in Ecclesia collatio Confirmationis solo Episcopo reservata dicitur; habemus Canones Concilii Arausicani, & Epaonensis, qui facultatem Presbyteris faciunt imponendi manus hæreticis, vel illos ungendi in illis ad Ecclesiam admittendis; quemadmodum Cyprianus totam potestatem non solum Presbyteris, verum etiam in necessitatis casu fecerat lapsos per manus impositionem reconciliandi cum Ecclesia. Theologi præstantiores in tractatu de Sacramento Pœnitentiæ, ubi de illa agitur manus impositione, super Pœnitentes a Diaconis facta, definiunt, eam tantum fuisse ad effectum liberationis ab excommunicatione, atque in signum, & tesseram reconciliationis, qua tantum solemniter declarabatur, pœnitentem in Communionem denuo admitti. Idem igitur dicendum de impositione manus sive solitaria, sive conjuncta cum unctione respectu hæretici ad Ecclesiam conversi, quæ modo dicebatur simpliciter in Pœnitentiam, modo sub imagine pœnitentiæ, aliquando etiam in Spiritum sanctum; non quod ipsa immediate, & per se Spiritum sanctum tribueret; sed quia per illam ostendebatur, & significabatur reviviscere Sacramenta Baptismi, & Confirmationis in hæresi suscepta; declarabatque ritus ille solemnis coram Ecclesia, Spiritum sanctum, qui in hæresi lapsus non erat in Baptizatum, & Confirmatum, in eum tum denique illabi, dum hic cum Ecclesiæ corpore conjungeretur. Erat igitur illa manus impositio, ut scholæ terminis utamur, in Spiritum sanctum per accidens, non per se; erat in Spiritum sanctum indicative, non effective, erat nudum nomen, & externum signum Spiritum sanctum in homine reconciliato coram Ecclesia illabentis; cum nil aliud tunc eveniret, quam quod in præsens, dum dicimus, Baptismum in ficte ad eum accedente, sublata fictione reviviscere, quod virtute fidei, & contritionis fit, non autem vi alterius Sacramenti.

A P-

APPENDIX.

De Celebri Arausicano Canone, qui materiam respicit Confirmationis.

66. IN Concilio Arausicano primo anni quatercentesimi quadragesimi primi reperitur hic Canon: Nullum ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel chrismari. *De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit in Confirmatione Sacerdos* commonebitur. *Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est; non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio.* Ejusmodi ex Canone inferunt Heterodoxi, eamdem olim fuisse baptismalem, & Confirmationem Unctionem, & idcirco, quæ mere ritualis fuerat, a nobis conversam deinde fuisse in Sacramentalem. Nonnulli vero ex Orthodoxis hoc ex Canone momentum deduxere, negandi Chrismationem pertinere ad essentiam Confirmationis; sed solam impositionem manus esse materiam hujus Sacramenti necessariam voluerunt.

67. Non defuere Viri docti, qui manuscriptis Codicibus, & probatis editionibus innixi, detrahendam e Canone duxere particulam *non*, ita postremam partem Canonis legentes: *Nam inter nos Chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est: ut non præjudicans quidquam, sed ut necessaria habeatur Chrismatio repetita.* Qua ex lectione omnis evanescit difficultas; tunc enim ejusmodi exurgit sensus: nullus Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate in posterum debet progredi, quia apud nos placuit simul cum Baptismo fieri unctionem Baptismalem. De eo autem, qui ob aliquam necessitatem non receperit in Baptismo unctionem Baptismalem, Episcopus in Confirmatione commonebitur, ut suppleat quod prætermissum fuerat in Baptismo, ungendo Baptizatum in vertice ex eodem chrismate, quo deinde est eum uncturus in fronte, neque enim propterea quod utriusque Unctionis idem est Chrisma, eademque benedictione consecratum est, Unctio confirmatoria præjudicari debet baptismali; immo potius æstimari debet, his esse adhibendam chrismationem: semel quidem Baptismalem, & ritualem, deinde postea confirmatoriam, & Sacramentalem.

68. Non solum attamen Protestantes primam urgent canonis lectionem; sed illi etiam Orthodoxi, qui solam impositionem manus esse contendunt materiam essentialem Confirmationis. Talem propterea lectionem admittentes, in eam inquiramus; quamvis enim ante ævum Caroli Magni alium Ecclesiæ Romanæ, & alium Gallicanis Ecclesiis ad Sacramenta administranda fuisse Ordinem satis constet; attamen generali temporum illorum disciplina, & casu, de quo agebatur, attentione debita consideratis, Unctionem confirmatoriam tamquam materiam Sacramenti essentialem ab Arausicanis fuisse Patribus admissam, palam erit.

69. Solemnis Baptismus per illa tempora ab Episcopis in Paschate, & Pentecoste tradebatur, a quibus tunc etiam statim Neophyti confirmabantur. Quum tamen ob infirmitatis necessitatem aliquibus privatum conferri Baptisma deberet; alii nimium ab Urbibus Episcopalibus dissiti, venire ad solemne Baptisma non possent, propterea Ministri constituti erant, quibus baptizandi tales vel infirmos, vel dissitos, munus incumberet, quorum primi si postea convaluissent, cæteri vero si ad Urbem accederent, vel Episcopus Diœcesim peragraret, ab ipso confirmabantur, quemadmodum legimus canone 77. Concilii Eliberitani statuente: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit; Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Sed quia frequens eveniebat, ut inopia Episcoporum fideles absque Confirmatione morerentur, propterea Occidentales in Ecclesias, in quibus hujus administratio Sacramenti Episcopis reservabatur, ritualis quædam inducebatur Chrismatis inunctio a Ministro Baptismi peragenda, quæ locus aliquando haberet Unctionis Confirmatoriæ, vel illius saltem imaginem præberet; unde illi quoque, qui confirmari ab Episcopo non poterant quoquomodo peruncti Chrismate obirent.

70. Hunc itaque in finem constituebant Arausicani Patres, nullum ministrum, qui baptizandi munus suscepisset, absque Chrismate debuisse progredi, cujus constitutionis hanc proferebant rationem, *quia apud nos placuit semel Chrismari*: quod Illustrissimus Petrus de Marca, in adnotationibus ad Concilium Claromontanum, interpretabatur, veluti, si dixissent: quia apud nos placuit simul cum Baptismo chrismari, veluti tantumdem esset si legamus, *semel*, *vel simul*, & par foret hoc loco utriusque verbi significatio quemadmodum monebat etiam Sirmondus.

71. Sed nos diversis canonis partes unum ad sensum trahentes, retinendam arbitramur nativam significationem *semel*; & ad casum, & scopum canonis confugimus. Contingere poterat, & porro non semel contingebat, ut quis, aliquam ob necessitatem, absque baptismali unctione sacro lavacro donaretur. Heinc accedente illo ad Confirmationem dubitatio oriebatur, an bis ungi deberet; primum quidem ad supplendam ritualem unctionem, jam inter baptismales cæremonias Occidentalibus in partibus receptam, & necessitatis causa in Baptismate omissam; iterum deinde, & statim ad conferendum illi Confirmationis Sacramentum.

72. Arausicani igitur Patres, ut quid tum fa-

cto opus esset decernerent, statuerunt: nullum ministrorum, qui baptizandi munus habuisset, absque Chrismate progredi debere, *quia placuit semel chrismari*; idest ne quis absque unctione rituali baptizatus, occasionem præbeat duplicis postea simul faciendæ Chrismationis, dum accedet ad Confirmationem.

73. Hac tamen non obstante præcepta Ministri cautela & diligentia, evenisse adhuc poterat, ut quis absque unctione rituali fuisset baptizatus. Itaque canon sic prosequebatur: *De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur &c.* idest: De eo autem, qui propter aliquam necessitatem perunctus a Ministro in Baptismate non fuerit, in Confirmatione admonebitur Episcopus, ut si quidem ei placuerit, hanc quoque cæremoniam suppleat, quomodo alii solemni Baptismatis ritus suppleri solent, si quandoque aliquo fuerint casu prætermissi. Cæterum animadvertat Episcopus, idem esse Chrisma a Ministro in Baptismate adhiberi solitum, & quo nos utimur in Confirmatione, unaque, & eadem apud quoslibet esse benedictione consecratum: itaque, quum apud nos semel tantum chrismari in Confirmatione placeat; monemus Unctionem baptismalem simul cum confirmatoria necessariam haberi non debere: quippe quod Unctio confirmatoria defectum Unctionis baptismalis valeat abunde resarcire.

74. Ex hac nativa canonis interpretatione, quis non intelligit: illos Patres Unctionem confirmatoriam distinxisse a baptismali, illamque admisisse ad consignandum necessariam? Quippe si Confirmationem sola impositione manus constare credidissent, nec quæstio, nec quæstionis solutio locum habuisset; locum enim quæstioni, & Decreto dedit repetendæ Unctionis difficultas. Verum si ad Neophytos consignandos sola manus impositio adhibebatur, nulla in eo casu poterat timeri Unctio repetita, etiamsi, antequam impositæ fuissent manus in Confirmationem, suppleta fuisset Unctio baptismalis.

75. Rursus, idem erat juxta Arausicanos Patres Chrisma, quod adhibebant Ministri in Baptismo, & Episcopi in Confirmatione; itaque non tam inter baptizandum ungebatur a Ministris, quam ab Episcopis inter consignandum. Denique si de illa actum fuisset, qui accepisset ritualem Baptismatis Unctionem, & dubitatum fuisset, an illa foret iterum in Confirmatione perungendus, tunc ex ea Patrum responsione suspicari posset, ipsos necessariam non habuisse confirmatoriam Unctionem. Sed quum de illo ageretur, qui nullo fuisset chrismate in Baptismo delibutus, sequatur oportet, eos confirmatoriam Unctionem necessariam habuisse: siquidem

76. In concursu duarum Unctionum, quæ fieri illo in casu potuissent, unam tantummodo necessariam Patres illi voluerunt; atqui necessariam velle non poterant eam, quæ ritualis modo erat, quæ recentem & ecclesiasticam respectu Baptismi originem habebat, quæ in aliquale subsidium Unctionis confirmatoriæ inducta modo fuerat, ne videlicet, Episcoporum ob inopiam, & absentiam, absque ulla susceptione Chrismatis, ex hac vita, qui confirmari non poterant, discederent; itaque necessariam voluerint oportet Unctionem illam, quæ in Confirmatione originem Apostolicam habebat, quæque Spiritum conferebat Sanctum, & ab omni anteriori antiquitate verum prædicata fuerat Religionis Sacramentum.

CAPUT V.

De forma Confirmationis.

77. Sunt qui existimant ejusmodi formam in solis illis sitam esse precibus, quas Episcopus porrectis sublatisque manibus recitat, dicendo: *Omnipotens æterne Deus* &c. verum quemadmodum statuimus, Sacram Unctionem semper habitam in Ecclesia fuisse saltem pro præcipua hujus Sacramenti materia; ita cum ea sit, quæ recitatur, dum materia adhibetur, oportet inferamus, formam Confirmationis esse verba: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ab Episcopo dum ungit recitata.

78. Porro, si quæ præmitti solent preces, essent forma Confirmationis, deberet Episcopus, quando singulorum frontem Chrismate inungit, eas iterare; ea ratione qua si multis hominibus conferendum Baptisma sit, hujus Sacramenti Minister, quando singulos alium post alium abluit, iterat verba illa: Ego te baptizo &c. Forma enim, & materia debent esse ita inter se conjunctæ, ut eo tempore Ministri formas Sacramentorum proferant, quo materiam adhibent. Hæc porro conjunctio Chrismatis illis cum precibus non intercedit; quinimmo quando magna est Confirmandorum multitudo, inter preces illas, & eorum, qui postremi sunt unctionem, quattuor, & eo amplius horarum spatium interfluit. Mitto quod sæpe sæpius aliqui ex eorum numero, quibus tribui hoc Sacramentum debet, procul absunt a templo, quando Episcopus recitat preces illas, & tamen optime confirmati habentur, si unctionem modo recipiant; cum verbis: *Signo te* &c. Ex opposito si hujus Sacramenti percipiendi causa adessent, absolutus autem illis precibus, a templo discederent antequam inungerentur, illi utique confirmati non essent. Non igitur astuosæ sunt preces illæ, non ut Sacramenti formam decet, efficaces; sed videntur illis similes, quibus Sacerdotes Sacramenti Pœnitentiæ Ministri, divinam potestatem & misericordiam implorant, antequam Sacramenti formam usurpent, scilicet: *Ego te absolvo* &c.

79. Di-

Digitized by Google

79. Dices tamen, solas preces memorant Sacri Scriptores, & Patres; itaque illæ solæ sunt forma Confirmationis. Sed jam nimirum adhuc animadvertimus, non omnia, quæ spectant ad Religionis Christianæ mysteria, multo minus arcanas Sacramentorum formas, literarum monumentis consignare majores nostros voluisse, ne scilicet ad profanorum oculos hominum permanarent, & notitiam pervenirent; quare ab illis contemnuntur, & irridentur. Revera Innocentius I. Rom. Pontifex interrogatus a Decentio Episcopo Eugubino de ad hoc Sacramentum pertinentibus, ubi ad dicendum de ipsius forma venit Pontifex ita scripsit: *verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad Consultationem respondere*. Et vero vetustissimi Patres formas etiam Baptismi, & Eucharistiæ, & Sacrarum Ordinationum appellaverunt *preces*, cum non ignorarent tamen eas in arcanioribus quibusdam verbis esse constitutas; proindeque sicut sub generali nomine impositionis manuum, tacite, & pro disciplina arcani, denotabatur sacra unctio, præsertim confirmatoria; ita sub generali precum, & orationis nomine specialis forma significabatur, quæ cum forma Græcorum, & Orientalium adeo convenit, inter ungendum scilicet dicentium: *Signaculum doni Sancti Spiritus*.

80. Neque vero refert, quod laudata formula non reperiatur in multis antiquis Latinorum ritibus; præterquamquod enim extat in Ordine Romano Alcuini, satis est receptissimus Ecclesiæ totius usus, cujus primus auctor inveniri non potest. Immo si hæc difficultas urgeret, non minus premeret eorum opinionem, qui in prævia oratione formam hujus Sacramenti ponunt. Siquidem in Sacramentario Moysacensi annorum plusquam octingenta a Martenio edito, nulla oratio reperitur ad unctionem prævia, sed solum quæ post Confirmationem peractam recitatur. In euchologio pariter, quod Martenius refert tomo de antiquis Ecclesiæ ritibus I. lib. I. Oratio illa prævia ad unctionem, ponitur recitanda in una Ecclesia, in qua celebratus sit Baptismus, dum Confirmatio in altera Ecclesia peragitur. Difficile est autem ex hac duplici actione in diversis locis unam moralem intelligere. Denique oratio illa prævia aliquando recitabatur immediate post Baptismum a Presbytero baptizante antequam Episcopus accederet ad Confirmandum, ut constat ex Pontificalibus optimæ notæ apud citatum Martenium in opere allegato. Forma autem ab alio, quam a Confirmante prolata, non potest dici forma Confirmationis.

81. Minime hic vero prætereundum est, Confirmationem unum esse ex illis Sacramentis, ob quæ præstantissimi Theologi constituerunt, omnia quidem Novæ Legis Sacramenta fuisse a Christo instituta, sed aliquorum materias, & formas Sacramentorum ipsum in genere tantum instituisse, concessa Ecclesiæ potestate eas determinandi in specie. Quamvis enim Tridentinum sess. 21. c. 1. definiverit: posse quidem Ecclesiam Sacramentorum ritus mutare, *salva tamen eorum substantia*; Contendunt adhuc tamen Theologi illius opinionis eam Tridentini doctrinam ad omnia Sacramenta non pertinere, sed solummodo ad illa, quorum singularem materiam; & formam Christus instituit, Baptismum nempe, & Eucharistiam; id enim necesse erat statuere contra Novatores contendentes deficiente aqua administrari posse Baptismum per alium liquorem, qui abluendi actionem haberet, & deficientibus pane, & vino celebrari adhuc posse Eucharistiam in iis, quæ alimenti, & potus habere valent rationem. Id utique erat immutare substantiam Sacramenti a Christo jam determinatam. Dum igitur in sacris literis dicuntur orasse Ministri sacri in collatione Sacramentorum, Oratio determinata quidem a Christo in genere intelligitur, sed quod ad formulam Orationis pertinet, eam reliquit ab Ecclesia determinandam, quæ in variis olim Ritualibus varias habebat preces, in idem tamen collineantes, eumdemque sensum exprimentes; sed VIII. abhinc sæculo cum omnis Occidentalis Ecclesia Romanum consenserit in ritum, adeo necessaria nunc est Romani ritus formula, ut qui ab ea recederet, cum Ecclesiæ formam non usurparet, nullum conficere potest Sacramentum.

CAPUT VI.

De Ministro Confirmationis.

82. CErtum & constitutum est apud omnes, ordinarium hujus Sacramenti Ministrum esse solum Episcopum: quod derivatum videtur a praxi Apostolorum, qui baptizatis a Philippo Diacono manus imposuerunt, ut acciperent Spiritum sanctum. Huic autem communissimæ doctrinæ non officit, quod Ananias non utique Apostolus, sed merus Discipulus, manus Saulo imposuerit, ut legitur Actor. 9. Cum enim ea manus impositio Baptismum præcesserit, confirmatoria esse non potuit, sed curatoria tantum fuit, videlicet ad restituendam Saulo visus sanitatem, ut ex contextu liquet.

83. Quæstio igitur est de Ministro hujus Sacramenti extraordinario. Joannes Morinus in sua Dissertatione de Sacramento Confirmationis, totus est, ut evincat, ejus administrationem Presbyteris olim concessam fuisse non tantum in Oriente, sed etiam in Occidente; & primum quidem in Gallicanis Ecclesiis, deinde in Hispanicis, quemadmodum colligitur ex Concilio Toletano I. Eamdem consuetudinem in Sardiniæ regno viguisse, ex celebri sancti Gregorii Pontificis testimonio confirmat; cujus vulgatam lectionem a violenta & sinistra quorumdam interpretatione tuetur, & illustrat. De Græcarum de-

nique

nique atque Orientalium Ecclesiarum consuetudine circa Confirmationis Sacramentalis administrationem differens, Episcopos, Archipresbyterosque, atque etiam Presbyteros, munus ejusmodi fere promisque exequi esse solitos ostendit; illos ordinarie, & proprio jure, istos extraordinarie, & Episcoporum concessione; Ægypti denique, & Alexandrinæ Ecclesiæ eamdem fuisse consuetudinem, Sanctorum Patrum, & inferioribus Scriptoribus, & monumentis temporum, clare adeo evincit, ut ea de re vix posse dubitari videatur. Consonant cum Morino Christianus Lupus, Lucas Holstenius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, Goarius, Rhenaudotius, præstantioresque nostri temporis Theologi, qui eorum laboribus, & monumentis feliciter uti potuerunt.

84. Adversus doctrinam tamen ejusmodi opponi solent tria Rom. Pontificum decreta. I. est Constitutio Innocentii III. qui Confirmationem a Presbyteris Constantinopoli traditam videtur irritam pronunciasse. II. est Epistola Innocentii IV. ad Episcopum Tusculanum in Regno Cypri Legatum Apostolicum; in qua ne Confirmatio in posterum a Presbyteris fieret, tantum prohibuit de illius validitate, aut invaliditate nihil pronuncians. III. est Clementis VIII. in instructione de ritibus Græcorum, ubi idem non modo prohibet, sed in eorum Euchologio, in ordine Baptismi vult ea verba tolli, quibus statim post Baptismum conferunt Confirmationem. Præterea jubet Episcopos Latinos sub conditione confirmare eos, qui a Presbyteris Græcis baptizati, & confirmati sunt, præsertim si eos ordinare debeant.

85. Quibus tamen difficultatibus ita occurrit citatus Morinus cap. 22. exercitationis suæ, ut quocumque ex allegatis Decretis singillatim considerato, evincat, eorum nullum generali Græcorum, atque Orientalium consuetudini, & praxi adversari. Ait, quippe: Innocentii IV. Epistola specialis est, spectatque solum ad Presbyteros insulæ Cypri, ut ex toto illius contextu manifestum est. Dominabantur tunc in ea Latini Principes, cumque Episcopos inter Latinos & Græcos graves contentiones de ritibus uniuscujusque nationis ortæ essent, inter cætera, quæ partim prohibet, partim permittit, ne Latini Græcis molesti essent, prohibet Innocentius Presbyteros Græcos confirmare. Itaque privata fuit constitutio ad sedandas privatas illius Regni contentiones lata, quæ numquam alios obligavit Græcos extra Regnum Cypri degentes, licet similiter essent sub Principum Latinorum ditione constituti; multoque minus Græcos reliquos a Latinorum jugo liberos; non secus atque nunc videmus concordata unius nationis cum Sede Apostolica nihil ad alias Christianas nationes pertinere.

86. Multæ quoque peculiares rationes tempori huic & nationi accommodatæ, Pontificem movere potuerunt ad prohibitionem hujusmodi ferendam, præter eam, quam ex natura rei affert Apostolus, scilicet solas manus imposuisse; ut darent Spiritum sanctum, exem. grat. istæ, ne hæc dissimilitudo, & varietas in eadem regione conspiceretur; neve existimarent Laici Presbyteros Græcorum esse Latinis superiores, majorique potestate præditos: hincque fieret, ut laici Latini confitendi, alteriusque rei causa, Græcos Presbyteros potius, quam Latinos adirent; præcipue Laici ab aditu Presbyterorum Latinorum deterrerentur.) Probibuit igitur Innocentius speciales ob causas ne Prebyteri Græci in insula Cypri confirmarent, non tamen inane & irritum, aliter si fieret, pronunciaret. Quapropter potestatis ab Episcopis Græcis tradi solitæ Presbyteris suis, fuit illa simplex revocatio, quæ cum Græcorum universali consuetudine non pugnat.

87. Facilior est solutio difficultatis ab instructione Clementis VIII. derivatæ. Respicit enim Presbyteros Græcos non tantum Latinis Principibus, verum etiam Latinis Episcopis subjectos; quales nonnulli hodie sunt in extrema Italiæ parte, & in Sicilia. Quare vero non potuerit Presbyteris ejusmodi prohibere Pontifex, ne Confirmationem traderent, cum id possit Episcopus quisque in Diœcesi sua; cum pro eorumdem Græcorum doctrina, invitis Episcopis, chrismare Presbyteri non debeant? jure igitur ac merito Confirmationem tunc iterandam sub conditione jussit Pontifex; nam cum Presbyteri virtute propriæ ordinationis auctoritatem confirmandi non consequantur, necesse est, ut ea ipsis ab Episcopo saltem concedatur. Sed Græcis Presbyteris apud Latinos degentibus hanc auctoritatem non concedunt Episcopi Latini; neque etiam concedere possent, cum sit Ecclesiæ Latinæ mos, cui præjudicium non potest Episcopus afferre. Valide igitur Presbyter Græcus in Latina Diœcesi Latino-græcum consignare non potest.

88. Denique nec opponitur universali Græcorum consuetudini Innocentius III. si tamen ejus verba non, ut solet, interpolata referantur, sed integra & sincera juxta antiquam collectionem tertiam, quam Petrus Beneventanus jussu Innocentii evulgavit, & juxta Balusianam editionem, juxta quas ita ait Pontifex: *Mandamus quatenus omnibus Latinis apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas, ne talia præsumant, &c.* De Græcis igitur Presbyteris non agit tunc Pontifex, sed solum de Latinis. Constantinopoli tunc temporis Latini Principes dominabantur, & Costantinopolitanus sedebat pro Latinis Patriarcha Venetus. Audiens igitur Pontifex, nonnullos Presbyteros Latinos Græcorum exemplo ductos, Confirmationis Sacramentum cœpisse administrare, ne amplius id facerent, severe prohibet; monetque, Græcorum consuetudinem, licet in eorum regionibus viverent, Latinos non juvare. Sed hæc nihil prorsus ad Græcos,

eos, & Sacramentum Confirmationis, ab eorum Presbyteris administratum. Immo videtur colligere fas esse, Innocentium III. Græcorum ritum intactum voluisse. Cum enim Latinis Presbyteris Constantinopoli degentibus nominatim prohibuerit, ne consignarent, nil de Græcis Presbyteris statuens, qui aperte, & de more consignabant, sequitur, ipsum id in illis probasse.

89. Ex his patet quantum erraverint Scholastici nonnulli, qui propterea quod Presbyteri apud Græcos etiam hodie consignent, consequi veriti non sunt, Sacramentum hoc Orientali ab Ecclesia in præsens exulasse: quorum errorem scholasticorum graviter reprehendit Pontifex Benedictus XIV. lib. 7. de Synodo Diœcesana c. 9. ubi Florentino ex Concilio consequi certo oportere subdit Græcorum Confirmationem, etsi a simplici Sacerdote administratam, fuisse a Pontificibus ratam habitam, his concludens verbis: illis in locis, in quibus Chrismatio data a Sacerdotibus Græcis non est a Sede Apostolica expresse improbata, ea pro valida est habenda ob tacitum saltem privilegium a Sede Apostolica concessum; cujus quidem privilegii præsumptionem inducit ipsamet conniventia, & tollerantia Rom. Pontificum, qui prædictum Græcorum morem scientes non contradixerunt, nec umquam illum damnarunt. Ita Pontifex: unde intelligimus Tridentinam Synodum Canone 3. num. 7. anathema dicentem iis, qui affirmaverint, ordinarium Confirmationis ministrum non esse solum Episcopum; sed quemvis simplicem Sacerdotem; respexisse tum eorum errorem, qui eam Episcopis reservatam ajebant propter cupiditatem lucri, & honoris temporalis; tum eorum alterum, qui Presbyteros esse tuebantur ordinarios hujus Sacramenti ministros; non vero respicere probatam Græcorum, & Orientalium praxim, apud quos generali quadam dispensatione præconcipiuntur Presbyteri illi ad Sacramentum hoc conferendum delegati (a).

90. Controversia est inter Theologos, an ex spe-

(a) Nescio tamen, quomodo nonnulli Missionarii in Anglia Catholici elapso sæculo arma Heterodoxis veluti suppeditarunt, dum contendentes posse Ecclesias particulares absque Episcopis consistere, quos necessarios tantummodo ad Presbyteros ordinandos ponebant, unde ab istis postea Diœceses dirigi satis possent; inductam fuisse non modo ad supplendam significationem unctionis, quæ fit ab Episcopo in fronte; verum etiam ad eumdem supplendum effectum, nimirum ad conservandos, confirmandosque homines in gratia Baptismali, propterea quod sancti Cyrillus, & Cyprianus Neophytos ita in vertice a Presbyteris perunctos, esse dixerint plane & perfecte Christianos; & Divus Thomas, unctionem Chrismatis in vertice operari scripserit ad robur, quo peccato resistamus, & quo fidem in persequutionibus profiteamur. Hæc doctrina tamen, quam anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo Theologi Parisienses solemniter condemnavere, cum omnibus pugnat principiis, quæ hoc in tractatu posita sunt, & constituti. Nam etiamsi Neophyti verticaliter uncti, illis perfectiores dici queant, qui absque ulla unctione in casu necessitatis baptizati sunt numquam tamen adeo perfecti sunt, ut cum perunctis ab Episcopo in fronte valeant conferri. Omnis vero antiquitas non unctioni, quæ fit a Presbytero in vertice, sed illi, quæ fit ab Episcopo in fronte, donum, & signum, & sigillum tribuit sancti Spiritus, quia hanc a Christo per Apostolos nobis communicatam credidit; illam ab Ecclesia inductam fuisse numquam dubitavit; ideoque minime idoneam ad effundendum in nobis suapte natura, & vi supranaturale donum roboris, & fortitudinis, atque incrementum gratiæ sanctificantis. Incertum est apud Theologos utrum unctio verticalis significet tantum, an etiam aliquid efficiat? sed illi quoque qui in postrema hac opinione versati sunt, numquam sensere tamen, eam proprium habere Sacramenti effectum; sed ad summum quasdam excitare pias affectiones posse, & pia desideria ad conservationem gratiæ Baptismalis opportuna. Non veterum Patres sæculorum ab Adversariis proferuntur, sed inferioris ætatis tantummodo Scriptores, qui tamen ab hoc errore alienissimi fuerunt. Rabanus Maurus Libro 1. cap. 30. ita si integer producatur, scripsit: signatur Baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem in capitis summitate; per Pontificem vero in fronte: ut priori unctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Dei consecrandam; in secunda quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis, & scientiæ, & virtutis, venire in hominem declaretur. Tunc enim ipse Spiritus sanctus, post mundata, & benedicta corpora atque animas, libens a Patre descendit, ut vas suum sua visitatione sanctificaret, & illustraret; & nunc ad hominem in hoc venit, ut signaculum fidei, quod in fronte suscepit, faciat eum donis cælestibus repletum, & sua gratia confortatum intrepide, & audacter coram Regibus, & Potestatibus hujus sæculi portare, & nomen Christi libera voce prædicare. Hæc Rabanus Maurus, cujus verba refert S. Thomas III. Parte quæst. 72. Artic. XI. ex quibus infert, Confirmationis unctionem reservari Episcopis effectus principalioris causa, scribens: *Non ergo propter digniorem partem, sed propter potiorem effectum, hæc unctio Episcopis reservatur.* Ivo Carnotensis Sermone de Sacramentis Neophytorum, ita vult fidelem denominari Christianum ab unctione, ut statim explicet, eam signum esse merum gratiæ Baptismalis; inquit enim: *Cum Baptizatus de fonte ascenderit, sacro Chrismate inungitur in vertice, ut cognoscat se promotum esse in regium genus, & Sacerdotale, idest, ut a Christo consortio vocetur Christianus, & æterni Regni sit cohæres. Hoc sacramentum post aquam perfectio fit, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Gersonis sensus idem est, qui Rabani. Hugo Victori-

speciali delegatione Romani Pontificis possit nunc Sacerdos Latinus in Ecclesia saltem Chrismate ab Episcopo jam consecrato Confirmationem administrare. Negant nonnulli Galliæ Theologi; sed præterquam quod affirmant alii, & ante ipsos Divus Thomas; cum plurimi Pontifices hanc sæpenumero fecerint aliquibus Presbyteris, Missionariis præcipue versantibus in India, ubi vel nulli sunt, vel rari Episcopi in Diœcesibus nimium vastis potestatem, ut legere est lib. 7. de Synodo Diœcesana Benedicti XIV. cap. 7., non intelligo quare sine aliqua inconsiderantiæ nota possint Theologi Orthodoxi adhuc dubitare hac de re; quippe, si ut ex Morini exercitatione patet, olim, & jure veteri poterant Episcopi, Occidentali etiam in Ecclesia, Presbyteros ad consignandum delegare; quare id non poterit Summus Pontifex; cui tot & tanta sunt in præsens reservata?

91. Unum modo est, in quo Morino manus dare non possumus. Contendit ille cap. 16. allegatæ exercitationis, Innocentium I. Sacramenti, de quo agimus, administrationem non tantum Presbyteris, sed etiam Diaconis aliquibus Latinis in casu necessitatis concessisse. Verba Pontificis celebri in Epistola ad Episcopum Eugubinum sunt ejusmodi: *De iis baptizatis, qui postea a Dæmonio, vitio aliquo, aut peccato interveniente corripiuntur, quæsivit dilectio tua, si a Presbytero, vel Diacono possint aut debeant consignari; quod hoc nisi Episcopis præcipere non licet. Nam eis manus imponenda omnino non est, nisi Episcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, Episcopi est imperare, ut manus eis vel a Presbytero, vel a cæteris Clericis imponatur*. Quibus ex verbis colligit Morinus, olim potuisse Episcopos etiam Occidentali in Ecclesia Presbyteris non modo, sed etiam Diaconis administrationem jubere Sacramenti Confirmationis.

92. Quamvis vero ex eo Innocentii testimonio id ipsum collegerit Lucas Holstenius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus in dissertatione de Ministro Confirmationis Romæ edita, & approbata; doctissimi sunt tamen viri, qui huic opinioni subscribi non posse tuentur, & docent. Quum enim Ecclesia Romana, a Sacramenti hujus administratione Presbyteris concedenda, teste Gregorio Magno, aliena semper fuerit, etiamsi aliquæ olim Occidentales etiam Ecclesiæ concessisse videantur; quis sibi persuadeat, Innocentium Pontificem, talem administrationem Diaconis permisisse? Græca certe in Ecclesia chrismasse Presbyteros passim, Diaconos nullibi reperies. Quis igitur credat, ea in re, Romanam Ecclesiam indulgentiorem fuisse, quam Græcam? Observanda hic vero diligentius Innocentii verba: negat baptizatis Energumenis manum esse imponendam, negat hos esse consignandos a Presbytero, vel Diacono, nisi Episcopus auctoritatem dederit: dare autem facultatem posse Episcopum Presbytero, vel cæteris Clericis. At qui dixerit cæteros promiscue Clericos posse confirmare? Nullus profecto. Non agitur itaque in citatis Innocentii verbis de Sacramento Confirmationis, etiamsi manus impositionis, & consignationis voces usurpentur.

93. Et sane præconcipiendum est, Energumenos illos, pro disciplina Innocentii I. tempore universim vigente simul cum Baptismo Confirmationem, & Eucharistiam jam accepisse; postea vero correptos a Dæmone, & vexatos, impositione manuum, aut benedictione aliqua indiguisse ut liberarentur. Eam præstare consueverat Episcopus; sed, ut allegato loco subdit Pontifex; evenire poterat, ut longe constitutus Energumenus, nec ipse ad Episcopum deduci, nec Episcopus ad eum se conferre facile potuerit, aut talis casus in itinere Energumeno acciderit, congruum ut fuerit Episcopum mittere aliquem ex Clericis ad benedicendum Energumeno. Itaque statuit tunc Innocentius, posse Episcopum mittere vel Presbyterum, vel aliquem ex Clericis: qua tamen ex definitione nil emergit, quod fundamentum præbeat credendi factam fuisse Diacono confirmandi potestatem. Neque vero constat, quod præconcipit Morinus, verba *signandi, & consignandi* ubique apud veteres de Sacramento Confirmationis intelligi oportere; innumera quippe adduci possunt exempla, & testimonia, quibus eadem ad significandum simplicem benedictionem usurpantur.

94. Theologica vero ratio, quare possit injungi Presbytero ut consignet, Diacono injungi non possit, est, quia juxta aliquos idem est character Episcopalis, & Sacerdotalis, hoc excepto, quod Episcopus per eum immediate ordinatur ad actiones aliquas hierarchicas, ad quos Presbyter proxime non ordinatur; juxta vero alios, etiamsi sint diversi characteres, attamen etiam Sacerdotalis dat Ordinato potestatem radicalem & inchoatam circa Corpus Christi Mysticum, ideoque perficiendam ab eo, qui talem habet in Ecclesia auctoritatem. Quare idoneus fiat simplex etiam Sacerdos ad nuda Sacramenta administranda. Ast ex opposito character in Diacono ipsum mo-

ctorinus, Rupertus, & Amalarius, docent quidem unctionem verticalem fuisse inductam in supplementum Confirmatoriæ, quantum ad id, quod ad externam significationem pertinet, minime tamen quantum pertinet ad interiorem & sacramentalem effectum in homine baptizato producendum.

Digitized by Google

modo deputat ad inserviendum in solemni celebratione Sacramentorum, non ad illa celebranda. Accidit in Oriente semper, aliquando vero in Occidente fuisse Presbyteros ad consignandum delegatos, quod respectu Diaconorum numquam evenit; ideoque nullum adest fundamentum; quo ipsum ad hujus dispensationem Sacramenti delegari posse arbitremur.

CAPUT VII.

De subjecto Confirmationis.

95. DUO hic inquiruntur: I. qualem habere dotem debeat ille, qui est confirmandus: Alterum, quanam ætate? Certum autem est solum hominem baptizatum esse posse subjectum capax Sacramenti Confirmationis; nec, nisi baptizatum confirmari posse; quia cum hoc Sacramentum sit appendix, perfectio, consummatio, & veluti Confirmatio Baptismi, quomodo posset ei tradi, & conferri, qui Baptismo donatus non esset? quomodo incrementum spiritualis vitæ habere posset, qui nondum esset spiritualiter renatus? Cum Baptismus sit janua omnium Sacramentorum, qui Baptismo lustratus non est, non potest aliis perfici & ornari donis, atque Sacramentis.

95. Circa ætatem Confirmandorum, Græca, & Occidentalis Ecclesia cum eo semper tempore, quo baptizaverit, contulerit statim etiam Confirmationem, sequitur, infantes vix natos in Græcia, & Oriente inungi, & confirmari; quod Latina æque in Ecclesia factum videtur usque ad Sæculum XIII. (a) De ætate igitur Confirmandorum apud nos agens Catechismus Romanus observandum statuit, ut omnibus post Baptismum, Confirmationis Sacramentum administretur; sed minus expedire addit, hoc fieri priusquam pueri usum rationis adepti fuerint; atque ideo decere, ut sacro Chrismate non innungantur, nisi cum ad septimum suæ ætatis annum pervenerint. Ex opposito Pontificale Romanum tamquam certum ponit, Sacramentum Confirmationis etiam infantibus ab Episcopo administrari; ait enim: *Infantes per Patrinos ante Pontificem confirmare volentem, teneantur in brachiis dextris*. Pugnare proinde inter se videntur Catechismus, & Pontificale. Sed in concordiam revocantur a Benedicto XIV. allegati libri cap. 10. animadvertente catechismum Romanum quamvis non expedire asserat, ut Sacramentum Confirmationis pueris ante septennium conferatur; non tamen prohibere, ne ullo unquam in eventu iisdem conferri queat; quemadmodum cum D. Thoma docent innumeri Theologi, contendentes sancte, & licite, etiam juxta hodiernam disciplinam, sacro Chrismate ungi pueros ante septennium, cum aut prævidetur futura diutina absentia Episcopi, aut iidem versantur in discrimine vitæ, aut alia urgeat necessitas, sive justa causa. Quamvis enim Confirmatio non sit pueris ante usum rationis necessaria ad pugnam tunc subeundam pro fide Christi; non est tamen inutilis; tum quia auget illis gratiam, quare decedentes majorem consequuntur gloriam, tum quia eis jus tribuit ad accipienda gratiæ auxilia, quibus suo roborentur tempore ad pugnam sustinendam, si e morbo convaluerint.

97. His autem constitutis laudandum ait Pontifex Episcopum, qui paratum se diceret ad Confirmationem pueris in extremo constitutis, aut jubere ut sibi Chrisma ministraturo in hoc, aut illo suæ Diœcesis loco exhibeantur pueri, cum facilis ad eos in posterum sibi futurus non sit accessus. Tria tamen Episcopum advertere oportere subdit Pontifex: primo, ne in sua Constitutione quidquam dicat, quo insinuare videatur necessitatem, sive præceptum suscipiendi Sacramentum Confirmationis in ea ætate, & statu. Secundo ut Sacramentum administret ea dignitate, cui consulere voluit Ecclesia, cum illud denegavit infantibus ante adeptum usum rationis. 3. tandem, ne cum paratum se dixerit ad Confirmationem conferendam omnibus pueris positis in vitæ discrimine, libenter accurrat ad nobiliores, sibique bene visos, & ire detrectet ad pauperes, aliosve de infima plebe: hoc siquidem fieret cum acceptione personarum, & multorum scandalo, a quibus est quam maxime & semper,

(a) In urbibus saltem, & ubi Episcopi erant, quia solemnem festis Paschatis, & Pentecostes Baptismum administrantes, simul etiam initiatos consignabant. Dixi in urbibus saltem, quia Occidentali in Ecclesia jam Hieronymi ætate extra Urbes Confirmatio a Baptismate separata fuerat, quum in Dialogo contra Luciferianos scripserit sanctus Pater: *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus Urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat*. Illis itaque Confirmatio simul cum Baptismate non tradebatur: bene vero illis, qui ab Episcopis solemni in Baptismo initiabantur: qui ritus ad sæculum usque XIII. ut dicebamus, perseveravit; quemadmodum plures ostendant Scriptores. Sed quum tunc ea Disciplina in Urbibus quoque remitti cœperit, & Baptismus statim a nativitate cunctis administratus a Presbytero solemniter etiam fuerit; propterea inductus fuit mos Confirmationis alio tempore ab Episcopo administrandæ.

per, sed præsertim ab Episcopis & in Sacramentorum administratione abhorrendum. Ita Pontifex.

CAPUT VIII.

De effectibus Confirmationis.

98. PRimus hujus Sacramenti effectus est incrementum Sanctificantis gratiæ in Baptismate acceptæ, quare dicitur Sacramentum vivorum, quia per se institutum non est ad remittendo peccata, sed ad augendam Justitiam, & sanctitatem. Alter effectus est gratia confirmatoria, hoc est gratia roboris, firmitatis, fortitudinis, gratia perficiens, quæ confirmatum reddit perfecte Christianum; quemadmodum Confirmatio perficit Baptismum; & quia totius Christianitatis & salutis perfectio est, sive posterior iste effectus, vel gratia a priori distinguatur, sive eadem quantum ad essentiam sit; quod ad quæstionem mere Scholasticam pertinet: habet Sacramentum tamen omnes allegatos effectus juxta doctrinam, & modum exprimendi Sanctorum Patrum, Pontificum, Conciliorum, Ritualium, & precum Ecclesiæ, quorum testimonia apud Polemicos Scriptores habes infinita *(a)*.

99. Dicunt Protestantes tamen, nonne Panis Eucharisticus juxta sacras literas cor hominis confirmat? Nonne juxta SS. Patres est alimentum animæ? Nonne gratiam auget, atque perficit? Igitur hæc pertinere non possunt ad ritum Confirmationis.

100. Verum huic difficultati jam responsum dederat D. Thomas 3. part. quæst. 73. art. 1. his verbis: *Sicut ad vitam corporalem requiritur* generatio, per quam homo vitam accipit; augmentum, quo homo perducitur ad perfectionem vitæ; ita etiam alimentum requiritur, quo homo conservatur in vita. Ideoque sicut ad vitam spiritualem oportuit esse Baptismum, qui est spiritualis regeneratio, & Confirmationem, quæ est spirituale augmentum; ita oportuit esse Sacramentum Eucharistiæ, quod est spirituale alimentum. Duplex igitur est perfectio: una, quæ est in ipso homine; ad quam perducitur per incrementum vitæ, & talis perfectio competit Confirmationi; alia autem est perfectio, quam homo consequitur ex adjunctione alicujus extrinseci hominem conservantis, puta ex adjunctione cibi, vel indumenti, vel alicujus hujusmodi; & talis perfectio competit Eucharistiæ, quæ est spirituale alimentum. Restat ergo ut cum Sacramentum Eucharistiæ realiter sumitur, augeatur gratia, & virtus spiritualis perficiatur; aliter tamen, quam per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur, & perficitur gratia ad resistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi; cum per Sacramentum Eucharistiæ augeatur gratia, & vita spiritualis perficiatur, ad hoc quod homo in se ipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum; huc usque S. Præceptor.

101. Tertius Confirmationis effectus est character, quo tamquam milites Christi signamur. Nam quemadmodum signaculum militiæ corporeæ olim quædam nota erat, & signum militiæ temporalis, quod non poterat amitti a desertore; ita omnes Patres docuerunt, recipi a Baptizato per Confirmationem signum, sigillum, signaculum quoddam militiæ spiritualis, indelebile, & inamissibile, quod characteris nomine insignitur. Theologicæ vero hujus dogmatis rationes, hæ sunt: 1. prima, quia hoc Sacramentum datur per modum Consecrationis; quæ autem sunt semel consecrata, quamdiu integra subsistunt semper consecrata manent, juxta illud Levitici ult. *quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino*. 2. est, quia character est quædam spiritualis potestas ad aliquas sacras actiones ordinata: sicut autem in Baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda, quæ ad propriam pertinent salutem, pro ut scilicet secundum se ipsum vivit; sic in Confirmatione accipit potestatem ad agenda ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra fidei hostes. 3. demum est, quia qui semel confirmatus est, semper remanet confirmatus; atqui talis non remanet ratione actionis confirmatoriæ, quæ cum ritu, & cæremonia transit; neque talis remanet, quantum ad gratiam, sive ad incrementum gratiæ sanctificantis, quæ per peccatum mortale a Confirmato non semel commissum, amittitur; remaneat igitur homo necesse est semper confirmatus, & miles Christi, ratione characteris indelebiliter in ejus anima impressi. *(b)*

102. Id

(a) Lactantius lib. Divinarum Institutionum VII. cap. 5. scribebat: *Homo cælesti lavacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus, & plenus*. De Sacramento Confirmationis hæc posteriora fuisse a Lactantio pronunciata monent ipsius Interpretes, non quod Baptismatis virtuti aliquid desit; sed quia quum per Baptisma reperiamur quasi modo geniti infantes, per Confirmationem in viros crescimus perfectos: quare hæc perfectio dicitur, consummatio, & ultimum Baptismi complementum.

(b) Hanc non modo doctrinam, sed & loquendi formulam majores nostri tradidere. Tertullianus in Libro de Præscriptione docens quomodo Dæmon in Idolorum mysteriis nostra æmularetur Sacramenta, ajebat: *Signat illic in fronte milites suos*. Cornelius Romanus Pontifex in Epistola de Novatiano: *Neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit*,

Digitized by Google

102. Id etiam magis patet ex eo, quod tamquam dogma Catholicum habitum semper fuerit, Confirmationem iterari non debere. Sic Concilium Toletanum VIII. can. 7. inquit: *Sanctum Chrisma collatum, & altaris honor avelli nequeunt*. Concilium autem Cabillonense ita canone 27. *nobis visum est, Confirmationem, sicut nec Baptismum, iterari minime debere*. Auctor vero libri de operibus Cardinalibus Christi in sermone de ablutione pedum, ita scripsit: Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ: & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros Ordines, semel datos, iterum renovat: Nemo sacro oleo lita iterum linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum, vel ministerio derogat Sacerdotum; quia contumelia esset Spiritus Sancti, si evacuari posset, quod ille significat; vel aliena sanctificatio emundaret, quod ille semel statuit, & confirmat.

103. Non est autem character Confirmationis aliqua tantum extensio characteris Baptismalis, aut novus tantum respectus superadditus; sed character est a Baptismali realiter diversus, quia Concilia, & Patres non easdem tribuunt utrique characteri proprietates. Nempe characterem Confirmationis esse docent, signaculum impressum animabus nostris, per quod adscribimur militiæ Christianæ, quæ ratio est penitus distincta a ratione characteris Baptismalis, quo capaces reddimur ad cætera Sacramenta suscipienda, & ad fidem Christianam profitendam simpliciter. Paucis: sicut aliud est esse hominem, & aliud esse militem; ita aliud est esse Christianum simpliciter, aliud est esse militem Christianum.

CAPUT IX.

De Necessitate Confirmationis.

104. Certum est hoc Sacramentum non esse necessarium necessitate medii ad salutem; quæstio tantum est, an necessarium sit necessitate præcepti. Negant nonnulli Theologi, his ducti argumentis: non est præceptum Divinum: nullum enim habetur in sacris literis, vel in traditione; non humanum: pariter enim nullum invenitur in decretis Pontificum, & Conciliorum: non est autem asserendum aliquod præceptum absque gravi apertoque fundamento. Neque vero negabimus plurima esse in præcepto, ex sola universali praxi totius Ecclesiæ Catholicæ. Verum hoc ex capite nova vis additur nostræ opinioni. Siquidem ex consuetudine generali Catholicæ Ecclesiæ, neque parvulis, neque adultis in mortis necessitate constitutis, nec adhuc confirmatis, Sacramentum ejusmodi administratur; quod profecto non omitteret pia & sollicita Mater, si illud esse ad salutem necessarium existimaret. Quamvis enim enixe postulantibus parentibus, & Episcopo annuente, pueri in periculo mortis constituti consignari possint: quare juxta Pontificale Romanum tales infantes ab offerentibus tunc teneri debeant in brachiis dextris; cum tamen id præstare tum parentibus, tum Episcopo, Ecclesia liberum relinquat, & pro hodierna disciplina communiter non soleat, videt quisque, nullum propterea de susceptione hujus Sacramenti existere præceptum.

105. Adversus hæc tamen ita nonnulli argumentantur: Apostoli habuerunt a Christo præceptum expectandi Jerosolymis plenitudinem Spiritus Sancti, quæ est effectus Confirmationis. Videtur igitur Divinum esse præceptum de ea suscipienda. Rursus Synodus Laodicæna can. 18. ita statuit: *oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi supercælesti Chrismate*. Et in cap. *omnes* de Consecratione dist. 5. ex Urbano Papa dicitur: Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum post Baptismum recipere debent; Ergo &c.

106. Resp. Præceptum Apostolis fuisse, ne discederent Jerosolymis, sed expectarent donec induerentur virtute ex alto, quia non tantum plenitudinem gratiæ accepturi erant, verum etiam omni sapientia erant a Sancto Spiritu illustrandi, & donis linguarum, miraculorum, Prophetiæ &c. ad Ecclesiam fundandam necessariis; proindeque tale præceptum eas solum non posteras respexisse. In verbis vero Laodicenæ Synodi, & Pontificis Urbani, quemadmodum & in similibus plurium Sanctorum Patrum, non habetur rigorosum præceptum, sed utilitas Sacramenti commendatur *(a)*.

107. In-

fuit. Cyprianus Epistola septuagesima tertia: *Sigillo Dominico consummari*. Prudentius in Psychomachia, sectione sexta: *Per inscripta oleo fronti signacula, per quæ unguentum regale datum est, & Chrisma perenne*. Et Cathemerinon, sive rerum divinarum, Hymno sexto:

Cultor Dei memento
Te fontis, & lavacri
Rorem subiisse sanctum,
Te Chrismate innotatum.

Innocentius I. in Epistola ad Decentium: *Ut consignent*. Theodoretus Libro IV in Cantica: *Velut sigillum quoddam regale suscipiunt*. S. Leo Magnus sermone IV. de Nativitate: *Signaculum vitæ æternæ*. Divus Augustinus sermone de Catechismo Cap. I. *Baptizatus es, signatus es regio Chrismate &c.*

(a) Est autem sententia hæc veterum etiam illorum, qui de recipienda Confirmatione severissime scripserunt. Concilium Illiberitanum Canone 77. quando statuit: *Si quis Diaconus regens plebem, sine*

107. **Instant tamen adversarii**, atque ajunt: tenetur quilibet Christianus tam contendere ad perfectionem, quæ necessaria est, ut suæ consulat securitati, & pericula adversus fidem constanter superet; atqui ad hoc est necessarium Sacramentum Confirmationis, ut etiam docet Div. Thomas 3. part. qu. 72. art. 1. ergo &c.

108. Resp. Objectum principium si valeret, non solum evincere Confirmationem esse necessariam necessitate præcepti, sed etiam medii, quod tamen neque adversarii contendunt; quare dicimus, Christianum quemlibet per Baptismum, bona opera, aliaque Sacramenta, Pœnitentiæ videlicet, atque Eucharistiæ ad eam contendere perfectionem, quæ necessaria est, ut suæ consulat securitati; quamvis per gratiam Chrismatis homo melius roboretur ad fidem coram exterioribus inimicis ejus magis generose profitendam: proindeque casu quo aliquis coram Tyranno fidem propugnaturus præviderет futurum se in periculo eam denegandi; sunt, qui dicunt, tunc susceptionem sacri Chrismatis fieri homini illi necessariam.

109. Mirari vero subit adduci hic S. Thomam, cujus mens allegato loco his patet verbis: „ omnia Sacramenta sunt æqualiter necessaria ad salutem; sed quædam sunt, sine quibus non est salus; quædam vero sunt, quæ operantur ad perfectionem salutis; & hoc modo Confirmatio est de necessitate salutis, quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti. " Est ergo juxta Sanctum Præceptorem Confirmatio necessaria perfectioni salutis, sed ista perfectio non est necessaria saluti; quippe quæ sine illa haberi salus possit, modo non contemnatur Sacramentum.

110. Nec officit D. Thomam articulo ejusdem quæstionis 6. scripsisse: „ sicut nullus consequitur effectum Baptismi sine voto, ita nullus consequitur effectum Confirmationis sine voto ipsius. " Non officit, inquam, quia sensus est, effectum Confirmationis non haberi sine voluntate saltem implicita Sacramentum hoc non negligendi in casu necessitatis, nec illud contemnendi: quale votum habet quicumque sincere conversus ad Deum ea desiderat, & vult, quæ ad salutem quomodocumque nostram fuere a Christo, & ab Ecclesia posita, & instituta.

CAPUT ULTIMUM.

De Cæremoniis Confirmationis.

111. Quis confertur hoc Sacramentum fatis notis cæremoniis, quarum aliæ cum Orientalibus ritibus conveniunt, aliæ sunt Latinorum propriæ, quas inter illa, qua Episcopus statim ac Chrismatis unctionem in fronte Confirmandi fecerit, hujus maxillam manu leviter percutit, sive levem ei alapam infligit. Mysticam hujus cæremoniæ rationem explicandam Scriptores Ecclesiastici sumpserunt. Celebre Concilium Moguntinum anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono celebratum, numero nonagesimo tertio docet, quod, sicut cessantibus visibilibus signis subrogatum fuit in Neophytis confirmandis Chrisma; ita cessantibus infidelium persequutionibus alapam fuisse subrogatam. Hinc communiter eum impingi dicitur, ut sciat homo Christianus, se jam militem esse, cujus pugna, & victoria eluceat in patiendis injuriis. Deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua hujus vitæ incommoda potius, atque adeo mala multa patienter ferat; ut præterea intelligat officii sui esse in acie stare, telaque unde veniant observare: ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque lædantur, anima tamen nullo pacto offendatur. Quod si quis inquirat quænam analogia inter hæc omnia, & alapam animadvertat velim, inter cæremonias, quæ olim in solemni Equitum institutione usurpabantur, hanc etiam fuisse ut Rex, aut Imperator virum aliquem strenuum raro tunc & insigni honore, & nomine Equitis donans, alapam illi infligeret, quemadmodum dissertatione Italicarum Antiquitatum 53. monumentis, atque exemplis docet immortalis Muratorius, qui jure profana ex militia hujusmodi alapæ morem deductum, & in mili-

---

ne Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaveris, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit; confestim subjungit: *quod si ante de sæculo recesserint, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse justus,* videlicet beneficio Baptismi. Auctor constitutionum Apostolicarum libro VII. capite 22. ita constituebat: *Si neque oleum adsit, neque unguentum, sufficit aqua, & ad unctionem, & ad sigillum, pactionum.* Aquam Baptismi sufficere dicit ad salutem etiam absque Confirmatione obtinendam si Confirmatio non ex contemptu, sed propter deficientem chrismatis materiam, omissa sit. Sanctus denique Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos inquiebat: *multis in locis idem factitatum docemur ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in vinculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros, & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Ob id tantummodo, quod ab Episcopo consignati non fuissent, minime lugendos præconcipit Hieronymus eos, qui in Oppidulis, & remotioribus decesserant in locis; itaque absolutam Consignationis necessitatem non admisit.

militiam inductum Christianam subdit, idque ob similitudinem significationis, verum etiam propterea quod ante Durandum Mimatensem, qui tempore floruit, quo Equestris illa maxime vigebat cæremonia, nullus reperiri possit Scriptor, nullus liturgicus, aut Pontificalis liber, in quo alapæ Confirmatis infligendæ ritus prostet. *(a)*.

DISSERTATIO IV.
DE
AUGUSTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAPUT PRIMUM.

De hujus Sacramenti Præstantia.

1. POST Baptismum, & Confirmationem tertio numeratur loco augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod olim fideles, pro illius disciplina temporis, post sacrum lavacrum; & consignationem, statim ad divini hujus perceptionem mysterii admittebantur. Hujusmodi Sacramentum dignitate, & excellentia ceteris omnibus præstat; quum enim in aliis virtus solummodo effusi a Christo Sanguinis reperiatur, in hoc est vere & proprie totus Christus. Extat illius institutio in sacris litteris adeo aperte, & clare tradita, ut ipsi veri nominis Protestantes Eucharistiam inter propria novæ legis Sacramenta recipiendam esse unanimi consensione fateantur. Ceterum tametsi omnes sacramenti dignitatem Eucharistiæ tribuant, sunt inter eos tamen qui eam non verum continere Christi corpus, & sanguinem contendant, sed nihil aliud tandem esse, quam figuram, signum, imaginem, & repræsentationem Corporis Christi; vel nos Eucharistica symbola dum sumimus, verum etiam Christi corpus sumere concedunt, sed spiritualiter tantummodo, & per fidem. Contra eos igitur statim sit

CAPUT II.

Esse in Eucharistia verum Christi Corpus, & Sanguinem ostenditur ex sacris litteris.

2. CHristus Dominus apud Joannem VI. promittens institutionem Eucharistiæ, inquit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus &c.* Promissionem vero adimpletam legimus apud Matthæum, Marcum, & Lucam, qui cœnam Domini novissimam commemorantes, apertissime testati sunt, Dominum de eo, quod manibus tenebat, & discipulis edendum, bibendumque porrigebat, dixisse: *hoc est Corpus meum: hic est Sanguis meus*: ut nullum reliquerit dubitationi locum, præsertim cum æque referant Evangelistæ, Christum utrobique verba adjunxisse determinantia, de quo corpore, & de quo sanguine loqueretur, hæc scilicet: *quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effundetur*, articulosque non attributis modo illarum proportionum, verum etiam verbis adjunctis apposuerint, quæ sane articulorum congeminatio magnam græca in Sintaxi habet vim ad sensum loquentis, scribentisque denotandum.

3. Divus Paulus 1. ad Corinthios 10. veluti de re certissima, & confessa scribens, ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communica-*

(a) Singularis quoque apud nos est ritus Patrinorum in Confirmatione non tam ad imitationem sponsorum Baptismi a cujus collatione collatio Chrismatis Latina in Ecclesia jamdiu separata fuit indultus, quam a profana militia in Christianam translatus, quemadmodum docet Divus Thomas 3. p. q. 72. art. 10. cæteri autem hujus Sacramenti ritus atque cæremoniæ, sua se explicant decentia, opportunitate, & necessitate.

Digitized by Google

nicatio Sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? quasi diceret: ita in Ecclesia instituti estis, ut nemo vestrum hoc ignoret. Vere igitur, & realiter hoc in Sacramento participant fideles Corpus, & Sanguinem Domini; alioquin dicere Paulus debuisset: panis, quem frangimus, participatio spiritus Domini est. Eadem autem in Epistola cap. 11. repetens Apostolus hujus Sacramenti institutionem iisdem prope verbis, quibus eam describit Lucas, pro eo quod apud Lucam est: *quod pro nobis datur*; & quod in vulgata editione apud Apostolum legitur: *quod pro vobis tradetur*, juxta græcorum omnium fidem codicum habet: *quod pro vobis frangitur*. Idem igitur illud corpus, quod Lucas Christi verba referens dicit pro nobis in mortem tradendum, Paulus pro nobis frangi asseruit, quemadmodum in hunc Apostoli locum differens ratiocinatur Chrysostomus homilia 24.

4. Ex sequentibus Apostoli verbis illustrior sumitur probatio: inquit quippe: *quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini: probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quæ profecto verba minime indigent commentario, quum enim, qui indigne sumpserit Eucharistiam, declaret Apostolus obnoxium teneri injuriæ corpori, sanguinique Dominico illatæ.

5. Sunt qui verba Christi urgeant. Joannis 6. *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus &c.* quibus verbis promisisse videtur Christus institutionem Eucharistiæ. Verum ejusmodi testimonia ob varias sanctorum Patrum interpretationes, quemadmodum Tridentina Synodus sess. 21. agnoscit, tantæ non sunt, uti superiora, efficaciæ: priora illa siquidem adeo clara, & aperta sunt, ut Lutherus ipse in Epistola ad Argentinenses; atque in sermone Witembergæ habito, aliisque pluribus in locis fassus sit, nullam elabendi viam relictam esse, quin verum Christi corpus, & sanguinem in Eucharistia contineri fateamur.

6. Obj. 1. Sicuti Christus dixit: *hoc est Corpus meum*, ita dixit: *ego sum Ostium, ego sum vitis vera*. Et Apostolus 1. ad Corinth. 10. scripsit: *petra autem erat Christus;* atqui posteriora hæc verba accipi proprie non debent; ergo neque illa. Quis ignorat enim verba, *esse*, & *fieri*, non modo apud sacros, & ecclesiasticos, verum etiam apud profanos Scriptores, non tantum efficere, sed sæpenumero etiam declarare, ostendere, reddere, & exhibere nobis, esse interpretanda; quemadmodum ipsi Romanæ Ecclesiæ Doctores, ea Pauli explicant, ad Romanos I. *de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est, Filius Dei est*. Nec non illa Petri Actorum II. *Certissime sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis*. His in locis, & in aliis similibus voces esse, fieri, constitui, decerni, prædestinari, Romana Ecclesia adversus Socinianos egregie accipit de exteriori manifestatione, de significatione, de exhibitione, deque concessione Filii sui, quam nobis Deus fecit. Itaque verba etiam illa, hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, non aliam habere debent significationem, quam hæc elementa repræsentare fidelibus Corpus, & Sanguinem meum, ipsiusque Corporis, & Sanguinis mei gratiam adferunt, & facultatem.

7. Respondemus, haud negare nos quidem, esse nonnulla sacrarum literarum, quæ proprie, & literaliter accipi neque possunt, neque debent; ea scilicet, quæ si ita accipiantur vel divina lædunt attributa, vel contra morum honestatem pugnant, vel contra fidem, quemadmodum docet Div. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana. Ejusmodi profecto sunt illa Christi, & Apostoli contra allegata verba; cum enim fides nos doceat, Christum esse verum hominem, verumque humanum habere corpus, utique nec vera petra, nec vera vitis, nec verum ostium esse potuit, ideoque necesse est credere Christum, & Apostolum ea verba minus proprie usurpavisse; præsertim cum & antecedentia, & consequentia locutionibus illis verba, & exigentia loci, id planissime ostendant. Similiter cum fidei caput sit, Christum esse æternum Patris Verbum, si alicubi dicatur factus, constitutus, decretus, prædestinatus, ea nisi de exteriori manifestatione, & respectu hominum, non posse accipi, nemo non videt, omnesque Patres docuerunt; immo id græca textus verba postulant, ut docemus in Tractatu de Incarnatione. Verum ex opposito nihil horum prorsus est, quod nos moneat, ut priora illa verba: hoc est Corpus meum, propria, & usitata notione spoliemus. Quid enim in illis vel divina lædens attributa, vel contra fidem, vel contra honestos mores reperietur? nihil sane. Imo cum sacri historici utentes dictione simplici, & aperta concordibus testentur vocibus, Christum in postrema cœna Corpus dedisse suum Discipulis ad manducandum, idemque fieri a nobis jussisse in sui commemorationem, patet, tam apertam, propriamque dicendi rationem minime nostro esse arbitrio ad metaphoricum & figuratum sensum transferenda.

8. Obj. 2. Christus quum carnem suam manducandam, & potandum Sanguinem suum promisisset, quo sermone plerique auditores offensi discesse-

scederent, ut Joannis 6. legimus, dicentes: *quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum? Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* perversum eorum intellectum his correxit: *Spiritus est, qui vivificat; caro autem non prodest quidquam; verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus, & vita sunt.* Itaque de manducatione spirituali agitur, non vero de reali.

Respondemus, ex Judæorum scandalo propter Christi verba inferre imo Patres, & Theologos, Christum vera de manducatione locutum tunc fuisse. Ut quid enim Auditores Christi mirati fuissent de manducatione tantum spirituali, quam in Agno Paschali tamquam signo, & commemoratione transitus Domini, & liberationis a servitute Ægyptiorum in moribus habebant? Illud imo animadvertendum est postquam Christus dixerat: *caro non prodest quidquam; verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt;* multos adhuc tamen discipulorum abiisse retro, & jam cum illo ambulare noluisse, ut idem prosequitur Evangelista. Itaque non se correxit Christus, neque de figura Corporis, & Sanguinis doctrinam suam explicavit; sed potius juramento, & Ascensionis suæ miraculo, magis magisque mysterium confirmavit; quamvis realem manducationem, non quemadmodum alicujus fieret cadaveris, sed cum spiritu, & fide faciendam esse declaravit: ut pluribus in locis interpretatur Augustinus. Quia vero Capharnaitæ, quibuscum Christus loquebatur, rudes prorsus homines, stulte Christi verba intelligebant, carnaliter illa interpretati, arbitratique quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, quemadmodum caro in cadavere dilaniatur, vel in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur; ideoque crassum ejusmodi errorem videns Christus, respondit, ea quæ protulerat verba de manducatione spirituali esse intelligenda; in quo quidem realem manducationem non rejicit, quæ spiritualis adhuc est, si cum carnali Capharnaitarum sensu conferatur, quemadmodum tractatu 27. in Joannem, & in Psalmum scribens 98. explicat Div. Augustinus: Quæ alium sensum non haberent, quam en Corpus meum, en Sanguis meus, ut tot viri doctissimi arbitrati sunt.

9. Obj. 3. Non conveniunt inter se Romanæ Ecclesiæ Doctores in explicanda propositione, *hoc est Corpus meum*, alii quippe contendunt pronomen *hoc* denotare Corpus Christi, jam ab ipso arcana benedictione consecratum; alii tuentur pronomine hoc demonstrari panem; alii rem aliquam confuse sub speciebus Eucharisticis contentam; alii Corpus Christi, quod tunc fiat; nonnulli propositionem considerant veluti fluentem, & transitoriam; nonnulli veluti permanentem, & completam. Illud verum est, talia verba esse Sacramentalia, proindeque non esse nisi signa Corporis Christi; quum Sacramentum esse in genere signi intelligatur.

10. Respondemus, mirari nos ejusmodi sophismatibus, & ineptiis Adversarios non pudere de tam arcano, tam grandi, tam ineffabili mysterio disputare. Venia vix digni erant Veteres nonnulli, qui pro temporum vitio, in Ecclesiæ pace, & otio scholastico, tam ridiculas instituebant quæstiones in seriam & dogmaticam controversiam minime inducendas. Illi namque quocumque interpretarentur modo pronomen *hoc*, perfectissime tamen conveniebant in præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi sub Eucharisticis speciebus confitenda; fuitque ipsorum, quemadmodum & Catholicæ Ecclesiæ perpetua doctrina, verba Sacramentorum novæ Legis esse non speculativa, sed practica, & id efficere, quod significant; proindeque & verba, de quibus agimus, esse signa Corporis Christi sub speciebus Eucharisticis invisibiliter præsentis. Quid enim, si Christus vel virtute, & omnipotentia sua, vel dum *benedixit, & gratias egit*, elementa consecravisset, antequam dixisset, *hoc est Corpus meum* &c. Verum hæc intelligi melius poterunt, ubi de forma agemus hujus sacramenti, & de transubstantiatione.

11. Obj. ultimo. Christus Eucharistiam postrema in cœna instituens, de calice, quem discipulis porrigebat, inquit: *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, ut habemus apud Marcum 14. Si ergo liquor ille vinum erat, nequaquam Christi sanguis, sed tantummodo Sanguinis Christi signum erat.

12. Respondetur ea, quæ brevitatis causa compendio scripserat Marcus illustrari a D. Luca, qui res eo narrans ordine, quo gestæ sunt, ita cap. 22. quæ a Christo acta, dictaque fuerunt affert: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar; dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei; & accepto calice gratias egit, & dixit: accipite, & dividite inter vos: dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat: & accepto pane gratias egit, ac fregit, & dedit eis dicens: hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem; similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: hic est calix novum Testamento in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Quo ex testimonio, animadvertunt sacri interpretes, duplicem fuisse calicem, & duplex poculum pro veteri more Judæorum Paschali in cœna a Christo etiam usurpatum. Utroque poculo in orbem bibebatur, adeo ut priore, quod poculum erat benedictionis paschalem auspicarentur cœnam; posteriore, quod erat poculum gratiarum actionis, eam clauderent. Primo igitur calice sumpto, deque priore poculo dixit Christus non bibiturum se amplius in terra sicut fecerat, neque de Paschali,

Digitized by Google

schali agno comesturum, donec ingressus Cælum foret, spirituale atque æternum celebraturus cum discipulis convivium: postremum vero calicem, absoluta cœna consecravit; ideoque poculum, quod statim ac discubuit, generationem vitis Christus appellavit, sane diversum a calice fuit, & poculo, & vino peracta cœna, Sanguine Christi facto, & consecrato: quamvis hoc quoque generatio vitis dici jure potuisset, tum quod ejusmodi fuerat antequam consecraretur; tum etiam quod vini speciem, consecratione peracta, retinuerat (*a*).

13. Verum apud Matth. 24. Dominus fideles præmunire pergebat contra proxime futuros seductores, quorum quisque se verum esse vel Messiam, vel Doctorem erat jactaturus, uti illius capitis contextus facile ostendit: inquiebat quippe: *multi venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos seducent, & multi Pseudo-Prophetæ surgent, & seducent multos*, quemadmodum eventus revera confirmavit. Non ergo tunc in Eucharistia se futurum negabat Christus, qui adjecto in objectione loco, non de quacumque præsentia sua corporali loquebatur; nam & post resurrectionem suam, etsi discipulis corpore præsentem se exhiberet, quoniam tamen non ita tunc illis erat præsens, sicut antea fuerat, hinc præsentem se negat, cum ait Lucæ ultimo: *hæc locutus sum, quum adhuc essem vobiscum*. Loquebatur ergo Dominus ea de præsentia, qua tamquam homo humanis necessitatibus obnoxius familiarem cum hominibus habet conversationem, & ab iis humanæ ministerio necessitatis suscipiebat, quo certe modo Christus nobis in Eucharistia præsens non est.

14. Quia vero semper sedet in Cælis ad dexteram Patris Christus, ideo sursum erigenda esse ad illum corda docebat Colossenses Paulus; quo terrenis contemptis rebus, ad cælestia tenderent, ac properarent. Non enim ante altare, & Eucharistiam semper sumus, ut in ea Christus adoremus, quem tamen in Cælis esse semper intelligimus, unde illuc affectus nostros dirigere quocumque instanti valeamus.

CAPUT III.

In Eucharistia verum esse Christi Corpus, & Sanguinem ex Sanctis Patribus ostenditur.

15. Infiniti essemus si vel partem testimoniorum, quæ ex Patribus adduci solent, ac possunt, exscriberemus. Speciminis loco sit Sanctus Ambrosius de iis, qui initiantur, cap. 9. habet: *præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est*: S. Hieronymus in Epistola ad Hedibiam scripsit: *Dominus Jesus ipse conviva, & convivium, ipse comedens, & qui comeditur*: S. Augustinus in Psalmum 98. scribit: *Christus de carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis ad manducandum dedit ad salutem*. Sancti Gregorii apud Paulum Diaconum, in ejus vita, verba sunt: *Conditor noster ea præstare, qua ex nihilo cuncta creavit, panem, & vinum in suam carnem, & Sanguinem suum convertit*. Chrysostomus Hom. 29. in pr. ad Corinth. ait: *Corpus Christi jacens in Præsepi reveriti sunt Magi, multoque cum metu & tremore adoraverunt: tu autem non in Præsepi vides, sed in altari; non fœminam eum tenentem, sed Sacerdotem adstantem*. Jacobus Episcopus Emisenus; Scriptor Syrus a Cardinali Antonello nuper editus, ita sermone II. de Christo inquit: *Dominus noster manibus suis dedit Corpus suum in cibum; & quum non adhuc esset crucifixus, dedit Sanguinem suum in potum*. Innumera ejusmodi prostant apud vulgatissimos Scriptores, quorum aliqua adducemus in loco.

16. Certum est passim, eos docere, Corpus, & Sanguinem Christi contineri in Eucharistia: & sæpe numero addere pronomen *ipsum*, dicentes in ea esse *ipsum* Christi Corpus, in quo maxime excluditur sensus figuratus, quasi dicerent, se non de typico loqui, sed de vero ac reali corpore; sæpe etiam sæpius utuntur adverbio vere, quod maxime realem denotat præsentiam: quis enim dixerit, petram fuisse *vere* Christum, Imaginem Alexandri esse *vere* Alexandrum? Frequentissime conceptis negant verbis Corpus Christi in Eucharistia esse typicum, & symbolicum, docentque de veritate Corporis, & Sanguinis Christi neminem posse dubitare. (*b*)

17. Ar-

(*a*) Sunt qui post cænam typicam, continuo, mensis non sublatis sacram cænam Christum instituisse arbitrantur. Lucas enim dicit, Christum poculum sumpsisse *postquam cœnasset*; cum quo consentit Paulus in 1. ad Corinthios Cap. XI. & Joannes, qui a cæna mystica facta, scribit Christum surrexisse, lavisse pedes Discipulorum; & postquam lavisset, & sua vestimenta recepisset, rursum discubuisse, ad Eucharisticam cænam instituendam: quare calix a Christo consecratus, diversissimus ab eo fuerit, de quo se non amplius bibiturum affirmavit. Qua de re legendus Blasius Ugolinus in Dissert. de Ritibus in cæna Domini ex antiquitatibus Paschalibus illustratis, quæ extat Tomo XVII. Thesauri antiquitatum sacrarum.

(*b*) Notissimis prope infinitis cæterorum Patrum dictis

Digitized by Google

17. Argumentis ex ratiocinio, & ex ratione derivatis occurrunt, ad miraculum, & divinam ad omnipotentiam confugientes, ut quemadmodum verbo potuit mundum facere ex nihilo, Moysisque ministerio virgam in serpentem, & limpidas fluminis undas in sanguinem mutare, ex aqua denique vinum facere in nuptiis Canæ Galileæ, ita ex pane & vino Corpus Christi & Sanguinem efficere. Ajunt, Corpus Christi confici & contrectari a Sacerdotibus, poni super Altare, & manducari; ipsum in Eucharistia aperte adorari; de præsentia demum Christi in Eucharistia loquuntur de stupendo veluti & ineffabili mysterio, illudque habent tamquam maximum divinæ in nos beneficentiæ portentum; excitant fideles ad rem tantam non sensibus & philosophia, sed religione & fide metiendam; atqui si Eucharistia merum esset Corporis, & Sanguinis Christi signum, nil tale prorsus Patres protulissent; itaque pro Patrum doctrina & mente verum & proprium in Eucharistia est Christi Corpus, verus Sanguis, non nuda Corporis ejus, & Sanguinis imago, & figura.

18. Obj. 1. Si Patres realem præsentiam prædicassent, gravissima æque tentassent solvere objecta, quæ uniuscujusque menti statim plurima occurrunt: sed hoc non præstitere; ergo &c.

19. Resp. Omnes Patres de Eucharistia locutos eas difficultates prævidisse, simulque ad miraculum confugiendum esse docuisse, divinam ad voluntatem, divinamque ad omnipotentiam, ut quemadmodum verbo potuit mundum facere ex nihilo, & ministerio Moysis virgam in serpentem, & limpidas fluminis undas in sanguinem mutare, ex aqua denique vinum facere in Cana Galilæa, ita ex pane & vino Corpus Christi, & Sanguinem efficere. D. Irenæus lib. 6. cap. 11. inquiebat de Christo: „ Eum Sanguinem, qui „ est a creatura, proprium Sanguinem confessus „ est, & eum panem, qui est a creatura, pro„ prium corpus *confirmavit*, id est asseveravit, „ certiores nos fecit. " Qua quidem loquendi ratione perspicue indicat Irenæus rem creditu difficillimam, quæque fidem non haberet, nisi Christus ipsa veritas omnem dubitationis locum clare & aperte loquendo præcideret. Pariter Cyrillus Jerosolymitanus Catechef. 4. mystagogica inquit: *Quum* igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane „ Hoc est Corpus meum, „ quis deinceps audeat dubitare? eodemque con„ firmante: hic est Sanguis meus, quis du„ bitet, & dicat non esse illius Sanguinem. „ Div. Ambrosius in lib. de iis, qui initian„ tur cap. 9. dixit: *ordinem* naturæ non hic in„ tuendum, sed Christi potentia venerandam, „ quidquid vult, quomodo vult, in quodcum„ que vult, & creat, quod non erat, & crea„ tum permutat in id, quod antea non *fue„ rat*. " Chrysostomus hom. 83. in Matth. hæc habet: „ *Credamus* itaque ubique Deo, nec re„ pugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi „ nostræ absurdum videatur quod dicit: Nam „ verbis ejus defraudari non possumus, sensus „ vero noster deceptu facillimus est, illa falsa „ esse non possunt, hic sæpius atque sæpius: ille „ dicit hoc est Corpus meum, nulla teneamur „ ambiguitate, sed credamus & oculis intelle„ ctus id *perspiciamus*. " Porro nisi verba Christi ad litteram intelligenda esse existimassent Patres, nulla erat ratio, cur difficultatibus, & dubitationibus cunctis opposuissent ea ipsa verba, unde difficultates, & dubitationes ortæ erant: neque nodos solvissent dicendo Christum asseverasse, confessum esse, confirmasse, certiores nos fecisse panem esse verum corpus, & vinum esse verum proprium Sanguinem in Eucharistia: numquid enim dixere aliquando Patres petram deserti verum esse Christum, propterea quod sic dixerit Spiritus Sanctus? minime sane, sed figuram illius propositionis explicavere. Itaque sicut ubi de Eucharistia agitur, ad figuram non confugiunt, quo difficultates solvant, imo figuram, & significationem mysticam rejiciunt, sed ad Dei potentiam, ad veracitatem Christi, ad virtutem fidei, quo credatur mysterium confugiunt, patet in errore versari adversarios, qui controversiam ejusmodi a Patribus prætermissam præconcipiunt.

20. Obj. 2. Patres sæpenumero Eucharistiam esse panem dixere, panem Dominicum, panem Sanctum; ergo &c.

21. Respondemus nihil esse difficultatis in hujusmodi Patrum locutionibus. Idoneas enim ejusmodi appellationum rationes adducit Lanfrancus in lib. de Sacramento Eucharistiæ cap. 20. scribens: *Corpus Christi vocatur panis vel quia ex pane conficitur, vel quia videntium oculis, cum caro sit, panis videtur, sive quod corporali, & visibili pani similitudine quadam conjungitur. Nam sicut iste materialis panis discrete sumptus humanam carnem nutrit, & sustentat, sic spirituale & invisibile Corpus Christi animam digne sumentis alit, & vegetat.* Nonne Christus ipse Joannis 6. dixit: *Ego sum panis*

---

dictis addemus heic Jacobum Episcopum, Scriptorem Syrum, paucos ante annos primum a Cardinali Antonello editum. Ille sermone 11. de Christo, pag. 312. loquens de Paschate habet: *A loco illo ubi fecit Pascha, & dedit corpus suum, ut manducarent, & sanguinem, ut biberent, abiit, & eo profectus est cum Discipulis suis, ubi experunt eum. Quum ergo manducatum fuit corpus ejus, & bibitus ejus sanguis, reputatus est esse cum mortuis. Nam Dominus noster manibus suis dedit corpus suum in cibum, & quum non adhuc esset crucifixus, dedit sanguinem suum in potum.*

nis vivus, qui de cælo descendi? nonne dixit: *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita?* Nonne panem cælestem, panem vitæ, panem Sanctum, panem Angelorum, quotidie nos Eucharistiam, qui præsentiam credimus realem, appellamus? Adeo autem verum est ex illis dicendi modis inferri non debere Patres de reali præsentia dubitasse, ut non aliter locuti sint Scriptores Ecclesiastici, & Orthodoxi post nonum sæculum, ac temporibus secutis, quibus, ut adversarii facile concedunt, realis præsentia credita est Catholica in Ecclesia, quæ Eucharistiam canit esse panem Angelorum, & in liturgia post consecrationem appellat id, quod esse credit Corpus Christi, panem Sanctum. Pluribus sane donatum semper fuit nominibus mirabile hoc Eucharistiæ Sacramentum. Corpus Christi dictum est fractio panis, mensa Dominica, panis Domini, panis cælestis, panis Angelorum, communio, pax, gratia, pascha, sacrificium, oblatio, cœna Domini, sacra synaxis, Sacramentum altaris, viaticum, mysterium ob diversos, quos habet respectus, qui tametsi realem non demnent præsentiam, eam non excludunt tamen, sed imo præoccupiunt.

22. Obj. 3. Patres dicunt Eucharistiam esse figuram, symbolum, signum, typum, antitypum Corporis Christi, imaginem, memoriam, vocat eam Corpus Christi typicum, & symbolicum, dicunt illud in Sacramento immolari, sicuti dicitur die Paschatis resurgere, scilicet ob rei similitudinem, & recordationem: dicunt denique nos illud per fidem manducare.

23. Resp. Concedere nos quidem, Patres ejusmodi usos fuisse locutionibus quin realem inficiarentur Christi in Sacramento Eucharistico præsentiam. Potest enim diversis sub respectu considerari Eucharistia; tum scilicet ineffabile mysterium continens Christi Corpus & Sanguinem; tum etiam secundum quod Christi Corpus Sacramentale distinguitur juxta diversum existendi modum a naturali, quod olim adspectabile & manifestum erat, ex opposito occultum est in Sacramento: spectatur etiam Eucharistia ut figura, & commemoratio Dominicæ Passionis; spectatur ut symbolum Corporis Christi Mystici, scilicet Ecclesiæ; consideratur respectu figurarum, quæ eam veteri Testamento præcesserunt; respectu cruenti in cruce Christi sacrificii, respectu futuræ in cælis Corporis Christi visionis, nostræque immortalitatis, atque gloriæ. Juxta varias ejusmodi considerationes diversus est et am apud Patres sensus, vocum typus, antitypus, figura, symbolum, & signum: quia profecto considerata Eucharistia secundum quod est unum per se compositum ex visibilibus speciebus & invisibili Christi Corpore, hoc ipsa quidem continet, sed sub figura positum, & sub speciebus Eucharisticis velatum, continet, inquam, verum Christi Corpus, sed etiam signum & figura est Corporis Christi in cruce olim pendentis, & sedentis in cælis; symbolum est Corporis Christi mystici, videlicet Ecclesiæ, quemadmodum monebat Paulus 1. ad Corinth. 10. *unus panis, unum corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane participamus;* sic denique antitypus agni Paschalis, cæterarumque figurarum, quæ tam grande mysterium olim præsignabant. Sicut autem ex quo Patres Eucharistiam aliquando sub aliquo respectu prædicaverint, nemo inferet ab ipsis respectus fuisse cæteros rejectos; quum, ut inquiunt Dialectici, abstraentium non sit mendacium; ita neque ab ipsis rejectam quis dixerit realem Christi Corporis præsentiam, quam tot in locis, totque celebravere testimoniis, & scriptis. Si enim objecti illi dicendi modi in auctoribus sæculi IX. & sequentium, idoneum non præbent adversariis argumentum, quare præsentiam realem ab istis minime creditam fuisse consequantur, non est cur propterea de Patribus id pergant suspicari.

24. Deinde animadvertendum est Eucharistiam esse Sacramentum Corporis Christi, quod fuit affixum cruci, & mactatum pro nobis; proindeque Christi Corpus prout in Eucharistia existit, aliqua ratione diversum est ab eodem corpore secundum quod fuit cruci affixum, & ab eodem Sanguine secundum quod fuit effusus in cruce. Sacramentum igitur Eucharistiæ, quatenus Sacramentum est, recte appellatum fuit a Patribus, memoria, imago, similitudo, figura Christi Corporis, sed Corporis Christi, morientis, & crucifixi, sanguinemque in salutem hominum effundentis, ac propterea impositum est Sacramento nomen Corporis Christi morientis, & Sanguinem effudentis, quamvis in Eucharistia nec Sanguinem effundat, nec moriatur; quia sicut nostri dies Paschatis, dies mortis, dies resurrectionis Christi non sunt revera dies quibus aut Christus Pascha condat, aut moriatur, aut resurgat, sed tantum dies commemorationis, & repræsentationis talium mysteriorum; ita Eucharistia, quatenus Sacramentum est, non est nisi commemoratio, & repræsentatio sacrificii crucis, & mortis Christi. Verum sicut ex quo sit sacrificium modo commemorativum, & repræsentativum mortis Christi, non fit, ut revera non sit verum, & proprium Sacrificium incruentum, repetitivum sacrificii cœnæ; ita ex quo sit memoria tantum, & imago, & figura, & similitudo Corporis Christi patientis, & Sanguinem effundentis, non impedit, quin ipsum Christi Corpus jam gloriosum in cælo, etiam Eucharistia modo spirituali, & sensibus minime subjecto reproducatur. Respectu igitur corporis morientis, & Sanguinis effusi, Eucharistia imago, figura, & similitudo est; respectu corporis gloriosi, & spirituali modo existentis, Eucharistia res ipsa est, ipsum nempe gloriosum Christi Corpus Eucharisticis sub speciebus realiter existens, quemadmo-

admodum Patres omnes apertissime docent, & fatentur. Utique non semel iidem affirmant manducari a nobis Christi Corpus, & bibi Sanguinem per fidem; sed quare obsecro? certe quia mysterium est objectum fidei nostræ; quia Corpus Christi non videtur in Eucharistia, nisi oculo fidei; qui cum fide & sanctitate sumptum præstat spiritualem animæ nutritionem. Quemadmodum autem visio non facit objectum visus, sed illud supponit; ita fides non efficit, & constituit, sed supponit objectum, quod credit. Et quemadmodum artifex non efficit materiam, sed circa illam operatur; ita fides non efficit mysterium realis præsentiæ, aut Trinitatis, aut Incarnationis, sed circa ejusmodi mysteria operatur, intellectum sensumque captivando, in obsequium eorum, quæ supra naturam a seipso fieri Deus tradidit, & statuit.

25. Distinguebant etiam Patres in Eucharistia duplex Christi Corpus, veluti internum, & externum. Internum dicebant esse illud idem quod ex Virgine natum est, externum appellabant species sacramentales; quippe quod sacramenta habere soleant nomina earum rerum, quarum sacramenta sunt. Hoc igitur externum Eucharisticum Christi Corpus dicebant aliquando Patres ex se non sacrificare; externo ipso corpore dicebant carnem nostram pasci; hoc denique externum corpus dicebant typum, imaginem, signum Corporis Christi veri, sub illa tamen imagine, & typo, & signo interius realiter contenti.

26. Utique non semel affirmant Patres, manducari a nobis Christi carnem spiritualiter, & per fidem; sed tunc de objecto, & effectu fidei loquuntur, non de ipsius operatione respectu sacramenti; quia scilicet ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit. Enim vero, nisi cum fide, & charitate ad hoc mysterium accedamus, ipsa caro Christi occulta non prodest quidquam; spiritus est qui vivificat, sicut aqua in Baptismate nihil prodest, si adultus eo initiatus non credat, sibique persuadeat, ejusdem virtute ipsum sibi æternam comparare vitam posse. Et quemadmodum artifex non efficit materiam, sed circa ipsam operatur; ita fides non efficit præsentiam Christi, non efficit in se ipso mysterium; sicut nec efficit Trinitatem, aut Incarnationem; sed circa hæc mysteria operatur, ea credendo, illisque assentiendo, & intellectum captivando in obsequium eorum, quæ supra naturam a se ipso fieri Deus tradidit, & statuit. Sed ideo est id primum, quia Eucharistia pascit animam spirituali gratia, & continens Christum est cibus spiritualis, & vivificus, ut ait Chrysostomus homil. 87. in Matthæum. Deinde quia non videtur oculis corporeis, sed mentis, atque spiritus, ut inquit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi quinta ex mystagogicis. Rursus quia non simplex hominis caro est, sed Dei, ut in cap. 26. Matthæi explicat Teophilactus. Insuper quia præbet nobis poculum sanguinis, qui a petra fluxit spirituali, ut libro 4. in Joannem scribit Cyrillus Alexandrinus. Tandem quia nisi accedas cum fide, & gratia sanctificante, quamvis recipias sacramentum visibile, nullum tamen recipis fructum, sed animæ potius detrimentum. Ille igitur spiritualiter manducat, qui credens invisibilia dijudicat, & dignus accedit, & spiritualis communio si non excludit sensibile Sacramentum, excludit multo minus Corpus Dominicum invisibile, vivificum, immortale. Quod si obscurius aliquando locuti sint Patres, id ex arcani disciplina factum est, ut mysteria gentilibus, & Catechumenis occultarentur; qua de re dicemus in loco.

CAPUT IV.

Illustratur antecedens argumentum.

27. TAnta est nubes testium, quam Orthodoxi ducentis ab hinc annis pro Catholico dogmate in medium protulere, ut nuperi Adversarii a priorum errore Protestantium recedere videantur, qui dicebant nempe, doctrinam præsentiæ realis in Eucharistia a quæstionibus iconoclasticis initium habuisse, vel a Paschasio Radberto, aut a Lateranensibus Conciliis (a). Itaque ex hodiernis Calvinianis aliqui fatentur, Patrum

(a) Sanct. Evremundus Tomo operum variorum 4. in Epistola ad Justellum scribit, Patrum plurimos revera præsentiam realem in Eucharistia admisisse; alios tamen, præcipueque illos, qui in regionibus degebant, ubi frequens erat figuratus dicendi modus, solam visos admittere imaginem, & figuram. Quod ex controversia inter Arnaldum, & Claudium confirmare se posse contendit, quod prior reali præsentiæ vindicandæ talia proferat in medium Patrum testimonia, quæ nulla arte, nulla ingenii vi trahi ad figuram possint; pariterque ejus opinione explicari opposita non valeant ab adversario adducta. Consenserat olim hanc in imaginationem Bellius, quamvis demum literariis in excerptis anni 1687. scripserit nullam magis ex eorum, quæ Patres docuere complexione, quam hypothesim emergere Augustanam, quo cogitandi, dicendique modo jam duo hi scriptores, quorum alter tolerans, & indifferens erat, alter Calvinianus, confessi demum sunt vel omnes, vel maximam Patrum partem reali pro præsentia stetisse. Christophorus Matthæus Pfaffius Luteranorum, ut inquiunt, doctissimus in Dissertatione de oblatione, & consecratione veterum Eucharistica, præsentiam non modo realem ab omnibus prædicatam Patribus fatetur, verum etiam & transubstantiationem, & reliqua omnia a nobis Orthodoxis præconcepta. Quo idem tamen omnibus verificetur sectis, addit, Patres ante-

O 2 te-

Patrum plurimos præsentiam realem in Eucharistia revera admisisse, quamvis simul velint, alios Patres, præsertim illos, qui in regionibus degebant, ubi frequens erat figuratus dicendi modus, solam visos admittere imaginem, & figuram. Alii fatentur realem præsentiam a Patrum plurimis admissam, simul tamen cum pane, & vino in Eucharistia relinqui. Alii demum non modo realem præsentiam fuisse prædicatam a Patribus contendunt, verum etiam, & transsubstantiationem, & reliqua omnia ab Orthodoxis præconcepta: adeo tamen ut iidem Patres, ante motas de hoc mysterio controversias, plurimum variaverint; unusque & idem Pater, modo imaginem, & figuram, modo realem præsentiam, modo unionem Corporis, & Sanguinis Christi cum elementis, modo transsubstantiationem docuerit, atque prædicaverit, juxta materiæ, ut dicitur, exigentiam, juxtaque probabiliorem, quæ ipsi diverso tempore scribenti heic & nunc, objiciebatur opinionem.

28. Sunt hæc sane interpretationum monstra, & portenta a candore, religione, & sapientia Patrum quam maxime aliena. Verum Catholicam in rem inferre quisque statim potest, quam varii sint in origine dogmatis figenda adversarii, quantumque posteriores a quibus diversi.

29. Consideranda quoque ratio dicendi Patrum, eorumque phrasis, & scopus, & controversiæ in qua versabantur, status. Ut exemplo id aliquo illustremus, observare juvat. Origenes in cap. XV. Matthæi, ait Eucharistiam esse Corpus Christi *typicum*, & *symbolicum*. Verum animadvertendum est eumdem Scriptorem appellare Presbyteros symbolice monogamos. Pontificem summum Judæorum, symbolicum Pontificem; sacrificia Judæorum, symbolica sacrificia; quum tamen veri monogami Presbyteri illi essent, veri Pontifices, vera sacrificia. Mens igitur ipsius erat, Corpus Christi esse sub typis, & sub symbolis panis, & vini; quæ etiam symbola dicebantur aliquando Corpus, & Sanguis Christi, propterea quod Corpus, & sanguinem Christi continerent. Similiter id, quod nos vocamus species, accidentia, veteres figuram, symbolum, signum, imaginem Christi appellabant, quin veram excluderent præsentiam. Aliqui fuere etiam inter veteres, & præsertim Tertullianus, qui dixere Eucharistiam repræsentare Christi corpus, & Sanguinem: hinc exultavere Calviniani, veluti Patres illi realem præsentiam negavissent; quum ex opposito, pro illorum phrasi temporum, nullo uti potuissent opportuno magis verbo veteres ad eam clarius docendam. Siquidem vis hujus vocis repræsentare apud probatissimos scriptores olim omnino erat rem revera exhibere, & facere præsentem, præsertim si antea promissa, aut prædicta fuisset futura, aut desiderata. Sic Cicero Philip. 2. „ Ego corpus libenter obtulerim, „ si repræsentari morte mea libertas Civitatis „ posset, " id est recuperari, sive præsens fieri: & Epist. 16. lib. 5. „ inter familiares non debe„ mus expectare temporis medicinam, quam re„ præsentare ratione possimus. " Svetonius in vita Augusti cap. ultimo „ Legavit cohortibus „ urbanis quingenos, legionariis tricenos num„ mos, quam summam repræsentari jussit. " id est statim dari. Crispus lib. 6. cap. 23. *repræsentare consilium* scripsit, hoc est illud effectum dare, ut explicat Gronovius, quod pluribus exemplis confirmat. Et lib. 10. cap. 15. idem rursus habet: *Ceperat Alexander esse præceps ad repræsentanda supplicia*, hoc est exaranda, ut adnotant Interpretes. Familiarissima imo est vox illa jurisconsultis, qui repræsentare pecuniam dicunt, hoc est præsentem exhibere, ad pœnam se re-

---

te motas hoc de Sacramento controversias plurimum variasse, unumque & eumdem Patrem, scilicet Tertullianum, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, modo imaginem, & figuram, modo realem præsentiam, modo unionem, modo transsubstantiationem Eucharistico in Sacramento admisisse juxta probabiliorem, quæ ipsis diverso tempore scribentibus hic & nunc objiciebatur, opinionem. Qua profecto in re injuriosior, quam cæteri Patribus est hic scriptor; quum priores illi nonnullos Patres unam ad opinionem semper inclinasse saltem dicant, ceteros ad aliam; nunquam tamen unum eumdemque de re tam gravi, tam necessaria, tamque sublimi differentem in sexcentas & oppositas se vertisse formas; quod sane quantum a Patrum candore, religione, & sapientia alienum fuerit, nemo non videt. Porro uti Patrum, ita & Scripturarum phrases sunt, quæ exponi non semel, atque explicari indigent, & in concordiam adduci, neque inde tamen Christianorum aliquis suspicabitur, scriptores divinitus afflatos in docendis, vel narrandis rebus variasse. Si qua est apparens in Patrum dictis varietas, procedit vel ex eo quod diversis in locis Eucharistiam diversis sub respectibus consideraverint; vel ex disciplina arcani, quam in sermonibus, præsertim ad populum observabant; vel ex eorum dicendi ratione, & phrasi, & scopo, vel ex controversiæ, in qua versabantur, statu. Ut exemplo id aliquo illustremus, observare juvat, veteres nonnullos, præsertim Tertullianum, etiamsi pluribus in locis apertissime dixerint de veritate, & realitate Corporis, & sanguinis Domini in Eucharistia, aliquando adhuc scripsisse, eam Corpus, & Sanguinem Domini repræsentare. Exultavere hinc Calviniani, veluti Patres in hujus fidei dogmatis saltim variassent. Perperam omnino tamen, quum ex opposito, pro illorum phrasi temporum, nullo Veteres uti potuerint opportuno magis verbo ad præsentiam realem clarius docendam.

Digitized by Google

se repræsentare, id est præsentem sistere ad pœnam. Sed jam audiamus Tertullianum, qui capite apologetici 48. de postremo judicio loquens, & resurrectione, ait: *ideoque repræsentabuntur & corpora, id est in corporibus resurgemus*; & lib. de pudicitia cap. 11. ait: „ *Nemo* Christianus ante Christum Cælo receptum, nemo sanctus ante Spiritum sanctum de Cælo *repræsentatum*, id est antequam venisset Spiritus sanctus. Rursus in lib. de patientia cap. 5. ita patientiam Christi celebrat: " *Non illi saltem* Civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus est, quum etiam discipuli tam contumelioso oppido cælestes ignes *repræsentari voluissent*: „ Lib. 4. contra Marcionem cap. 12. de miraculo agens a Christo Sabbati die perpetrato inquit: " *Nam* & hic spiritualem medicinæ prophetiam *repræsentavit*. „ Rursus cap. 19. " *Statim* se illum repræsentare gestivit, quem demonstraverat per *Isaiam*. „ Denique cap. 20. de voce Patris in monte Tabor: „ *Itaque* jam repræsentans eum, hic est Filius meus, & cap. 35. inquit, *Apostolos* consecutos repræsentationem eorum, quæ prædicaverant *Prophetæ*. Sane Tertullianus in libro de spectaculis animos erigendos docens ad futurum Christi adventum, & judicium, inquit: „ *Hæc jam* per fidem habemus quodammodo spiritu imaginante repræsentata. " Nonne vides ipsum absentes res dicere quodammodo spiritu imaginante repræsentari? Itaque dum aliquid repræsentari tantum, & simpliciter scribit, denotare vult illud revera præsens fieri, exhiberi, adesse, non vero per solam imaginationem, & fidem. Alios Patrum dicendi modos, qui in controversiam venire solent, explicatos habes omnes tomo 10. parte 2. Thesauri theologici Venetiis nuperrime vulgati.

30. Primum proferunt argumentum ex controversia inter Irenæum & Valentinianos, Tertullianum & Marcionem; quum enim Valentiniani, & Marcion negarent, Deum Patrem Domini nostri res corporeas condidisse, Irenæus, & Tertullianus ex Eucharistia illos oppugnavere, prior libro contra hæreses 4. cap. 24. alter libro contra Marcionem 1. cap. 14 de Christo scribens: *Nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis, ac lactis societatem, qua suos infantat, nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat*. Animadvertunt igitur adversarii, vim hujus argumenti in eo sitam esse, aquam, panem, oleum, & cetera corporea non esse mala, immo fuisse a Deo Patre Domini Jesu condita, quia iis usus est Christus in sacramentis suis; præsertim cum panem Christus in Eucharistia obtulerit, qui offerri nec potuisset Deo, si ab eo creatus non fuisset. Itaque pro ejusmodi Patrum instituto, scopo & mente panis solus in Eucharistia esse debet, & solus panis offertur, solus in administratione sacramenti usurpatur, quemadmodum aqua, lac, & mel in Baptismo, oleum in Confirmatione &c., si enim in Eucharistia non amplius panem remanere præconceptum hi Patres habuissent, Valentinianorum, & Marcionis causæ potius favissent; quippe inferre isti potuissent, ideo panem in Eucharistia annihilari, quia a Deo Patre non est: suum imo confirmare de carne phantastica Christi errorem, quasi sicut in Sacramento sunt apparentiæ panis, neque tamen vera panis substantia est: ita in Christo fuerit apparentia quidem carnis, non tamen vera caro, id ne inferrent Valentiniani, Manichæi, & Marcionitæ debebant velle Patres substantiam panis tamquam figuram Christi remanere in Sacramento, atque offerri? Revera nil clarius Tertulliani verbis libro adversus hæreticum eumdem 4. ubi de Christo scribit: *acceptum panem, & distributum Discipulis, corpus suum illud fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est figura corporis mei*; quo cum constat Augustinus libro contra Adimantum Manichæum cap. 12. his verbis: *non dubitavit Dominus dicere: hoc est Corpus meum, quum signum daret corporis sui*. Ergo &c.

31. Respondemus primum ex Valentinianorum hæresi vehementissime dogma Catholicum confirmari. Nam Valentiniani Eucharistiam sicut nos, Irenæo teste, celebrabant, & offerebant, sed numquam obtulissent nudum panem, & vinum, utpote res eorum opinione malas, & a Patre Domini minime profectas. Itaque ex Ecclesiæ doctrina, unde discesserant præconcipiebant, post consecrationem neque panem, neque vinum in Eucharistia remanere, sed solum Christi Corpus.

32. Animadvertendum deinde est, objectionem non militare contra præsentiam realem, sed potius, contra transubstantiationem, quam propugnabimus in loco; Lutherani quippe qui nudum panem, & vinum equidem in sensu objectionis fuisse a Veteribus oblata ante consecrationem Eucharisticam contendunt, realem adhuc præsentiam constantissime admittunt. Vis autem argumenti Irenæi, & Tertulliani erat, Christum assumpsisse panem, & vinum, ut ipsis suum Corpus, & Sanguinem efficeret, quod minime evenisset, si panis, & vinum a Patre Domini creata non fuissent. Neque vacat objicere, in Baptismo non haberi nisi aquam, in Confirmatione nisi oleum &c. nam de aqua, lacte, melle, & oleo &c. numquam dixit Christus: *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*; quæ repræsentare quidem dixit Tertullianus Corpus, & Sanguinem Christi, sed illo dicendi modo significare profecto voluit, præsentem exhibere, ac efficere, quemadmodum ex aliis patet illius locis libro præsertim adversus Marcionem eumdem 4. cap. 22. ubi dixit Deum Patrem *repræsentasse*, hoc est præsentem vere effecisse filium suum in monte Tabor. Est enim Jurisconsultis familiarissima hæc phrasis, qui repræsentare pecuniam dicunt, hoc est præsentem numerare; repræsentare se

re se

re se ad panem, hoc est se præsentem sistere ad panem.

Nemo autem ignorare potest, phrasibus forensibus esse refertum Tertulliani textum, atque hic ut alios omittamus, eadem voce usus est Sanctus Hieronymus in suis ad cap. 26. Matthæi commentariis, ubi inquit: *Christum veritatem sui Corporis, & Sanguinis repræsentasse:* non ne in publica pro defunctis liturgia orat Ecclesia, ut *S. Michael eorum animas repræsentet*, hoc est præsentes efficiat in lucem Sanctam? ex quo autem præconceptum habuissent Irenæus, & Tertullianus, non permanere in Eucharistia substantias panis, & vini, sed solas eorum apparentias, perperam Valentiniani, Manichæi, & Marcionitæ intulissent, aut substantias illas annihilari, quia malas, aut Christo æque solam carnis apparentiam, non veram fuisse carnem: quare id vero? quia hi duo errores Scripturis apponuntur, & nimium infelix esset conditio veritatum, si præconcipi, & urgeri non possent, quod illis soleant abuti Hæretici. Utique Tertullianus Eucharistiam appellavit figuram Corporis Christi, & ex figura ejusmodi adversus Marcionem evincere pergebat veram fuisse Christi carnem, quia tanquam principium volebat Tertullianus phantasmatis dari figuram non posse, & figuram corporis esse veri corporis indicium. At cujusnam corporis? Illius profecto, quod olim natum ex Virgine, passum, crucifixum &c. fuerat, de cujus corporis veritate erat cum Valentinianis, & Marcione controversia, illius corporis in statu olim naturali existentis, passi, crucifixi &c. Eucharistia, ut diximus, signum, & figura revera est, ex quo tamen haud sequitur verum Christi Corpus impassibile, & immortale tali sub figura modo Sacramentali non existere. Porro jam diximus duplicem esse Christi manducationem, unam spiritualem, de qua agitur Evangelio Joannis cap. 6. alteram realem, quæ describitur Matthæi XXVI. & Epistola 1. Pauli ad Corinthios 2. Siquidem figurarum genera sunt duo aliæ ad defectum præsentiæ, aliæ ad supplendum apparentiæ defectum. Primi generis erant in legi veteri Agnus Paschalis, manna, panes propositionis, omnia Hebræorum sacrificia. Secundi generis fuit columba in Baptismo Christi, igneæ linguæ die Pentecostes sacro, humana species aliquando ab Angelis assumpta. Figuræ primi generis vacuæ, & inanes sunt, & significatas res excludunt; alterius generis figuræ plenæ sunt, atque eas includunt. Primi generis præsentiam rerum, quas repræsentant, supplent; alterius præsentiam quidem, sed occultarum supplent rerum apparentiam. Ejusmodi autem est Eucharistia, in qua spirituali & inconspicuo modo Christus est. Tertull. libro contra Marcionem IV. cap. 6. *Ceterum*, Christum esse Creatoris pronunciandum, si administraverit dispositiones ejus, si impleverit Prophetias ejus, si adjuverit leges ejus si repræsentaverit promissiones ejus, si restauraverit virtutes ejus, si sententias reformaverit, si mores, si proprietates expresserit. Et cap. 12. de miraculo agens a Christo sabbati die perpetrato: nam & hic specialis medicinæ Prophetiam repræsentat. Rursus habes nominis repræsentationem, habes actum evangelizantis, habes locum montis, & tempus noctis, & sonum vocis, & auditum pacis, habes Christum Prophetarum. Iterum cap. IX. Igitur qui a consolatione pauperum, & humilium, & esurientium, & flentium exorsus est, statim se illum repræsentare gestivit, quem demonstraverat per Isaiam &c. cap. 22. de voce Patris in monte Tabor: *Itaque* jam repræsentans eum, hic esse *Filius meus*. Et cap. 25. Apostolos inquit consecutos *repræsentationes eorum*, quæ prædixerant Prophetæ, ut innumera fiunt. Ideoque jure poterant Tertullianus, & Augustinus scribere, Christum Corpus suum fecisse, hoc est figuram corporis sui, neque dicere ipsum dubitasse: *hoc est Corpus meum*, quum figuram daret corporis sui; quia esto nudis oculis sola figura, signum, symbolum, hoc est Corporis Christi Sacramentum videatur, ea tamen sub figura verum adest Christi Corpus. Si enim non dubitavit Tobias dicere, se vidisse Angelum, cum solam aspexisset figuram hominis, quia sub ea verus erat Angelus; sique non dubitavit dicere Joannes, se vidisse Spiritum Sanctum, cum solam Columbæ aspiceret figuram, quia sub columbæ symbolo Spiritus Sanctus erat; cur dubitasset Christus dicere corpus suum, dum figuram daret corporis sui, quum tali sub figura verum ipsius corpus occulteiur? Ideoque recte Patres eam jure figuram Corporis Christi aliquando appellare potuerunt, propterea quod sicut Angelus Tobiæ sub figura hominis & Spiritus Sanctus sub columbæ figura olim contentus fuit; ita Corpus, & Sanguis Christi sub Eucharistica panis & vini figura continentur. D. Ambrosius in libro de initiandis mysteriis cap. 9. inquit: *Ipse clamat Dominus Jesus, hoc est Corpus meum: ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur; post consecrationem Corpus Christi significatur*. Divus Augustinus Epistola Maurinæ Editionis XCVIII. alias XXIII. explicans Bonifacio Episcopo quomodo susceptores in Baptismo respondeant, parvulos credere quum revera non credant, & incertum sit an sint credituri, hæc habet: *Nempe sæpe ita loquimur, ut Pascha propinquare dicamus, crastinam, vel perendinam Domini passionem, cum ille ante tam multos annos passus sit, nec omnino nisi semel illa passio facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus, hodie Dominus resurrexit, cum ex quo resurrexit tot anni transierint. Cur nemo tam ineptus est, ut nos ita loquentes arguat esse mentitos; nisi quia istos dies secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nun-*

cupa-

Digitized by Google

cupamus, ut dicatur ipse dies, qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus: & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die; sed jam olim factum est? Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes Pascha solemnitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus, eum responderit immolari? Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum Corporis Christi Corpus Christi est, Sacramentum Sanguinis Christi Sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est: Nihil est autem aliud credere, quam fidem habere. Ac per hoc cum respondetur parvulum credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & convertere se ad Deum propter conversionis Sacramentum, quia & ipsa responsio ad celebrationem pertinet Sacramenti. Sicut de ipso Baptismo Apostolus, consepulti, inquit, sumus Christo per Baptismum in mortem: non ait sepulturam significavimus: sed prorsus ait: consepulti sumus. Sacramentum ergo tantæ rei nonnisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit.

33. Obj. 2. Originem, qui homilia 17. in Leviticum habet: si literam sequaris, hoc ipsum, quod dictum est, nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, hæc litera occidit. Objiciunt denique Augustinum, qui in Psalmum 68. Christum ita loquentem inducit: *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt; spiritualiter intelligite, quæ locutus sum; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem visuri sunt, qui me crucifigent; Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum sanctificabit vos; etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.* Et tractatu 25. in Joannem subdit hic Sanctus Pater: *Ut quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducasti.* Ergo &c.

34. Respondetur, notum satis esse, quam nimio laboraverit allegoriarum studio Origenes, qui in omnibus sacris literis imagines, & figuras sibi videre videbatur, & allegoriam ex omni littera extundebat. Ceterum objecta verba non Catholicum sensum, sed sensum respiciebant Capharnaiticum, quemadmodum in Origenianis egregie ostendit Huetius, cujus etiam illustre fuit olim cum celebri Bocearto de Origenis mente circa Eucharistiam certamen. Locus Ambrosii, quem falso adductum, corruptumque a Bellarmino libro IV. de Sacramento Eucharistiæ cap. 13. adeo queritur Elias Ehingerus in dissertatione de fidelitate servanda in Auctoribus citandis, nobis omnino favet.

35. Augustini autem mens priore in testimonio erat, non fuisse Christi corpus a fidelibus manducandum ea in specie, in qua ipsis videbatur, & in qua passus, & crucifixus est; idque Calvinus ipse fatetur libro institutionum 4. cap. 17. ubi adductis Augustini verbis, subdit: *negare certe noluit, quin idem Corpus, quod in sacrificium Christum obtulit, in cœna porrigatur;* sed manducationis modum notavit. Idem vero diversa sub specie idem dici potest, & non idem, scilicet idem quod ad substantiam spectat; non idem quod ad modum spectat, & statum, sicut corpus nostrum in resurrectione idem erit, & non idem, quia seminatur animale, surget spirituale.

36. Posteriore loco explicat Augustinus verba Christi apud Joannem 6. *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet unquam.* Ex metaphorica ejusmodi loquendi ratione, qua Christus suam commendabat doctrinam, & fidem, perperam argumentantur adversarii contra præsentiam realem; diximus jam quippe, verba apud Joann. 6. plurimos Patres de doctrina, & fide fuisse interpretatos, deque manducatione illa, qua pueri in Baptismo, & adulti etiam extra Sacramentum sancto Eucharistiæ voto & affectu, ea spiritualiter pascuntur. *(a)*.

37. Respondeo, figuras duplicis esse generis: alias vacuas, & ad supplendum defectum præsentiæ, plenas alias, & ad supplendum apparentiæ defectum. Prioris fuere generis Agnus Paschalis, manna, panes propositionis, omnia Hebræorum sacrificia. Secundi generis fuit columba in Baptismo Christi: igneæ linguæ die Pentecostes sacro: humana species aliquando ab Angelis assumpta. Ejusmodi est Eucharistia, sub cujus figura, scilicet sub speciebus, inconspicuo & spirituali modo Christus est; ideoque Patres jure ac merito Eucharistiam aliquando figuram corporis Christi appellare potuerunt, propterea quod sicut Angelus Tobiæ sub figura hominis, & Spi-

(a) Divus Joannes Chrysostomus in Homilia de proditione Judæ inquit: *Dominus noster corpus assumptum ablaturus ex oculis nostris, & syderibus illaturus, Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui consecravit, ut perennis illa victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia.*

Digitized by Google

& Spiritus Sanctus sub figura columbæ contentus fuit, ita corpus, & Sanguis Christi sub Eucharistica panis, & vini figura continetur.

38. Esto autem verum & proprium Christi corpus Eucharistia contineat, adhuc tamen typicum, & symbolicum appellare potuerunt, respectu rerum, ad quas refertur, quasque repræsentat; siquidem Christi corpus verum in Eucharistia est typus corporis Christi mystici, videlicet Ecclesiæ; est typus suimet ejusdem corporis in cælis sine velamine videndi; est antitypus figurarum, quæ illud veteri in Testamento præmonstrarunt; sed potissimum est typus suimet ipsius, prout fuit in cruce, & oblatum est pro nobis. Quum enim corpus Christi in Eucharistia existat inconspicuo & spirituali modo, & aliunde Eucharistia sit Sacramentum corporis Christi in cruce affixi, proindeque corpus Christi prout in Eucharistia existit, aliquo modo diversum est ab eodem corpore secundum quod fuit cruci affixum, & ab eodem Sanguine secundum quod fuit effusus pro nobis. Sacramentum igitur Eucharistiæ vere appellatum fuit a Patribus memoria, imago, similitudo, figura corporis Christi: sed cujusnam corporis? Certe corporis Christi morientis, atque crucifixi, quia eo pacto, quo die Paschæ nunc non resurgit nisi per commemorationem; ita in Eucharistia nisi per commemorationem non patitur, ac moritur. Verum id non impedit, quominus vere, & proprie sit in Sacramento, & quin gloriosa sub ratione, qua in Eucharistia est, typus sui ipsius sit sub ea ratione, qua in cruce fuit. Respectu igitur corporis Christi morientis, & Sanguinis effusi Eucharistia typus est, imago, figura, similitudo, recordatio: sed respectu corporis gloriosi, & spirituali modo existentis, Eucharistia res ipsa est, ipsum nempe Christi corpus Eucharisticis sub speciebus realiter existentis, quemadmodum Patres omnes prædicant, & docent.

39. Distinguebant etiam Patres in Eucharistia duplex Christi corpus veluti internum, & externum. Internum dicebant esse illud idem, quod ex Virgine natum est; externum Christi corpus appellabant species Sacramentales, quippe quod Sacramenta habere soleant nomina earum rerum, quarum Sacramenta sunt. Hoc igitur externum Eucharisticum Christi corpus dicebant aliquando Patres ex se non sanctificare; externo isto corpore dicebant carnem nostram pasci; hoc denique externum corpus dicebant typum, imaginem, signum corporis Christi veri; sub illa tamen imagine, typo, & signo interius realiter contenti.

40. Utique iidem non semel affirmant manducari a nobis Christi corpus, & bibi ejus Sanguinem per fidem. Sed quare, obsecro? Certe quia mysterium est objectum fidei nostræ, quia corpus Christi non videtur in Eucharistia, nisi oculo fidei, quia cum fide, & sanctitate sumptum præstat spiritualem animæ nutritionem. Quemadmodum autem visio non facit objectum visus; sed illud supponit; ita fides non efficit, & constituit, sed supponit objectum, quod credit; & quemadmodum artifex non efficit materiam, circa quam operatur, ita fides non efficit mysterium realis præsentiæ, aut Trinitatis, Incarnationis; sed circa ejusmodi mysterium operatur, intellectum, sensumque captivando in obsequium eorum, quæ supra naturam a se ipso fieri Deus tradidit, & statuit.

CAPUT V.

Non est contra rationem, Christum vere, ac realiter esse in Sacramento Eucharistico.

41. Calviniani in eo toti sunt, ut contendant, præsentiam realem Christi in Eucharistia pugnare cum ratione; verum tametsi dubitari non possit, altissimum hoc mysterium humanam rationem vehementer superare, numquam ostendetur tamen, ipsum rationi adversari, nisi supra rationem, & contra rationem esse pro eodem ponant adversarii; quo in casu facile rogabimus, quare credant mysteria Trinitatis, & Incarnationis, quemadmodum credere se protestantur? utique si contra rationem non est, ut non multiplicata in divinia natura, multiplicatæ sint tamen personæ, & non multiplicata persona, duplex sit in Christo natura; cur erit contra rationem, corpus Christi supernaturali & inconspicuo modo in Eucharistia vere contineri, præsertim cum hoc postremum in scripturis clarius, & literaliter magis, quam priora illa, habeatur?

42. Profecto si ad nostræ modulum rationis componuntur, non minoribus sunt difficultatibus circumseptæ, quæstiones de permissione lapsus, deque origine mali, de originali labe in posteris Adæ, de necessitate satisfactionis Christi, ejusque exinanitione, de concursu divino ad physicam entitatem peccati, de prædestinatione, de resurrectione, de pœnis impiorum æternis, de prædicatione Evangelii tot gentibus, maximæque hominum parti, denegata; minoribus, inquam, non sunt ejusmodi quæstiones difficultatibus circumseptæ, quam sit realis præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistico Sacramento; Atqui priora objecta, quamvis obscurissima credunt Calviniani, propterea quod sint evidenter revelata; quare igitur præsentiam realem negant, quum ejusdem pariter respectu, etsi non adsit evidentia objecti, adest tamen evidentia testimonii; & pariter evidens sit evidentia revelationis, etsi ejusmodi non sit evidentia rei revelatæ?

43. Falluntur profecto maxime, dum realis præsentiæ fidem inter contradictoria ponunt, confundentes contradictoria cum incomprehensibilibus. Ut enim comprehensibilia ea sunt, quorum ideæ

Digitized by Google

ideæ satis claræ nostra in mente junguntur; ita incomprehensibilia sunt ea, quorum ideæ non junguntur quidem, sed conjungi posse, vel debere, præconcipiuntur. Ex opposito in contradictione clarissime perspicitur, quod ideæ nostræ se tollunt. Etiamsi igitur aliquarum nexum idearum quia clare non percipiat; si illæ tamen se mutuo non tollant, non est cur non credat jungi eas posse; quia tametsi quomodo uniantur ipse naturali lumine non videat; ex quo sequitur, quod objectum rationem superare nostram, & excedere dicatur; junctas credit eas tamen respectu divini intellectus; ideoque junctas esse in objecto sibi persuadet lumine revelationis, & divinæ auctoritatis. Semel enim atque mysterium dicimus, rem dicimus ideas complectentem, quarum nexum sola mens infinita comprehendit; finita vero mens, nisi cum infinita eam conferamus, credere solum potest, cum nullum habeat illo de nexu, ne quidem cogitandi, præter revelationem medium. Credere porro non est, ideas jungere; sic enim propositionibus assentiremur ob evidentiam objecti; sed credere est, præconcipere ideas, quarum nexum non comprehendimus, revera tamen junctas esse, & propositioni, quæ tales ideas affirmat, assentiri ob auctoritatem dicentis; juxta illud Augustini: *quod scimus debemus rationi, quod credimus auctoritati*.

44. Obj. I. Credere idem corpus esse simul posse in pluribus locis, est ideas jungere, quæ mutuo se tollunt, vel propositiones statuere, quarum una alteram evertit. Corpus enim positum in loco, continetur a loco; sed si credas, ipsum simul esse in alio loco, negas illud contineri a priore loco; itaque ponit contradictorium; atqui contradictoria credi non possunt; ergo &c.

45. Respondemus, verissimum esse contradictoria credi non posse; negamus tamen, catholico in dogmate aliquam reperiri contradictionem; quia scilicet, etiamsi contradictio foret, idem corpus esse simul in pluribus locis naturali, circumscriptivo, & locali modo; nulla est tamen contradictio, ut ita uno sit in loco, quemadmodum Christi corpus est in Cælo; aliis vero in locis, videlicet in Sacramento, sit modo non locali, non circumscripto, non naturali, non sensibili, non passibili, non per se mobili, non corruptibili, sed modo inextenso, supernaturali, spirituali, immutabili, ineffabili, divino: modo denique, quem etiamsi verbis exprimere vix possumus, possibilem esse tamen esse Deo, cognitione per fidem illustrata propugnamus.

46. Porro argumenta adversariorum omnia de eodem corpore in sistemate catholicorum se se movente motibus contrariis simul, simulque oppositis qualitatibus affecto, de minore quantitate majorem continente, aliaque ejusmodi quamplurima, umbris potius, quam veritatem catholicam oppugnant. Valida namque forent, si corpus Christi a nobis esse in Sacramento statueretur naturaliter, localiter, sensibiliter, aut ea ratione, qua est in cælo. Verum statim atque nostra doctrina est, Salvatorem nostrum nunc semper ad dexteram Patris in cælis assidere juxta modum existendi naturalem; in Eucharistia vero solum juxta modum existendi sacramentalem, omnia necesse est sophismata, & objecta evanescant. Quid vero est modus existendi sacramentalis? non quod Christus præcise in Eucharistia sit, quemadmodum in signo, quamvis Sacramentum sit in genere signi, sed quod Christus in ea sit, modo reali quidem, sed invisibili, inextenso, incorruptibili, immutabili, ineffabili, divino. Quomodo autem idea corporis Christi existentis in cælo, opponeretur contradictorie ideæ ejusdem corporis simul existentis in Sacramento, si posterioris hujus existentiæ, invisibilis, inextensæ, & per modum spiritus, neque satis claram, & expressam ideam habemus, sed eam solum fide credimus? certe ubi utraque idea æque clara, & aperta non est, affirmari non potest, quod una alteri contradictorie opponatur.

47. Contra est, unum idemque corpus diversis temporibus simul esse neque per miraculum potest; igitur neque simul in diversis locis.

48. Respondemus, discrimen esse, quia tempora diversa simul esse non possunt, quum ratio & natura temporis in duratione successiva constituta esse intelligatur; quare necessario sequitur, unum corpus diversis temporibus uno eodemque momento esse non posse; ast locorum ratio eadem non est; nam loca, quamvis spatio disjuncta, temporis tamen mensura conjunguntur.

49. Obj. 2. Contradictorium est, corpus Christi esse in Eucharistia modo inextenso; siquidem essentia corporis in extensione consistit, & ubi extensio nulla est, nullum esse potest corpus. Deinde si insensibili, & impassibili modo in Eucharistia Christus est, quomodo conteri dentibus dicitur, frangi, & immolari, sicut in liturgiis habetur, & in confessione fidei, quam Nicolao II. sedente coactus fuit recitare Berengarius?

50. Respondemus, non omnes Philosophos in eo convenire, essentiam corporis in extensione constitutam esse: eos, qui id propugnant, respicere essentiam corporis naturali modo existentis, non autem existentis modo supernaturali, & sacramentali: præstantissimos nostri temporis Philosophos de affectionibus, & motu corporum sollicitos esse, magis quam de intima, & imperscrutabili eorum essentia: essentias rerum adhuc esse Philosophia doctioribus incompertas: Philosophiam nostram non a sensibus esse, sed a cælo derivatam: scribere Apostolum in I. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale: id est corpus animale et, & spirituale*. Revera essen-

essentiale corpori videtur ob gravitatem suam ponderara, ob colorem videri, ob calorem calefacere, & urere; credunt tamen adversarii, Christum super aquas ambulare, medium inter Judæos incedentem non fuisse ab illis visum; tres pueros in ardentem Babylonis fornacem injectos, non fuisse igne consumptos, ceteraque ejusmodi, quæ in scripturis habentur infinita: Cum igitur corpus Christi jam gloriosum, non per modum corporis extensi, sed per modum potius substantiæ, cujus propria totalitas, ut ait D. Thomas 3. p. q. 76. art. 1. continetur indifferenter in magna, & parva quantitate, atque invisibili, ineffabili, incomprehensibili solummodo vere sit in Eucharistia, ex carentia visibilis ipsius extensionis, nulla sequitur contradictio.

51. Relate ad fractionem, divisionem, attritionem corporis Christi & similia, respondent Theologi Orthodoxi, ea non ad Christi corpus, sed ad species sacramentales esse referenda; quamvis etiam de Christi corpore affirmentur, quia sub ipsis continetur. Quemadmodum enim homo præceps e turri lapsus recte dicitur frangi, & collidi, quamvis ipsius anima partium expers neque frangatur, neque collidatur; sed quia frangitur corpus, in quo anima est, ita Christi corpus impassibili, immortali, divinoque exsistens modo sub speciebus Eucharisticis, frangi dicitur ad earum divisionem, quia species, sub quibus Christi corpus est, franguntur, & dividuntur; & quemadmodum Christi corpus in sua specie non stimitur, sed in specie sacramentali, ita non dividitur, non editur, non atteritur, nisi in eadem sacramentali specie, ad cujus attritionem & fractionem referenda est Berengarii confessio. Quæ latius explicant D. Thomas 3. parte quæst. 77. art. 9. Cardinalis Bona libro rerum liturgicarum 2. cap. 15. & Josephus Antonius Klarkius vir clarissimus in Epist. pro vindicanda formula ad Missæ sacrum in Ambrosiano Canone præscripta: *Corpus tuum frangitur, Christe.*

52. Contra est: quod corpus Christi glorioso in statu præconcipiatur sub Eucharisticis speciebus, non est sufficiens ratio, cur sit invisibile, nam dum post resurrectionem suam glorioso in statu Apostolis apparuisset, eisdem dubitantibus dixit Christus: palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Non igitur gloriosus status reddit inconspicuum corpus. Sed falsum est adhuc, ubi non de spiritu, aut de re spirituali, sed de corpore sermo est, sensuum testimonium non requiri. Fundamentum professo Christianæ Religionis est Christi resurrectio: atqui Apostoli ut eam Ethnicis certiorem redderent, ad sensuum testimonium confugiebant, quemadmodum Apostolus Joannes Epistola I. ubi ait: quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod audivimus, annunciamus vobis. Destruit igitur Apostolicum fundamentum qui præsentiam realem prædicat testimonio sensuum destitutam.

53. Respondemus, rationem, cur Christus sub Eucharisticis speciebus sit invisibilis, non ejus a glorioso statu repetendam esse, quum utique gloriosum etiam corpus videatur, sed a modo spirituali, & inextenso, quo illic existit. Statim enim ac Christi corpus localiter extensum in Sacramento non est, visivæ potentiæ objectum esse non potest, sed intellectivæ solum divina fide illustratæ. Porro licet id, quod videtur, & palpatur, verum corpus sit, minime tamen sequitur, ut quod non videtur, nec palpatur, verum corpus non sit. Ut enim has dialecticas argumentandi leges omittamus, juxta quas non licet derivare oppositum consequentis ab opposito antecedentis, fit adhuc transitus in objectione a statu Christi glorioso quidem, sed naturali, & suapte natura visibili, ad statum gloriosum simul, & non naturalem, ideoque suapte natura inconspicuum: quare nulla est illatio. Si dum Christus in naturali statu versabatur inconspicuum se tamen aliquando reddidit Judæis, ut Lucæ 4. & Joannis 8. legimus; neque propterea esse tunc naturale corpus Christi desit, cur per miraculum corpus ejus ibi sacramentaliter non erit, ubi corporeo conspici ab oculo nequit?

54. Jure igitur optimo Apostoli de Christi corpore e mortuis excitato, glorioso quidem, sed simul extenso naturaliter, & propterea conspicuo fidem facturi, ad testimonium sensuum provocabant, sive cum Ethnicis dissererent, qui sacras literas non admittebant, sive contra hæreticos illos agerent, qui Christum veram habuisse carnem negabant: neque enim aut prioribus prædicassent, aut posterioribus mysterium Eucharisticum, quod Catechumenis ipsis occultabant: ast semel sacris litteris, & fidei principiis admissis, portentum sane est, ad sensuum testimonium provocare, præsertim cum de præsentia rei agitur, quæ quamvis corporea sit, per modum tamen spiritus, & supernaturali modo sub Eucharisticis speciebus existens, nobis exhibetur.

CAPUT VI.

An Gentilibus, & Catechumenis occultatum olim hoc fuerit mysterium.

55. NOn infimum adversariorum argumentum ejusmodi est: si primi Christiani realem præsentiam admisissent, vix possibile videtur, Ethnicos a desertore aliquo non fuisse ea de re edoctos. Quod si id semel isti noverint, fieri non poterat, ut de argumento ejusmodi silerent; neque aliquid adversus ipsum, uti contra cetera præstiterant Christianorum dogmata, objicerent. Julianus profecto Cæsar ante suam a Christiana religione defectionem munus in ea lectoris exercuerat, & arcana nostra noverat; neque tamen in ipsius operibus, & dicteriis contra nos aliquid prostat, unde realem præsentiam ipsi cognitam

gnitam fuisse eruamus; oppositum imo totius habemus rei fundamentum apud Minucium Felicem in Octavio. Nam cum Cæcilius Ethnicus, qui loquens illo inducitur in Dialogo, dixisset de Christianis: *cur nullas aras habent, nulla templa, numquam palam loqui, nunquam libere congregari?* Regerit Octavius: Christianus: quod templum Deo extruam, quum totus mundus eum capere non possit? Hostias & victimas Domino offeram, quas in usum Dei protulit, ut rejiciam ei munus suum? ingratum est, cum sit litabilis hostia bonus animus, & pura mens, & sincera conscientia &c. Itaque pro Christianorum quoque testimonio simplex adeo erat olim ipsorum cultus, ut nullum admitteret mysterium, nullum sacrificium.

56. Respondemus tamen, primis Ecclesiæ temporibus viguisse, ut diximus arcani disciplinam, quam non Gentilibus modo, verum ipsis etiam Catechumenis mysteria fidei occultabantur. Memorat D. Joannes Chrysostomus homilia in sanctum Ignatium, cum Apostolis ipsum familiariter vixisse, ab iisque fluenta spiritualia hausisse eum eorum, quæ fas erat publicare, tum eorum, quæ silenda erant. Eam arcani disciplinam sacrarum effatis litterarum passim Patres adstruebant; illudque Matthæi 7. *nolite sanctum dare canibus:* illuc trahebant recognitiones Clementis Tertullianus, & Dionysius, aliique plurimi. Illud autem Pauli I. Corinth. cap. 10. quum in Paradisum raptus audivisse se dicebat *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, eumdem allegat in finem Clemens Alexandrinus libro Stromatum 5. *(a)*.

57. Ideo vero quidquid ad præcipua pertinebat Christianæ Religionis mysteria, occultabatur, ne, ut inquiebat II. Synodus Alexandrina apud S. Athanasium Apologia 2. Ethnici ea subsannarent, & Catechumeni curiosi facti scandalizarentur, propterea que illa D. Augustini tam frequens loquendi ratio, qua coram Catechumenis verba faciens de Eucharistia, utebatur: *norunt fideles*; & concionem habens in Psalmum 41. dixerat: *quadam, sicut nostis, ore accipimus, quadam per totum corpus accipimus*; ita tacite Eucharistiam denotans, & Baptismum. Et rursus sermone I. in Psalmum 103. quid est quod occultatum est, non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ. Opera enim nostra bona vident Pagani, Sacramenta vero occultantur illis. Et tractatu 2. in Joannem scripsit: nesciunt Catechumeni quid accipiant Christiani; sed & Chrysostomus in Homilia de Sancto Filogonio, de altari inquiebat, & mensa vicem implet Præsepis; qui mysteriis initiati sunt intelligunt quæ dicuntur; ut Innocentium I. omittamus in celebri Epistola ad Eugubinum Episcopum, Sacramentorum arcana occultari contendentem.

58. Sacri ejusmodi silentii aliam rationem dederat Tertullianus in Apologetico, scribens: quia lex est mysteriorum, ut secreta teneantur, quocum facit Lucianus, sive auctor philopatrides, ubi Tryphon Christianus per Indum & jocum inducitur Critiam Cathecumenum informans. Certe Plinius II. Bithiniæ præfectus licet per tormenta ex Christianis quæsiverit quid mysteriorum peragerent, nihil tamen extorquere ab illis potuit, quod Trajano narraret; ut in illius Epistola 97. libri 10. ad Cæsarem hunc data patet. Hinc Celsus Epicureus apud Origenem Doctrinam Christianam frequens appellabat dogma clandestinum, & Cæcilius Ethnicus apud Minucium Felicem in Octavio, præter allegata, ita de Christianis querebatur: Ut quid cultum suum oculis humanis eripiunt, si malus non est, quasi vero alissimum non fuisset apud Ethnicos suis de mysteriis silentium, de quo imo tam sæpe gloriabantur?

59. Nulla igitur de causa oppugnare Ethnici, aut irridere potuissent realis præsentiæ dogma ipsis etiam occultatum Christianæ Religionis Catechumenis; si quis enim veteres adeat liturgias ad disciplinæ normam primorum temporum compositas, in eisdem quum Eucharistia celebranda esset, nihil frequentius hisce acclamationibus inveniet: exite Catechumeni in pace, foras Catechumeni, si quis est Catechumenorum recedat foras, quotquot estis Catechumeni exite, ne quis ex Catechumenis, superstite, exite Illuminandi, qui Baptismum petitis exite, date locum Catechumeni, aliaque his similia.

60. Verum, inquient nonnulli, si propter arcani disciplinam tam altum erat apud Patres de Eucharistia silentium, quomodo possunt Orthodoxi præsentiam realem testimonio Patrum confirmare? Falluntur illi tamen ejusmodi objecto. Siquidem arcani disciplina in moribus Patrum, & Ec-

(a) Disciplinam equidem arcani in mysteriis Christianorum, Ethnicæ disciplinæ imitationem fuisse, alienam prorsus a Christi instituto & rationis regula, queritur Samuel Basnagius, *Dissertatione de Catechumenis, eorumque Baptismo* §. IV. Verum audacem animadversionem notat ipse Justus Henningus Boemerus Dissert. IV. in Plinium secundum, & Tertullianum, quæ est *de Coitionibus Christianorum ad capiendum cibum*: probabilius dicens, ad arcanorum disciplinam apud Christianos introducendam dedisse occasionem calumnias Gentilium, utpote qua omnis occasio iis adempta videbatur cavillandi, & mysteria Christiana explodendi.

Digitized by Google

& Ecclesiæ erat relate ad infideles, & solos Catechumenos, non autem relate ad initiatos, & fideles, ut patet ex Cyrillo Jerosolymitano, qui in præfatione ad priores suas Catecheses ita scribit: *quum autem Catechesis recitatur, si Catechumenus ex te quæsierit quid dicebant doctores? nihil dicas externo; mysteria enim tibi, & spem futuri sæculi tradimus;* & in fine ejusmodi præfationis: *Iterum Catecheses istas illuminatorum accedentibus quidem ad Baptismum, & iis, qui hoc lavacrum habent, jam fidelibus legendas exhibeas. Catechumenis vero, & aliis, qui non sunt Christiani, ne dederis, alioquin redditurus es Domino rationem*. Catechesi demum 6. scribit: *hæc mysteria, Sacramentaque nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis excedit: nec moris est ea Gentilibus exponere; non enim Gentili cuiquam de Patre, Filio, & Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus, neque palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus; sed multa sæpe loquimur occulte, ut fideles, qui rem tenent intelligant, & qui non tenent ne lædantur*. Maxime igitur occultata Catechumenis, & infidelibus Eucharistiæ doctrina, satis adhuc in scriptis Patrum reliqua esse poterunt illius ostendendæ confirmandæque monumenta.

61. Non possumus vero hic, quin sophisma detegamus Abbadiæi Calviniani, qui in demonstratione sua religionis, ut ait, reformatæ, hoc urget contra præsentiam realem argumentum, palpare, & videre: Fundamentum Christianæ Religionis profecto est Christi resurrectio; atqui Apostoli ut resurrectionem Christi Ethnicis certiorem redderent, ad testimonia sensuum, tamquam certissimum ad principium confugiebant, sicut initio Epistolæ suæ primæ his præstabat verbis Joannes: *quod fuit ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis &c.* Itaque infert Abbadiæus, Apostoli ne suum destruerent principium, realem docere præsentiam non poterant non modo sensuum testimonio destitutam, sed eorum judicio manifestissime oppositam.

62. Non possumus, inquam, quin ex argumento, de quo agimus, tam inane sophisma evertamus, ut prætereamus, Apostolos de Christi corpore e mortuis excitato, glorioso quidem, sed conspicuo, atque extenso fidem facturos jure testimonium sensuum advocasse, quod nullius evadit pretii relate ad corpus inconspicuo & inextenso modo in Eucharistia existens; præsertim quum, ut Cyrillus Alexandrinus egregie animadvertit apud Eusebium libro historiæ Ecclesiasticæ 7. cap. 25. Joannes tum in Evangelio, tum sua etiam in Epistola Hæreticos illos respexerit, qui Christum veram humanam assumpsisse carnem inficiabantur, non refellendos propterea majore, quam aptissimo sensuum testimonio; ut id, inquam omittamus, ubinam gentium inveniet Abbadiæus, Apostolos Eucharistiæ mysterium Ethnicis prædicasse, quare isti ad resurrectionis argumentum confugerent testimonio sensuum confirmatæ? Apostoli igitur de Christi corpore e mortuis excitato, glorioso quidem, sed simul extenso naturaliter, & propterea conspicuo, fidem facturi, ad testimonium sensuum provocabant, sive cum Ethnicis differerent, qui sacras Litteras non admittebant, sive contra Hæreticos illos agerent, qui Christum veram habuisse carnem negabant; neque enim aut prioribus prædicassent, aut posterioribus mysterium Eucharisticum, quod Catechumenis ipsis occultabant. Ast semel sacris Litteris, & fidei principiis admissis, portentum sane est ad sensuum testimonium provocare, præsertim ubi de reali præsentia rei agitur, quæ quamvis corporea sit, per modum tamen spiritus, & supernaturali modo sub Eucharisticis speciebus existens, nobis exhibetur. Neque enim opponi possunt Apostoli ad Ephesios verba Actorum 20. extantia, ubi se ipsis ait annunciasse *omnem voluntatem Dei*. De baptizatis enim, & confirmatis ibi loquitur, non de fidelibus, aut initiandis.

63. Quin eo inconsiderantiæ processit Abbadiæus, ut rursus ita objiceret: Christiani priorum temporum, ut legimus apud Minutium Felicem in Octavio, ita Gentiles irridebant: quando igitur iis Deus nascitur? Ecce funditur, fabricatur, sculpitur, nondum Deus est, ecce plumbatur, construitur, erigitur, nec adhuc Deus est. Ecce ornatur, consecratur, oratur, tum postremo Deus est, cum homo voluit, & dedicavit. Contendit Abbadiæus potuisse Ethnicos ironiam hanc in Christianos vertere, si realem præsentiam isti credidissent. Qua in animadversione dubito magis ne præposterum, an profanum disputandi genus aversemur. Quomodo enim Ethnici de ironia in Christianos retorquenda cogitassent, si arcanum, & intimum Eucharistiæ mysterium omnino ignorabant? sane si doctrinam de disciplina arcani soli Catholici urgerent, vix adhuc venia adversario esset danda perperam adeo argumentanti; ast cum de ea innumeri, doctissimique Protestantes copiose scripserint & diligenter, patet adversarium contra realem præsentiam disputantem immani adeo partium impetu actum fuisse, ut primarum oblitus historiæ Ecclesiasticæ notionum, quantum mortalia pectora cæcæ noctis habeant, ostendisse videatur.

64. Urgent tamen: si Patres in libris ad usum saltem fidelium conscriptis Eucharistiæ doctrinam tradidere, præconcepta reali præsentia, ea solvere tentassent gravissima objecta, quæ cujuscumque menti statim plurima occurrunt: sed neque id eorum in operibus invenimus; ergo &c.

65. Respondemus, negativum hoc esse argumentum, tantoque minoris pretii, quanto certum

tum est, paucissimos fuisse scriptores primorum seculorum, eosque paucissima scripsisse, imo ex illis ad nos pauciora pervenisse, eorum autem doctrinam traditione plurimum ad posteriores perventa Patres, & ab istis scripto propagatam; ea deinde fuit Patrum methodus, ut consectaria mysteriorum non expenderent, nisi cum eorum aliquid contra Eterodoxos vindicarent; quare ante Arianos nemo Trinitatis nodos sibi proposuit solvendos; ante Nestorianos nemo Incarnationis difficultates ex professo enucleavit; ante Pelagianos nemo perscrutatus est quæstiones, quæ ex peccati originalis dogmate sequuntur *(a)*.

66. Neque etiam erraverimus, si dixerimus aliquid de Eucharistia subodoratos fuisse Ethnicos, & infideles. Quid enim sibi volebant calumniæ adversus Christianos illæ, quibus infanticidii in suis conventibus postulabantur? nempe ex incerto rumore audierant Ethnici, Christianos una convenientes de aliquo edere, ac bibere, quod vivens habebatur, proptereaque consecuti sunt, eos, dum infantis membra discerpunt, & sanguinem lambunt, sceleratum agere convivium. Imaginem igitur Eucharistiæ, sed imperfectissimam Ethnici habebant, quam idcirco oppugnare serio non poterant. Calumniis Patres occurrebant, ita tamen, ut mysterium quidem non proderent, sed novum realis præsentiæ nobis argumentum præstant, quippe, si Eucharistiam solam esse corporis Christi figuram Christiani primi credidissent, rem tam innocentem, ac simplicem Apologetici Patres aperte declarassent; verum nil ejusmodi reperire est eorum in vindiciis, uno excepto Justino Martyre, sed contenti calumniam infanticidii amovere, seque terrenas hostias, & victimas non offerre protestati, mysterium arcano silentio celavere. Cur id vero? Certe quia magnum aliquid infidelium dicteriis non exponendum in Eucharistia contineri firmissime credebant. Incertum autem est, an de Eucharistia omnino siluerit Julianus, cujus libri contra nos scripti prope omnes deperditi nunc sunt; innumera sane Gentilium opera, in quibus plurima contra nostram continebantur religionem, fato, vetustate, Patrum studio, & ferali Christianorum Principium edicto periere *(b)*.

CAPUT VII.

Verum Christi Corpus, & Sanguinem in Eucharistico esse Sacramento ex antiquis liturgiis demonstratur.

67. CUM de re agitur Sacramentaria, etsi primum habere locum debeant sacræ Litteræ, & Apostolica traditio; quia tamen sacra hæc symbola divinum ad cultum, & Christianam ad praxim pertinent, ideo nullum ipsis vindicandis invictum fortasse magis est argumentum, antiquissimis Ecclesiarum liturgiis, quæ Sacramentorum vim, virtutem, essentiam, quidque in eisdem contineatur, indicant, & ostentant. Sane si dum primum ortæ sunt de Sacramento Eucharistico quæstiones, liturgicum viguisset studium, non adeo propagari error potuisset. Verum liturgicarum cognitionis rerum inopia eo temporis laborabant, præsertim Protestantes; quo exemplo esse potest Mathias Flaccius Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium Princeps ut Eucharisticum oppugnaret sacrificium, veterem ab se refertam missam, sive missæ formulam Argentorati edidit anno 1557. quam

(a) Quamvis hæc omnia sobrie, moderateque accipienda sunt, neque absolutum ex hisce sistema constituendum; quum neque omnes Ecclesiæ fuerint hujus silentii tenacissimæ, neque omnes omnino Patres mysteria semper occultaverint, dum scilicet nostrarum curiosi rerum Ethnici nondum erant; neque hostium inopia obstiterit, quin primorum Patrum in elucubrationibus ea proferant fundamenta, quibus mysteriorum arcana tueamur. Amphilochius Iconii Episcopus, Gregorii Nazianzeni æqualis, & a Hieronymo laudatus Oratione VIII. quæ est de Pœnitentia, scribit: *Aliis Dæmon animo injicit malas blasphemias, aliaque prava & infesta*: aliis hæreses, tenebrosasque affectiones suggerit; aliis clanculum inanem etiam gloriam proponit; alios contra venerabiles imagines execrabilis ille efferat, inutiles esse dicens, & quæ nihil prosint: aliis fornicationem, luxuriamque, atque alia quædam turpissima: quosdam vero ut immortali, & vivificæ communioni non credant, & animo offendantur, & cunctentur, inducit: simplicem eam panem dicens, simplexque vinum, nec præterea aliud quicquam.

(b) Ad Eucharistiam, nisi fallimur, videtur allusisse Maximus Madaurensis, Ethnicus ille quidem, in Epistola ad Augustinum data, quæ XVI. est inter Epistolas sancti hujus Patris, Maurinæ editionis. In ea ita ille: *Sed illud quæso, vir sapientissime, ut ipsa re approbes, quis sit iste Deus, quem vobis Christiani quasi proprium vindicatis, & in locis abditis præsentem vos videre componitis. Nos etenim Deos nostros luce palam ante oculos, atque aures omnium mortalium piis precibus adoramus, & per suaves Hostias propitios nobis efficimus, & a cunctis hæc cerni, & probari concedimus.* Hæc novisse Ethnicos ostendunt, Deum præsentem in mysteriis habitum a Christianis, sed arcanis, & occultis. Neque Averroem præteribo, recentiorem illum quidem, sed nostris utique in scholis minime educatum, cujus illud effatum erat: *Per universum iter habui: infinitas inveni Religionum sectas, sed nullam festivam magis secta Christianorum, suum colentium una & manducantium Deum*; quemadmodum in Ducatianis legimus Parte II. p. 287.

Digitized by Google

quam tamen, quo exultantes primum promulgavere Protestantes, eo exinde dolentiores intuiti sunt; quippe cognoscentes, eam Catholicis imo suffragari, sibique adversari vehementer, veluti Eucharistiæ, Confessionis, & precum pro mortuis dogmata confirmantem, eam propterea supprimere omnibus modis, etiam illius combustione studuerunt; quare hodierno tempore adeo rara est. Revera Carolus Cointhius existimavit, missam ejusmodi esse antiquam liturgiam Gallicanam, Mabillonius ad usum Monasterii Erubacensis in Diœcesi Meldensi confectam eam fuisse opinatus est; Martenius ex opposito pro Ecclesia Saliburgensi *(a)*. Infrequens, inquam, erat olim liturgicarum studium rerum: felicitas hæc vero est ætatis nostræ, ut a renatis litteris vetera eruta sint, & illustrata monumenta; inter quæ antiqua Latinorum Pontificalia, & Sacramentalia, liturgiæ Orientalium, Græcarum Ecclesiarum Euchologia a viris clarissimis, Cardinali Thomasio, Goario, Renaudotio, Haberto, Menardo, Mabillonio, Binio, Bollandi continuatore, aliisque edita, a quibus omnibus præsentiam Christi corporis realem Eucharistico in Sacramento celebrari intelligimus. Sic, v. g. in liturgia S. Basilii legitur: *rogamus te, Christe Deus noster, ut advenies Spiritus Sanctus tuus, & hunc panem faciat corpus Sanctum ipsius Domini Nostri Jesu Christi; & hunc calicem Sanguinem pretiosum Jesu Christi*. In liturgia S. Cyrilli habemus: *mitte Spiritum Sanctum tuum super has oblationes tuas pretiosas, ut sanctificentur, & transmutentur, ut hic panis fiat corpus sanctum Christi, & hic calix pariter Sanguis Christi*. Eumdem præferunt sensum liturgia S. Jacobi, sive Jerosolymitana, liturgia S. Joannis Chrysostomi, liturgia Hispanica, Ambrosiana, aliæ plurimæ a Cardinali Bona laudatæ in suis rerum liturgicarum libris. Animadvertendum porro in usu positum fuisse, atque esse etiamnum apud Orientales, & Græcos, ut Sacerdotibus, non ut apud nos submissa, sed elata voce Evangelica verba in Missa pronuntiantibus, populus respondeat *Amen*, quæ particula solemnis est fidei protestatio, Christum præsentem credi Eucharistico in sacrificio. In Ethiopica liturgia,

(a) Antiquissimi prostant non modo Latinorum sacramentales libri, verum etiam Euchologici, & Liturgici Græcorum, & Orientalium, in quibus Sacerdos celebrans precatur sanctum Spiritum, ut panem, & vinum faciat Corpus, & Sanguinem pretiosum Domini Jesu Christi; deinde alia oratione precatur, ut ea nobis proficua efficiat, & reddat. Ita sane in Liturgiis S Justini, S. Basilii, S. Cyrilli, S. Joannis Chrysostomi, & in aliis sexcentis. Calviniani ea statim ratione disputant, qua dum verba Domini urgemus; dicunt nempe vocibus *fieri*, & *fiat*, non semper significari in liturgiis efficere, verum potius declarare, ostendere, reddere, exhibere: adeo ut Sacerdos precetur, panem, & vinum ita benedici, & sanctificari, ut Corporis, & Sanguinis Domini virtutem habeant, & efficientiam, unde qui de illis participant sanctificentur. Verum imprudentes non animadvertunt, duo precari Sacerdotem in cunctis Liturgiis, nempe & ut panis, & vinum fiant Corpus, & Sanguis Domini, & ut Corpus, & Sanguis Domini nobis proficiant ad salutem. Certe, ut animadvertit Massuetus Dissertatione II. in Irenæum, Articulo VIII. ea invocatio liturgica, quam tum Irenæus, tum Cyrillus, tum alii Patres tam sæpe memorant, cujuscumque alterius sacrorum donorum transmutationis, quam realis, & substantialis, in ipsum Christi Corpus, & Sanguinem, sensum procul excludit. Rogatur quippe Spiritus sanctus, ut descendat non tantum in fidelium corda, ea sanctificaturus; sed & in ipsa sacra dona, divina sua, & efficacissima operatione in ea immediate acturus, & insigne aliquod miraculum editurus. Quid vero aliud miraculi plenum in ipsa sacra dona agere potest Spiritus sanctus, nisi vera transmutatione efficere ea aliquid esse, quod prius non erant, Corpus videlicet, & Sanguinem Christi, ut omnibus in Liturgiis expresse legitur? Tropos, figuras, & virtutem nescio quam, hic comminiscantur Protestantes, perspicuam verborum sententiam falsis interpretationibus circumvenire nunquam poterunt. Duplex enim aperte distinguitur Spiritus sancti illapsus, duplexque utriusque finis, alter ab altero diversus; alter in ipsam materiam, id est, in sacra dona, ut fiant aliquid, quod prius non erant, nimirum Corpus, & Sanguis Christi; alter in corda fidelium, ut omnes, qui sacramentum percepturi sunt, fructum remissionis peccatorum, gratiæque incrementum consequantur. Quum igitur negant Protestantes aliam transmutationem invocatione postulari, quam moralem: hoc est, ut in ipsa sacramenti perceptione fidelibus sacra dona percipientibus fiant Corpus, & Sanguis Christi, negant consequenter alium longe ante communionem postulari sancti Spiritus illapsum in ipsa sacra dona, ut ea efficiat Corpus, & Sanguinem Christi; sicque duplicem illum illapsum confundant perspicuis verbis vim apertam inferentes, necesse est. Et quæso, si iste sit invocationis sensus; cur Ecclesia Spiritum sanctum precata quidem, ut suo in aquam baptismalem, in Chrisma illapsu, virtutem suam, vimque sanctificandi illis impertiat, Christi Sanguinis virtute ea repleat, & fæcundet, &c. numquam tamen Deum rogavit, ut efficacissima sua operatione aquam, & Chrisma efficeret Corpus, aut Sanguinem Christi? Nodum hunc solvere quidquid rethoricentur Protestantes, numquam poterunt. Ex ea igitur invocatione, quæ fit in Liturgiis super panem, & vinum, recte infertur, hæc transmutari in Corpus, & Sanguinem Christi; præsertim quum post illam invocatio altera adjungitur, ut Sacramentum nobis sit in incrementum gratiæ, & remissionem peccatorum.

Digitized by Google

turgia, quæ ex vetustissima Alexandrina expressa est, populus ad panis consecrationem respondet: *amen, amen, amen, credimus, & certi sumus: laudamus te, Domine Deus noster, vere credimus corpus tuum &c.* Quantus itaque Calvinianorum error realem præsentiam rejicere, ubique & semper in sacratioribus Christianorum mysteriis adoratam!

68. Obj. 1. Quæ circumferuntur Liturgiæ, neque Apostolorum sunt, neque eorum, quibus tribuuntur; itaque non valent ad fidem priorum temporum de vero Christi corpore in Eucharistia adstruendam.

69. Respondemus, Liturgias Orientales, & Græcas, de quibus agimus, etiamsi nec ab Apostolis, nec ab Apostolicis viris, nec a Patribus, quibus tribuuntur, fuerint conscriptæ, earum doctrinam tamen, essentiam, & substantiam si spectamus, descendere ab Apostolica Traditione, quemadmodum dubitare non finit earum consensus; quod utique doctiores, & candidiores Heterodoxi etiam fatentur. Addimus nec infensiores Adversarios negaturos prope omnes illas Liturgias antecedere ætatem quæstionum Iconoclasticarum, Paschasii Radberti, eorumque, qui octavo, aut nono sæculo de veritate Corporis, & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistico scripsere. Itaque doctrina de veritate Corporis Christi in Liturgiis contenta, & conservata, antecedit quascumque quæstiones hoc de mysterio excitatas, ideoque pertineat oportet ad fidem a Christo per Apostolos, & Patres derivatam.

70. Respondent 2. huic argumento nonnulli, verum esse quidem, Apostolos Liturgias illas non conscripsisse, cum eorum ætate ritus consecrandi sola secreta & orali traditione conservaretur, quemadmodum testari videtur D. Basilius de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. scribens: *verba sacra invocationis in consecratione panis, & calicis, qui Sanctorum nobis scriptis tradidit.* Invocationem hic vocans Basilius canonem missæ, qui multis invocationibus constabat, & constat, quemadmodum animadvertit Renaudotius tomo collectionis Orientalium 1. & Franciscus de Berlendis in dissertatione de oblationibus ad altare part. 1. §. 4. ubi ex arcani disciplina canonem Liturgiæ minime tunc literis mandari oportuisse confirmat. Verum ex quo sæculo tantum, uti contendunt, quarto, liturgiæ scriptæ fuerint, non sequitur, tum primum inductam doctrinam in illis contentam, sed antiquiori a traditione summa cura & diligentia derivatam, quod adeo verum est, ut Pfaffius ipse, quamvis Lutheranus in Dissertatione sua Apologetica de oblatione, & consecratione veterum Eucharistica §. 5. scribere non dubitaverit; non enim videmus, cur Scriptores sæculi IV. hic novitatis cujusdam accusandi sint, quibus in rebus maxime liturgicis, traditione antiqua nihil erat prius, nil antiquius, utpote quod invocationis verba attinet ad traditiones non scriptas, & ad oretenus traditam doctrinam semper provocantibus; statim igitur atque realem præsentiam veteres Liturgiæ docent, Apostolicam eam esse doctrinam nos consequi oportet.

71. Sunt tamen alii, qui ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis conscriptas censent Liturgias; nam Origenes lib. contra Celsum IV. nonnullas citat ex receptis, & communibus Christianorum precibus. Tertullianus Dominica solemnia memorat in tractatu de anima; Conc. Laodicenum eadem jubet uti Liturgia vespere, & sero; & in constitutionibus Apostolicis S. Clementis I. Papæ habetur fere integra Liturgia, quam se ab Apostolis accepisse, & descripsisse dicit. Quamvis enim certum prope sit, illius operis auctorem non esse Clementem; ast opus esse antiquissimum, & tertio scriptum sæculo plerique credunt apud Cardinalem Bona lib. rerum liturgicarum I. cap. 8. imo constitutas has constitutiones ex variis virorum Apostolicorum opusculis circa finem secundi sæculi contendit Hetherodoxus Cavæus in historia sua literaria, ubi agit de Clemente.

72. Jure igitur ac merito Ricardus Simonius in adnotationibus ad Apologiam Gabrielis Severi statuit primo hujusmodi liturgiarum faciem auctores habuisse Apostolos, qui Ecclesiarum fundamenta fecerint, præsertim cum Epiphanius hæresi 79. dum mulieres a publico Ecclesiæ ministerio arcet, recte adnotat, Petrum, Andream, & reliquos Apostolos non solum Evangelii ministros fuisse, sed & mysteriorum conditores cum Jacobo fratre Domini, & primo Jerosolymorum Episcopo; ex quo haud dubie factum est, ut Liturgiæ sub horum fere omnium nominibus in Ecclesia Orientali habeantur; quælibet enim Ecclesia suum sibi statuit protoparentem, a quo primum instituta fuerit, & ad eum veluti ad Principem, & ductorem suum refert id omne, quod habet cæremoniarum, & rituum. Sic Ecclesia Jerosolymitana Liturgiam suam ex Jacobi nomine, suam Alexandrina ex nomine Marci, suam Mesopotamiæ Ecclesiæ ex nomine Thaddæi inscripsere, quia scilicet Christiani illi ex antiquissima credebant traditione fidem se & ordinem celebrandorum mysteriorum ab Apostolis illis, vel Apostolicis viris accepisse. Immo neque ex quo alicujus Patris nomine Liturgiæ aliquæ donatæ sint, omnino tamen crederem, eas antiquiorem non habuisse auctorem, si ad eam animum intendimus in ea, quæ Dissertatione 58. Italicarum antiquitatum docuit immortalis Muratorius, ubi animadvertit, ut quum prope omnia Christianorum Templa, Deo in honorem Sanctorum dedicata, alicujus Sancti titulo distinctionis causa appellarentur, factum propterea fuisse, ut adjecta Templis illis monasteria, imo & ipsi Episcopatus, eodem nomine denotarentur. Sic Episcopatus S. Zenonis nomine designabatur Epi-

Digitized by Google

Episcopatus Veronensis, Episcopatus S. Apollinaris, erat Episcopatus Ecclesiæ Ravennatensis; Episcopatus S. Ambrosii erat Episcopatus Mediolanensis; Episcopatus S. Geminiani erat Episcopatus Mutinensis, & sic de ceteris, heincque, ut ex monumentis etiam patet ad sæculum VI. pertinentibus, idem bona foret sua S. Petro offerre, atque ea Basilicæ offerre Vaticanæ; sicut oblationes S. Benedicto factæ ad monasterium pertinebant Casinense, Sancto Sylvestro ad monasterium Nonantulanum, S. Vincentio ad Vulturnense &c. His autem ita constitutis, nemo non videt, plurimas ex Liturgiis illis Basilii, Cyrilii, Chrysostomi, aut aliorum nomine insignitas, esse Liturgias posse Episcopis illis antiquiores in Ecclesiis Jerosolymitana, Alexandrina, Constantinopolitana, &c. usurpatas; & quum Ecclesiæ ejusmodi illorum deinde nominibus Sanctorum appellatæ sint, ita & Liturgiæ talibus in Diœcesibus jam receptæ, quamvis essentiam earum, si spectes, habuerint Apostolicam originem, aut Apostolorum ab ætate non adeo remotam. Quamvis igitur tunc Liturgiæ illæ, quod ad singula spectat verba non fuerint scripto traditæ, fuerunt scriptæ tamen quod ad partes earum præcipuas spectabat; Ideoque in iis, quæ mysterii naturam, & dogma respiciunt, originem habent Apostolicam, quod fateri non veretur Ernestus Grabius inter Protestantes doctissimus adnotationibus in Irenæum, & Grotius ipse, qui in voto pro pace Ecclesiæ hæc scripsit: consensus Liturgiarum per omnia loca, ac tempora in precibus illis, ut Deus dona per Spiritum suum sanctificet, eaque faciat Corpus, & Sanguinem Christi, me dubitare non sinit, venire hoc a prima Apostolorum traditione. Hæc ille, quæ aliorum confirmat testimoniis Protestantium adversus Ernestum Tentzelium novissimus operum Cardinalis Bonæ interpres ad locum allegatum.

73. Obj. 2. Nonnullæ Orientales Liturgiæ fuerunt a Romanis Censoribus correctæ, & emendatæ; itaque certi non sumus eas olim continuisse duplicem illam invocationem cui fidunt Romanæ Ecclesiæ Doctores.

74. Respondemus, verum esse aliquas Liturgias fuisse sic emendatas; sed in quonam? in eo certe, ut dum antea invocatio Sancti Spiritus sequeretur ad verba institutionis, factum fuerit, ut prius invocaretur Sanctus Spiritus, deinde institutionis verba sequerentur; quemadmodum ostendit Richardus Simonius, uberioribus notis in Apologiam Gabrielis Severi, ubi tamen Liturgias illas absque emendationibus, & correctionibus Romanis idem edidit, in quibus, eo quo apud Orientales usurpantur modo editis, adhuc duplicem invenimus invocationem, alteram super dona, ut transmutentur in Corpus, & Sanguinem Christi, alteram, ut nobis incrementum gratiæ adferant, & sanctitatem.

75. Ceterum tanto minus obesse debet una, aut altera Liturgia sic correcta, & emendata, quanto plurimæ prostant intactæ, tum a Catholicis, tum a Protestantibus ex antiquissimis mss. Codicibus editæ, & illustratæ, quæ nullam passæ mutationem, duas illas, de quibus agimus, semper habent invocationes. Sane fundamentum hoc maximi nobis videtur ponderis & auctoritatis. Habemus scilicet tum professiones fidei, tum Liturgias, quam usurpant Melchitæ, Georgiani, Nestoriani, Armeni, Jacobitæ, nobis non solum, sed etiam invicem oppositi; habemus Liturgias usurpatas a Maronitis, Cophtis, Cypriis, Syris, Palæstinis, Ruthenis, &c. in quibus realis præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia celebratur. Num ejusmodi omnes Liturgiæ vitiatæ fuerunt, aut a Romanis Censoribus correctæ? Nil profecto minus; cum præsertim ab ætate, qua fatentur Calviniani hoc dogma fuisse receptum, si paucissimas excipias, prope omnes allegatæ Nationes infinito Romani nominis odio teneantur. Itaque si in earum Liturgiis realis præsentia cernitur, ideo id est, quia a primis Ecclesiarum suarum Conditoribus doctrinam ejusmodi accepere.

76. Obj. 3. Si veteres extassent Liturgiæ, Patres in Conciliis, & in scriptis contra Hæreticos eas citavissent, quod tamen non fecerunt; quin Chrysostomus etiam, & Basilius, qui suas Liturgias scripsere, nullam memorant vetustiorem Liturgiam (a). Ergo &c.

77. Respondemus, hæc nullius esse momenti; cur enim Patres ad Hæreticos convincendos protulissent libros privatos, & particularium Ecclesiarum, qui canonici non erant, cum illis præsertim sæculis, formulæ ipsæ liturgicæ pro diverso Ecclesiarum more in pluribus accidentalibus variassent. Deinde cum Hæreticis illorum temporum non erat quæstio de Eucharistia, sed quam præci-

(a) Duæ circumferuntur Liturgiæ Chrysostomo assertæ, prior ex editione Morelii, & Erasmi Versione, altera ex editione Savilii, perperam tamen utraque, nam & hæ, & cæteræ Chrysostomi nomine vulgatæ posteriorem habent auctorem, siquidem Pallades, Socrates, Theodoretus, totque alii, qui de scriptis illius sancti Patris verba faciunt, nil ejus de Liturgia habent. Eum nunquam Chrysostomum, sed Joannem Constantinopolitanum appellant, quemadmodum & Leo Byzantius, qui sexto labente, aut sæculo septimo ineunte scribebat, quique de Constantinopolitanæ Ecclesiæ Liturgiis agens, Chrysostomianam præterit, de qua denique altum apud Georgium Patriarcham Alexandrinum silentium, qui tamen omnia collegit ad Chrysostomi nomen & decus pertinentia.

Digitized by Google

præcipuæ liturgicæ preces referuntur. Falluntur vero, qui arbitrantur, Chrysostomum, & Basilium primos Liturgias induxisse, cum nonnisi antiquiores, paucis immutatis, proposuerint, & solum reformaverint, ut Claudius Sanctesius Hebroicensis Episcopus in præfatione ad Liturgias Patrum cap. 6. cum aliis ostendit. Ex quo autem ii, aliique Patres Liturgias antiquiores, earum substantia retenta ad suarum usum Ecclesiarum accommodaverint, evenit, ut Liturgiæ ejusmodi nominibus inde illorum Patrum, illarumque Ecclesiarum nuncuparentur.

C A P U T VIII.

Christum vere, proprie, ac substantialiter esse in Sacramento Eucharistico confirmatur ex maxima Christianorum veterum in illud Religione.

78. Id vero primum ostenditur ex Latriæ cultu corpori Christi in Eucharistia præstito; nam Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi V. Mystagogica jubet, ut fidelis ad Eucharistiam pronus, & adorantis in modum accedat. Sanct. Ambrosius lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. in illa Psalmistæ verba: *adorate scabellum pedum ejus*, hæc habet: *itaque per scabellum terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt*. S. Augustinus in eumdem Psalmum 98. *nemo illam carnem manducat, nisi prius adoraverit*. D. Joannes Chrysostomus homilia 62. ad populum Antiochenum inquit: *considera, quaeso, mensa regalis est apposita, rex ipse adest, mensa igitur accumbe, adora, & communica*. Theodoretus eadem adorationis voce utitur erga Eucharistiam Dialogo 2. qui dicitur inconfusus quibus addimus omnium Ecclesiarum Liturgias, Christum in symbolis consecratis adorandum proponentes (*a*); ne dicam de cura veterum, & reverentia erga hoc Sacramentum. Si enim ex Tertulliano libro de corona militis cap. 3. Christiani suo tempore anxie patiebantur, si quid ex Eucharistia in terram decideret; exque Origene homilia 13. in Exodum, reos esse se credebant, & recte credebant fideles, si quando id per negligentiam accidisset, quæ tantæ anxietatis causa? quæ culpa, quod crimen reos constitueret, & recte constitueret? si præter panem, & vinum, meramque figuram aliud nihil agnovissent in Sacramento? aliud ergo, & illud magnum aliquid credebant. Et quid illud, nisi realis Christi in Eucharistia præsentia?

79. Obj. I. Cultus Eucharistiæ debitus non est supremus, & absolutus, sed inferior, atque relativus, quemadmodum patet ex controversia inter Orthodoxos, & Iconoclastas. Siquidem Stephanus Junior quam maxime Catholicus ita ad Constantinum Cæsarem sacrarum imaginum hostem inquiebat: „ *Num* fortasse Corporis, & „ Sanguinis Domini antitypa ab Ecclesia proscri„ bes, ut quæ imaginem, & veram illarum fi„ guram teneant, quæ & adoramus, & oscula„ mur, & eorum perceptione sanctitatem conse„ quimur “: atqui ex hoc concipiendi modo intelligitur, Orthodoxos existimasse cultum Eucharistiæ debitum esse modo relativum, & qualem decet nudam Christi imaginem: itaque ex cultu Eucharistiæ præstito realis præsentia non infertur.

80. Resp. non negare nos concertationem, quæ erat inter Orthodoxos, & Iconoclastas fuisse de cultu tantum inferiori & relativo. Verum dum de antitypis, sive de Eucharisticis speciebus apud Græcos sermo est, vel considerantur ante consecrationem, vel post. Si primo modo, ea quidem Græci relativo & inferiori adorabant cultu, & nunc etiam adorant, veluti dona sancta, & pretiosa, atque materia, ex qua futura sunt Corpus, & Sanguis Christi, quemadmodum contestantur qui de liturgiis scripsere Simeon Thessalonicensis, Gabriel Philadelphiensis Metro-

(*a*) Quid vero ad hæc Calviniani? Dicunt facta Eucharistiæ consecratione, adorari non Christum latentem sub symbolis, sed Deum Patrem, & Christum sedentem ad dexteram Patris in Cælis, qui elementa sanctificantes, divinam per illa sumentibus gratiam concedunt. Sed interpretatio hæc quam falsa sit, dici satis nequit. Num Patres docent, ita Christum esse in Eucharistia adorandum, sicut eum in terris versantem coluerunt Magi in Præsepi, Leprosus, Cæcus sanatus, mulier Cananæa, Apostoli, & Discipuli: atqui ab his omnibus fuit Christus revera præsens adoratus; itaque coram, & revera præsens adorari debet in Eucharistia. Rursus in omnibus Liturgiis Sacerdos peracta consecratione ministri, populus Sacramentum ipsum quam maxime adorant, & supremi cultus protestationes communionis tempore ingeminant. Itaque etiamsi possint tunc fideles Christum & in Cælis ad dexteram Patris sedentem, & in judicio generali venturum, & olim in crucem sublatum menti suæ repræsentare, & colere, immo sacrificium Eucharistiæ revera sit sacrificii crucis repræsentativum, & rememorativum; adhuc tamen ejusmodi non esset, nisi vere, & proprie Corpus, & Sanguinem Christi contineret, ac offerret; proindeque quidquid cultus tunc vel æterno Patri, vel Christo offertur existenti in statu naturali, nihil officit, imo unitur supremo cultui, qui ipsi offerri debet, & revera offertur Eucharistici sub symbolis vere proprieque existenti.

Metropolita, aliique. Verum in casu nullum emergit adversus realem præsentiam argumentum. Si vero de antitypis sermo est post consecrationem, considerari ea adhuc possunt veluti figura, & imago Corporis, & Sanguinis Christi, quæ sub illis continentur, & ut quid a Christi Corpore, & Sanguine distinctum, quo sane in casu fatemur, cultum, qui antitypis, sive solis speciebus Eucharisticis debetur, ejusdem naturæ esse cum eo, quo sacræ imagines, sacraque vasa, & alia omnia, quæ post Sacerdotis benedictionem sacro usui addicuntur, solent honorari; sed hoc non efficit tum Orthodoxos, tum Iconoclastas dubitasse de vero Corpore, & Sanguine Christi illis sub antitypis, aut eos Christum sub illis præsentem absoluto supremoque cultu minime adorasse.

81. Contra est. D. Joannes Damascenus orat. I. de imaginibus scribebat: „ non materiam, sed „ materiæ auctorem adoro: nonne materia est „ felicissimum & beatissimum illud Crucis li- „ gnum? nonne materia mons ille venerandus, „ & sanctus ille Calvariæ locus? nonne denique „ Domini Corpus, & Sanguis materia sunt? Aut „ igitur horum omnium venerationem, cultum- „ que tolle, aut concede, ut Dei, & eorum, „ quæ Deo cari sunt, imagines *incolantur*. " Hoc in loco non agit S. Doctor de antitypis, aut speciebus Eucharisticis a Christi Corpore, & Sanguine distinctis, sed comparat cultum Corpori, & Sanguini Christi debitum cum cultu debito sacris imaginibus; atqui cultus iste est semper inferior, & relativus, nec realem infert in imagine præsentiam; Ergo nec ille.

82. Resp. Claudium Calvinistam imprudenter abuti hoc Damasceni testimonio, in quo neque per somnium de Eucharistia loquitur S. Doctor. Controversia erat inter Damascenum, & Iconoclastas, an ita esset adorandus Deus, ut nefas esset quocumque modo res materiales adorare. Si ita sit, inquiebat Damascenus, itaque nec adoranda erit Christi humanitas, nec adorandum ejus corpus, non Sanguis adorandus, quia res materiales sunt; quo argumentationis genere principium Iconoclastarum evertebat; quippe quorum fides erat humanitatem Christi esse adorandam. Quamvis vero tunc sola quæstio esset num res nulla materialis posset adorari, attamen, ut majori cultu, quam puras imagines, Corpus, & Sanguinem Christi adorari contestaretur S. P., quid, obsecro eodem in loco ait? „ Ista sane: „ quamquam Dei corpus est Deus propter divi- „ nitatis, atque humanitatis conjunctionem ". Si igitur Corpus Christi, & Sanguis, ubicumque, & quocumque in statu fuerint, Damasceno teste, tamquam Deus colebatur, certe non inferiori, & relativo, sed absoluto, & supremo adorantur cultu: quumque ad hominem, ut ajunt, sive ex ipsis adversariorum principiis tunc argumentaretur Damascenus, sequitur istos quoque Corpus, & Sanguinem Christi, licet res materiales, tamquam Corpus, & Sanguinem Dei, ideoque tamquam Deum in Eucharistia adorasse.

83. Obj. 2. Recentiores præsertim Calviniani nonnulla antiquitatis facta, eorum opinione non adeo facile cum fide præsentiæ realis in Eucharistico Sacramento componenda. Nam, inquiunt, Veteres Romani Pontifices Eucharistiam in signum communionis Ecclesiasticæ ad alios longe dissitos Episcopos mittebant; Laici eam in manibus sumebant; ea se absinergebant Infirmi, ejusque reliquias Presbyteri sæpe comburebant; Defunctorum ori aliquando ingerebant, & cum cadaveribus sepeliebant; in Ecclesiarum Dedicatione altari cum calce, & maltha includebant Episcopi; & calamis in calice consecrato intinctis, depositiones, & excommunicationes Hæreticorum subscribebant, aliisque utebantur modis a fide realis præsentiæ profecto alienis."

84. Difficultatibus ejusmodi ut abunde, plenèque satisfieret, possent facta allegata in examen revocari, & idoneis ostendi posset testimoniis eorum plurima ex auctoribus perperam admissa, aut intellectis esse derivata. Verum ne in eruditione magis, quam in Theologia videamur versari, Respondemus I. cum nonnullis Theologis, eos quidem, qui objecta facta cum hodierna observatione metiri volunt, debitam Sanctæ Eucharistiæ reverentiam in illis desideraturos. Longe tamen alia erat nonnullorum Veterum opinio, qui nihil exinde honoris Christo debiti detractum censebant; nec enim nesciebant Deum fidem, & cordis intentionem præcipue respicere, Christumque in Eucharistiæ institutione se se infinito modo demisisse, nec magis in ore, & corpore humano tot infirmitatibus subjecto honorari, quam aut vulneri ægroti, aut cadaveri applicatum: præsertim quum immortale, & gloriosum Christi corpus ineffabili existens Eucharisticis sub speciebus modo, nec lædi, nec pati, nec affici ulla possit injuria, sed in solas cadat species si quid imprudenter circa Sacramentum agitur, ea ratione, qua nihil ex splendore Solis decidit sive in auro, sive in luto fulgeat, ex quo sequitur, quidquid Calviniani contemptum prope judicant, Veteres in obsequii argumentum usurpasse.

85. Cum præstantioribus tamen aliis respondebimus 2. ex superioribus factis non statim inferendum Veteres Christum in Eucharistia præsentem aut non agnovisse, aut non adorasse: recta enim numinis colendi ratio non ab indocta & præpostera privatorum quorumdam religione, sed ab Ecclesia repetenda est. Si quid eorum, quæ afferuntur, probatum olim fuisse ab Ecclesia, demonstrari posset, tunc utique exempla illa absonæ religionis contra Catholicum dogma aliquid evincerent; at privatorum indocta religio, vel potius superstitio duo hæc inter se facillime componit, & ut recte de Eucharistia credat, illamque adoret, & ut minus recte, & contra solidæ pie-

Digitized by Google

pietatis leges per simplicitatem, aut ignorantiam, aut imprudentiam Sacramentum pertractet: adeo vero abest, ut præposteros illos privatorum quorumdam circa Eucharistiam mores probaverit Catholica Ecclesia, ut eos in Synodis quam maxime reprehenderit, & per leges sanctissimas abrogandas esse statuerit, non alios adoptans ritus, quam qui significare supremum valeant erga Eucharistiam cultum, quod utique certum & apertum est præsentiæ realis in ea perpetuo creditæ argumentum.

86. Obj. 3. Abbadiæus in suo de veritate religionis, ut ait, reformatæ, libro: Veteres Romani Pontifices Eucharistiam in signum communionis Ecclesiasticæ ad alios longe dissitos Episcopos mittebant, quemadmodum colligitur ex Epistola Irenæi ad Victorem Pontificem apud Eusebium lib. 5. historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. Quis imaginetur vero, ita actum cum Eucharistia fuisse, si præsentiam in ea realem Veteres illi credidissent? Facile ne conceptu est, pretiosum adeo pignus fuisse itinerum periculo, irreverentiæ, & profanationi expositum? minime sane gentium. Itaque id Romani illi præsules præstabant, propterea quod realem præsentiam minime credebant. Ex oratione vero funebri D. Gregorii Nazianzeni in sororem suam Intelligimus, eam non dubitasse abstergere se Eucharisticis antitypis, quare morbo mederetur suo, & ab eo liberaretur. Quod factum cum Gregorius celebret, ac laudet, inferendum ducunt adversarii, Gregorium, & sororem ab hodierno cogitandi Orthodoxorum modo longe abfuisse. Quid quod in solemni Ecclesiarum dedicatione tres portiones ex Dominico corpore olim detractas, altari cum calce, & maltha includi solitas fuisse narrat Edmundus Martene lib. 1. de antiquis Ecclesiæ ritibus cap. 5. art. 4. fœdera quoque, & amicitias sancitas hausto a laicis Christi Sanguine ostendit Pagius in adnotationibus ad Baronium ad annum 520. num. 2.; & Mabillonius de re diplomatica §. 4.; denique ad annum 648. narrat ex Theophane Baronius, Theodorum Romanum Pontificem ex consecrato calice Sanguinem Christi attramento affudisse, & calamo ibi intincto depositionem Pyrrhi Monothelitæ subscripsisse; quod & a Patribus Concilii Constantinopolitani factum in damnatione Photii ex Niceta subdit idem annalium parens ad annum 849. Hæc autem posteriora horrenda sunt dictu, horrendaque auditu, factu vero impia, & sacrilega, si Theodorus, & Constantinopolitani Patres Christum Eucharisticis in speciebus esse credidissent. Quod cum tantis de viris existimandum non sit, sequitur, symbola eos Eucharistica nil aliud existimasse, quam corporis Christi signa.

87. Ejusmodi tamen objectis respondemus facile. Nam ad Epistolam Irenæi recte animadvertit Renanus in adnotationibus ad marginem Ruffini, textum nil aliud denotare, quam, ad Episcopos Asiaticos, quamvis in ritu Paschatis celebrandæ tunc ab Ecclesia Romana dissidentes, si quando tamen Romam venissent, fuisse Eucharistiam a Romanis Pontificibus in signum communionis missam, cum persecutionis metu libere congregari non possent; huncque esse verborum Irenæi sensum adnotat etiam Vossius disputatione 1. de sacris cœnæ Dominicæ symbolis, & ex his, quæ sequuntur, confirmatur adhuc magis; subdit enim statim Irenæus: cumque Beatissimus Polycarpus tempore Aniceti Romam venisset, atque inter illos, de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, adhuc tamen mutuo se pacis osculo complexi sunt, hoc de capite non magnopere inter se *contendentes*. Non igitur loquitur Irenæus de Eucharistia ad longe dissitos transmissa (emittebatur quippe solis ægrotis, & martyribus in carcere detentis) sed solum de eadem Asiaticis, dum Romæ essent, tametsi in Paschæ ritu dissidentibus concessa (*a*). Celebre est profecto responsum Innocentii I. in Epist. ad Decentium cap. V. *De fermento vero, quod die Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ; quarum Presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos; quod per Paracias fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt Sacramenta, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habent, & potestatem.* Videatur Petrus Coustant de Eucharistia. Porro si non longe deferendæ erant Eulogiæ, multo minus Eucharistia: sique hæc fuerit fermenti nomine donata, cum mitti non deberet ad Ecclesias rurales, multo minus debuit, aut potuit ad longius dissitos Asiaticos Episcopos transmitti (*b*).

88. Argumento ex facto sororis D. Gregorii desumpto occurrit Alexander Eladius natione Græcus, quem perperam inter latinizantes Calvinisni numerarent, cum antilatinum potius suis se in lucubrationibus ostentet, nobisque in re modo Sacramentaria consentiat. Occurrit, inquam, in tra-

(*a*) Concilium Laodicenum Canone XIV. *Sancta instar Eulogiarum, in festo Paschatis in alias Parœcias transmitti non debere*. Sancta, id est, sacramenta Corporis, & Sanguinis Christi sic vocata, ut aliis testimoniis ostendit Svicerus ad vocem *Agios* in Lexico.

(*b*) Inter Augustini Epistolas igitur XXIV. editionis Maurinæ est Paulini, & Therasiæ ad Alypium.

in tractatione nonnullarum controversiarum edita ad calcem operis, cui titulus: *Status præsens totius Ecclesiæ Græcæ*, aitque antityporum nomine non intelligendam esse Eucharistiam, sed panem, & vinum consecrationi destinatum, & ante consecrationem veluti per oblationem benedictum, quem pro veteri disciplina Græci venerari soliti, infirmis præsertim distribuunt, & alios in fines usurpant; panem hujusmodi, & vinum antitypa esse illa, quibus Gregorii soror usa est; ideoque nulla affecisse Sacramentum irreverentia; quare satius in rem nostram factum illud vindicare valeamus (*a*).

89. Relate tandem ad factum Theodori Pontificis, Patrumque, qui Photium damnaverunt, sunt qui de ipsius veritate dubitent; tum quod nil ejusmodi unquam repertum sit inter cæremonias, & ritus Ecclesiæ Romanæ, atque etiam Græcorum; tum quod nil simile egerint Pontifices, qui summos etiam Hæreticos damnaverunt, sive ante, sive post Theodorum, tum denique ex silentio scriptorum omnium, exceptis Theophane relate ad Theodorum, & Niceta relate ad Patres Constantinopolitanos. Verum nullius pene auctoritatis est Theophanes, ut ceteris cum Criticis monet Cavæus in sæculo Iconoclastico. Nicetas autem se auditu rem accepisse esse testatur, de qua horret quam maxime, quare id Græcis usu receptum minime fuisse intelligamus. Etiamsi tamen id revera evenisset, nihil ea veluti Dominici Sanguinis abusione irreverentia gravius a præfatis Theodoro, Patribusque Constantinopolitanis putaverim, inquit Combefisius in historia Monotelitharum disp. 1. §. 13. uti nec a Basilio, cum voluit secum Dominici *Corporis particulam sepeliri; nihil siquidem patitur Dominus sub symbolis, estque juris Ecclesiæ excepta sumptione, ac Christi in eis adoratione, aut tali, aut tali modo, dummodo tantum pio aliquo fine debeamus ad ea nos habere, unde nec idem semper, nec apud omnes obtinuit in Eucharistiam ritus*. Ita ille.

90. Obj. 4. Ab adoratione ad præsentiam realem non valet consequentia; nam Græci, Rutheni, & Russi nunc etiam pro sua Liturgia ante præparationem calicis incensis cereis panem consecrandum cum vino, & aqua calida fusa cum reverentia summa spectandum populo offerunt, & circumferunt, ubi populus pronus cadit, & adorat, & post in altari positum, & consecratum nemo veneratur, neque elevatur, quemadmodum præter alios Scriptores testatur Petrus Arcudius lib. 3. de Concordia Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ in administratione Sacramentorum cap. 19. & sequentibus; itaque ex quo Eucharistica symbola fuerint a primis etiam Christianis adorata, non sequitur, eosdem realem præsentiam admisisse.

Respondeo, aliquod revera haberi illius querelæ fundamentum, cum ut morem illum tueantur, ob causæ difficultatem inter Græcos non conveniat. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui sæculo XIII. vixit, in suæ Liturgiæ expositione ait, adorationem illam respicere, adumbrareque ingressum Christi a Bethania in Jerusalem, ubi Dominus a procumbentibus fuit adoratus. Neque melius nodum solvit Nicolaus Cabasilas, qui in Liturgiæ pariter expositione cap. 24. eum ritum non ab Ecclesia inductum esse ait, sed a populo ignaro figura præsanctificatorum donorum decepto, differentiamque præsanctificatorum, & sanctificandorum ignorante. Rectius Gabriel Philadelphiensis, qui Apologiam pro Ecclesia Orientali scripsit, ubi inquit: *adoramus hæc dona sancta etiam inclinato capite, tamquam dona pretiosa, & veneranda, materiamque, quæ futura est necessario Corpus, & Sanguis Christi; non vero latria adoramus, quandoquidem nedum perfectum Corpus, & Sanguis Christi sunt*. Quam ipsam responsionem adoptat Simon Thessalonicensis in libro de Liturgia, ubi ait, non alium donis consecrandis honorem a Græcis deferri, ac Sanctis Imaginibus, quemadmodum Leo Allatius, Jaco-

---

pium Episcopum, in cujus fine scribitur: *Panem unum sanctitati tuæ unitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem Eulogiam esse tu facies dignatione sumendi*. Epistola vero sequenti, quæ est Paulini ad Augustinum, rursus in fine: *Panem unum, quem unanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas*. Epistola num XXXII. iterum Paulinus, & Therasia ad Romanianum: *Ne vacuum fraterna humanitatis officium videretur, de bucellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi, pariter ex filio nostro Licentio misimus*. Adnotant Maurini editores, buccellatum vocatum fuisse militarem panem ad buccellæ fere modum confectum, ut ad usus diuturnitatem facilius excoqueretur, de quo Ammianus lib. 17.

(*a*) Gregorius Nazianzenus orat. XI. Cum caput suum pari cum clamore, lacrymisque, quibus abundabat (muliercula illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit) altari admovisset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, quam sanitatem obtinuisset, ac deinde hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset, etsi quid uspiam antityporum pretiosi Corporis, aut Sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset (oh rem admirandam!) statim liberatam se morbo sensit, atque & corpore, & animo, & mente levis discedit, pro spei mercede, id quod speraverat, consecuta, & per animæ robur accipiens.

Digitized by Google

Jacobus Goarius, & Richardus Simonius etiam tuentur, qui calumniam Græcis irrogatam ajunt, dum postulantur, quod consecrata Eucharistiæ dona non adorent, reclamante ea, quam usurpant, Chrysostomi Liturgia, juxta quam certe Sacerdos, ministri, & populus, consecratione facta, quam maxime adorant, & Græcorum quisque dicit: *credo Domine, & confiteor, quia tu es Christus Filius Dei vivi*. Quas supremi cultus protestationes, communionis tempore ferventiori affectu ingeminant, & alia præstant a nostris quidem ritibus diversa; sed certam realis præsentiæ fidem contestantia.

CAPUT IX.

De falsa origine, quam adversarii doctrinæ tribuunt Orthodoxæ.

91. INter generalia argumenta forensi voce præscriptiones a Tertulliano appellata, quibus realem præsentiam Catholici ostendunt, non infimum illud tenet locum, quo animadvertunt, hanc persuasionem perpetuo Christianorum animis hæsisse, adeo ut ad ipsam Christianismi prædicationem, & initium referenda esse intelligatur. Verum Calviniani nonnulli, quo novum esse hoc dogma ostenderent, originem ipsius ad sequiora referre tempora conati sunt. Aliqui enim ad Iconoclasticarum tempus quæstionum illud retraxere, alii ad ætatem Paschasii Corbejensis, alii sensim sine sensu inductum fuisse, tandem ajunt, Lateranensi in Concilio sub Innocentio III. tamquam fidei caput constitutum, & decretum.

92. Primi vero rem ita efferunt; Dum Iconoclastæ in synodo Constantinopolitana anni 754. toti essent, ut imaginum cultum oppugnarent, cetera inter argumenta illud in medium protulere, Christum non aliam nobis imaginem sui reliquisse adorandam quam Eucharistiam. Orthodoxi Patres, qui in Concilio Nicæno II. argumenta sibi illa oppugnanda sumpsere, responderunt, in Eucharistia non imaginem; sed vere, & proprie corpus Christi esse. His præconceptis, ita argumentantur adversarii. Iconoclastæ, quorum error non alius esse credebatur, quam a cultu sacrarum imaginum aversio, & quorum alia numquam fuit Eucharistico de Sacramento fides, quam Christianorum illius ætatis omnium, veluti doctrinam communem, & receptam ponebant, in Eucharistia esse imaginem corporis Christi; imo animadvertebant, Christum non instituisse hoc Sacramentum in pane figuram humanam repræsentante, ne daretur occasio idololatriæ, propiereaque vere, & realiter corpus Christi in Sacramento adesse non existimabant; quippe hoc in casu, etiamsi panis Eucharisticus figuram, & imaginem hominis haberet, nullus fuisset timendæ idololatriæ locus. Dum igitur Patres Orthodoxi in synodo Nicæna responderunt, in Eucharistia non imaginem Christi, sed ipsum adesse Christum, rem novam protulere, quæ primum dedit dogmati realis præsentiæ fundamentum (*a*).

93. Falsum tamen est ejusmodi ratiocinium. Primo siquidem Iconoclastæ expresse asserebant, verum in Eucharistia esse Christi corpus, quod ex eorum verbis patet ita se habentibus: hoc enim molitus est Dominus Jesus, ut sicut carnem,

(*a*) Joannes Lightfootius in horis hebraicis ad Evangel. Lucæ cap. 22. *Hoc est Corpus meum*: Propter præsentem Paschizationem, respicere optime possunt hæc verba corpus agni Paschalis; *Corpus*, inquam, *agni Paschalis*, nam ipsissimam istam Phrasiologin de eo adhibuere Judæi. Maimonides in Hhamets umarsah cap. 8. *Introducunt mensam paratam, in qua sunt herbæ amaræ, atque olera alia, & panis azymus, & pulmentum, & corpus agni Paschalis*. Atque aliquanto post: *Comedite de corpore Paschatis*. Christianus Thomasius in Cautelis circa studium Theologicum num. 17. in Joannis de Hispania Theologi Galli opusculis se Tractatulum de manducatione Corporis Christi legisse dicit, ubi ex antiquitatibus Judaicis institutionem sacræ Cænæ explicabat. In eo habetur, salvatorem loco verborum antea usitatorum: *Accipite, edite, hic est panis afflictionis, quem majores nostri in Egypto comederunt &c.* substituisse illa: *accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*. deprehendebam, subdit, exilla explicatione, controversiam inter nos, & Reformatos de sensu verborum Cænæ ita evidenter definiri, ut crederem, si ista Historia antiquitatum Judaicarum tempore Lutheri, & Zvvinglii nota fuisset, litem de sensu verborum Cænæ ortam facillime potuisse componi. Sed quia tamen non constabat, unde antiquitates illæ Judaicæ haustæ essent, & in horis Hebraicis Lightfooti antiquitates Judaicas quoad ritus Paschales paulo aliter adduci, certe formulam illam veterem non iis verbis, uti modo memoratus Auctor retulerat, relatam deprehenderam; cogebar judicium meum adhuc paulisper suspendere. Videtur sic habere, & Hammondus not. ad num. 7. in l. Matthæi de instit. cænæ. Utique quemadmodum Joannes de Hispania, habet Liber officialis Judæorum, quem hoc in loco exscribit Richardus Simonius notis in Apologiam Gabrielis Severi Metropolitæ Philadelphi pag. 171. Christophorus Matthæus Pfaffius in Dissert. de Oblatione veterum Eucharistica §. V. ubi ritus Eucharisticos ex ritibus Judaicis, maxime Paschalibus derivatos esse ostendit, scribit in verbis Christi. H. B. C. M. Ubi itidem & vox σῶμα ex Judaica φραίτ debet derivari. Judæis enim Agnus Paschalis assus, inque mensa

Digitized by Google

nem, quam suscepit propria secundum naturam sanctificatione ex ipsa unione Deificavit; similiter Eucharistiæ panem, ut veram imaginem naturalis carnis per adventum Spiritus Sancti sanctificatam divinum corpus fieri voluit. Pro ipsorum igitur concipiendi modo Eucharistia imago quædam erat Christi, sed imago plena, imago, ut ajebant, non mendax, imago rem continens, cujus imago erat; propterea que sola, ut inferebant, adoranda, quia reliquiæ manufactæ imagines nil eorum continent, quorum sunt imagines; ideoque ex Iconoclastarum principiis, & ratiocinio realis præsentia potius confirmatur.

94. Secundo, dum juxta principia dicebant sua Iconoclastæ, Christum instituisse Eucharistiam in pane figuram humanam non habente, ne induceretur idololatria, præsentiam iterum realem asserebant. Ideo enim juxta ipsos, voluerat Christus Eucharistiam humanam formam non habere, ne creaturam, aut similitudinem creaturæ homo adoraret. Itaque illam adorandam esse præconcipiebant; neque alia certe de causa, nisi quia Christum Deum, eorum etiam opinione continebat. Quod maxime confirmatur ex Stephano juniore Orthodoxo ita ad Constantinum Copronimum Imperatorem Iconoclastam scribente: *an vis etiam sacra antitypa Corporis, & Sanguinis Christi ab Ecclesia amandari, quia imaginem veram continent, & eam adoramus?* præconceptum habet ita dum argumentatur Orthodoxus, Iconoclastas sacra antitypa reliquisse intacta, & Eucharistiam adorasse.

95. Tertio. Si dicentibus Catholicis, Eucharistiam non imaginem Christi, sed ipsius vere corpus continere, Iconoclastæ id æque non credidissent, non poterat non fieri, quin sepostita minori controversia de cultu imaginum, major statim exardesceret de veritate Christi Corporis in Eucharistia, Orthodoxis eam propugnantibus, negantibus Iconoclastis. Verum id non contigit, neque Calviniani erroris relate ad Eucharistiam Iconoclastas unquam postulavere Orthodoxi. Quare id vero? Sane quia apud utrosque idem hoc in capite erat constitutum. Denique Concil. Nicænum II. a Patribus Latinis Synodi Francofordiensis rejectum, & damnatum fuit, quod errore facti existimarent Latini illi Patres, divinum cultum fuisse illo in Canone sacris imaginibus decretum. Quanto majore studio in idem Concilium exarsissent ob præsentiam realem ab eodem primum excogitatam? Verum neque id evenisse intelligimus, quia scilicet ea perpetua jam & constans fides erat Ecclesiarum omnium Occidentalium.

96. Felicior non est hypothesis illorum, qui præsentiæ realis doctrinam primum inductam fuisse contendunt a Paschasio Monacho Corbejensi, qui circa annum 831. librum de Corpore, & Sanguine Domini conscripsit. Ut quid enim, inquiunt in juniorum gratiam Monachorum, dogma ejusmodi explicare perrexit, si per Catechismos illis abunde jam innotescere oportuit? Nonne testatur Paschasius ipse commentario in caput 26. Matthæi, se propterea a quibusdam fuisse reprehensum, quasi Christi verbis plus tribuerit, quam veritas ipsa repromiserat? In Epistola æque ad Frudegandum fatetur, plures fuisse ad lectionem sui operis commotos; evidens, novam in eo traditam fuisse doctrinam, signum, & indicium, contra quam revera insurrexere Amalarius, Eribaldus, Rabanus, Ratrhamnus, aliique; fuit ille igitur ea in re nono sæculo novator.

97. Felicior, inquam, non est hypothesis ejusmodi. Quod enim eorum in gratiam, qui recens apud Saxones Christianam ad fidem perducti fuerant doctrinam Eucharistiæ explicandam sibi sumpserit Paschasius, inde inferri non debet, eam ab ipso fuisse primum inventam; alias sequeretur profecto, infinitos illos, qui sacrum sibi sumunt illustrandum argumentum, esse novatores. Ita vero stilum temperavit suum ille auctor, ut non aliud a se expositum iri professus sit, quam quod universa semper credidit Ecclesia, & phrasibus usus est alienis profecto a ratione dicendi eorum, qui nomen ambiunt inventoris.

98. Fatemur, nonnullos nominis obscuri homines ex ignorantia, & occulte fuisse Paschasio, dum viveret adversatos; neminem tamen dignitate, aut scientia fidei insignem. Ipso autem defuncto aliqui contra ipsum scripsere, non tamen circa præsentiam realem, & dogmatis essentiam; sed circa quæstiones incidentes, & accidentales nondum ætate illa satis evolutas. Illud præsertim in controversiam venerat, an idem omnino corpus esset dicendum in Eucharistia, quod ex Maria Virgine natum est, crucifixum &c. Quod nonnulli eorum, qui contra Paschasium scripsere, inficiabantur propter sacramentalem existendi modum a modo existendi naturali adeo diversum; quare, ob diversa, quæ corpori tunc conveniunt proprietates, idem non debere dici corpus inferebant. Quærebatur, an Eucharistiæ species essent signum, modus, figura, & Sacramentum

---

mensa positus, olim dicebatur, *Corpus Paschatis*. Hac sine dubio allusit Christus, ut innueret, Discipulos quidem suos hactenus *Corpus Paschatis* comedisse, hoc est, typum corporis sui in mortem mox tradendi, nunc vero se ipsis dare verum *Corpus suum*, in locum typorum veteris Testamenti tamquam complementum successurum.

Digitized by Google

rum corporis, an vero Corpus ipsum Christi, quod sæpe adeo dicitur frangi, comedi, videri &c. Alia demum quærebantur, quibus probe perspectis intelligimus in diverso tantum concipiendi, exprimendique modo fuisse universam controversiam constitutam. Ratramnus Paschasii adversarius docebat Corpus Christi in Eucharistia esse non corporaliter, sed spiritualiter, neque aliud significare volebat tamen, ut ex contextu intelligimus, quam quod scripserat Paschasius ipse in Epistola ad Brochardum: *totum spirituale est quod celebratur in Sacramento*, spirituale non opponens reali, & substantiali, sed visibili, & manifesto; sicut corporaliter non negabatur de substantia, & veritate, sed exteriori dumtaxat de specie, & de modo existendi corporeo, & extenso.

99. Quis imaginari vero valeat, privatum hominem, & Monachum inducere novum dogma in Ecclesiam potuisse, silentibus Parochis omnibus, Doctoribus, Episcopis, Synodis, Pontificibus? ast non statim id evenit, inquiunt adversarii, sed paullatim, & sensim sine sensu, quemadmodum in variatione tot rituum, & opinionum contigit; pluribus primum non animadvertentibus, paucis etiam obmurmurantibus, nonnullis dissimulantibus metu scandali, nonnullis humanæ prudentiæ causa conniventibus; adeo ut unius, vel alterius spatio sæculi illam in opinionem majori parte descendente, minorem ad se traxerit, ut fieri solet, partem, effeceritque, ut communior demum sententia fuerit Conciliis definita. Verum neque hoc pacto rem confi iunt adversarii: quamvis enim falsam per hypothesim id evenire potuisset Latina in Ecclesia, quomodo obsecro, novum dogma in Græcos irrepsisset, atque innumeros in Orientis populos, Melchitas, Georgianos, & Nestorianos, Jacobitas, Armenos, nobis non solum, sed etiam invicem oppositos? prostant vetustissimæ illarum Ecclesiarum Liturgiæ, prostant fidei professiones, sive illarum, quæ apud Maronitas, Coptos, & Cyprios, sive quæ apud Ægyptios fuere, Palæstinos, & Syros, Moscorum etiam, & Ruthenorum, in quibus realis præsentia celebratur. Num arbitrabimur, apud illos etiam omnes sensim sine sensu, sine strepitu, sine motu irrepere doctrinam potuisse, quam nunquam credidissent? num moveri ipsos potuisse a Doctoribus, Synodis, Pontificibus, & moribus Latinis, quos ab ætate præsertim Paschasii quammaxime aversati sunt? nunquam certe tam arduum, tam altum, tam ineffabile mysterium admisissent, nisi illud ab avis, atavisque suis, & ab eorum majoribus receptum, ab Apostolis traditum, a Christo denique ipso habuissent constitutum.

CAPUT X.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

100. Materia hujus sacramenti non ea intelligitur, quæ in ipso permanet, sed ea ex qua fit hoc Sacramentum. Hanc autem esse solum verum triticeum panem, & solum verum vitis vinum, Evangelica ex historia, & perpetuo Ecclesiæ usu certum est, uti testantur Concil. III. Carthaginensis verba cap. 24. nempe: in sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum. Plurima inquiri hic tamen solent; an scilicet ejusmodi materia saltem in necessitatis casu possit alia suppleri, an pane azymo usa semper fuerit Ecclesia Latina, quemadmodum Græca fermentato; an idonea demum sit ejusmodi Latinorum consuetudo, dum præsertim subtilibus oblatis ad imaginem numorum redactis utuntur.

Et de priori quidem quæstione Joannes Gerardus Vossius disput. 1. de sacris cœnæ Dominicæ symbolis Calvini, Bezæ, Mellanctonis, aliorumque secutus opinionem Protestantium, quibus regionibus tritici panis usus non est, licere ait usurpare quod panis implet vices. Nam cum Christo propositum fuerit symbolis eorum, quibus corpus nutritur repræsentare alimoniam spiritualem; nihil vel a Christi scopo, vel a fidei analogia aberrare consecutus est, qui non divinæ institutionis neglectu, sed necessitate compulsus materiam panis adhiberet regionibus, quibus vivit, usurpatam, nam cum ea corpus nutriatur, & roboretur, permanet analogia inter signum, & signatum. Idemque disputatione. 4. statuit de vino, ubi nullus est scilicet vini usus, licere vel aqua simplici, vel alio uti illic usitato potionis genere, quod mutuam conjunctionem spiritualem in convivio testificandum satis esse arbitratur (a).

101. Verum, præterquamquod hominum nulli tantum potest, aut debet tribui arbitrium, ut institutiones Christi apertissimas valeat immutare, neque fas est in sacramentis conficiendis eut opinione probabili uti, aut materia incerta. Plura adhuc

(a) Voltaire Préface au second Tome del'Histoire del'Empire de Russie sous Pierre le Grand. p. VIII. Depuis què la Cour de Russie a assujetti les Kamshatkales en batissant cinq forteresses dans leur Pais, on leur a annoncè la Religion Grecque. Un Gentilhome Russe tres-instruit m' a dit qu' une de leurs grandes objections ètoit, que ce culte ne pouvoit ètre fait pour eux, puisque le pain & le vin sont necessaires, & qu'ils ne peuvent avoir ni pain ni vin dans leur pais.

adhuc sunt in Protestantium hypothesi errata. Aliquorum adferunt ipsi quidem testimonia scriptorum, quibus intelligimus, populos nonnullos panem ex aliis materiis facere consuetos esse. Ast id ad rem non facit; opus enim fuisset, ut ostenderent populos inveniri aliquos, quibus nulla esse potest tritici minima etiam copia, ex quo panem facere ipsis possibile non esset. Id autem quis unquam valeat demonstrare? Plinius libro historiæ naturalis 18. cap. 8. scribit, tritico nihil esse fertilius: hoc ei natura tribuit, quoniam eo maxime alar hominem; utpote cum e modio, si sit aptum solum, quale in Bisacio Africæ campo, centeni modii reddantur. Misit ex eo loco Divo Augusto Procurator ejus ex uno grano (vix credibile dictu) quadraginta paucis minus germina; extantque de ea re Epistolæ. Misit & Neroni similiter tercentas quadraginta stipulas ex uno grano, cum centesimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt, aliique & tota Bettica, & in primis Ægyptus fertilissima tritici genera, ramorum, aut quod centigranum vocant. Inventus est jam & scapus unus centum fabis onustus. Eat nunc Vossius, & nobis objiciat Ægyptios panem ex materia diversa a tritico facientes; cum enim deliciarum magis, quam necessitatis causa id ipsi, quemadmodum alii fortasse populi præstiterint, perviumque adeo omnibus sit triticum habere, cur eo non uterentur, Eucharistiæ pro Christi institutione, & præcepto conficiendæ?

102. Non ita commune vinum est. Verum fatetur Vossius ipse loco allegato, aqua, aliisque potionibus non salvari analogiam inter signum, & signatum; cum solo vino ex multis acinis collecto repræsentetur corpus fidelium tam sancto vinculo charitatis colligatum, neque aqua recte repræsentetur Sanguis Christi a corpore in passione, & morte separatus; neque ad lætitiam, quemadmodum vinum cor hominis exhilaret; sicut enim pane, & vino producuntur mortales ad saturitatem, & ad profusam quamdam animi dulcedinem; ita voluit Christus frequentatione Eucharistici mysterii eo fideles perduci, ubi divinitatis contemplatione perfecte satiarentur, atque inebriarentur ab ubertate domus Dei. Sicut igitur Catholica Ecclesia semper veteres illos damnavit hæreticos, Artotritas nempe, Cathaphrigas, Pepuzianos, Aquarios, Manichæos quoscumque ab institutione, & præcepto Christi in celebratione Eucharistiæ recedentes; ita non potest non damnare Protestantes illos, qui tantam aut sibi permitterent, aut aliis libertatem.

103. Perperam siquidem obtenditur necessitatis casus, cum esse non possit, nisi vel præconcipiatur Eucharistiam esse necessariam necessitate medii ad salutem, vel omnibus esse tribuendum Sacramentum sub utraque specie, quo sane præconcepto tantam aliquibus in locis non reperient vini quantitatem, quæ sit Eucharistiæ celebrandæ satis. Verum cum vini species necessario sumi debeat, ut ostendemus, a solis celebrantibus, hinc nullus est locus ad quem exigua illa vini quantitas, quæ necessaria sit, deferri non possit. Quod si hæc quoque desit, cum actualis Eucharistiæ perceptio, ut explicabimus, necessaria non sit necessitate medii ad salutem, eo in casu prætermittendam magis statuunt Theologi Orthodoxi Eucharistiam, quam materia, & modo a Christi institutione alieno frustra permittendum.

CAPUT XI.

De Azymo, & Fermentato.

104. Constanter tenendum est, valere consecrationem panis, sive azymus sit, sive fermentatus, cum uterque vera panis substantia sit. Ideoque Eugenius IV. in litteris Sanctæ unionis rectissime statuit: *Definimus in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta sua Ecclesiæ Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* In quæstionem venit tamen utrum latina Ecclesia azymo semper usa sit, an vero etiam aliquando fermentato.

105. Tres autem hac de re sunt opiniones. Mabillonius, & Christianus Lupus existimant latinam Ecclesiam in Eucharistia conficienda azymum panem constantissime adhibuisse. Ex opposito Jacobus Syrmundus contendit, Ecclesiam latinam per octingentos & amplius annos fermentatum panem consecravisse, postea vero azymum mutare incepisse. Cardinalis demum Bona lib. rerum liturgicarum 1. cap. 73. docet, primis octo, aut novem Ecclesiæ sæculis majores nostros nullum inter fermentatum, & azymum panem agnovisse discrimen: ita ut Ecclesia saltem latina pro temporum, & locorum diversitate modo unum, modo alterum ad altare obtulerit. Eminet in præsens ejusmodi opinio, non tam ob dignitatem vindicum, & gravitatem fundamentorum, quam quod in confesso sit, adiaphoris in ritibus & consuetudinibus maxima olim Ecclesias, & Episcopos gavisos fuisse libertate.

106. Prioris est sententiæ D. Thomas, quæ si de Romana præsertim Ecclesia intelligatur, idoneis non caret fundamentis. Etenim cum Michael Cærularius usum azymi panis tamquam materiæ nequaquam ad Eucharistiam conficiendam aptæ latinis exprobrasset, Leo IX. Pontifex Romanus in epistola ad Cærularium ipsum scripta, respondit Romanam Ecclesiam per annos mille, & eo amplius azymum panem semper consecravisse, hancque consuetudinem ab Apostolorum institutione, & traditione accepisse. Innocentius quoque III. lib. 4. de Missa cap. 9. protestatus est, ritum consecrandi azymi panis ab Apostolis Romanam

tinuam Ecclesiam accepisse, & constanter, continenterque retinuisse. Gregorius VII. in epistola ad Archiepiscopum Synadensem Armenum, post narratas recentiorum adversus nos Græcorum criminationes scripsit, *Nos azymum nostrum inexpugnabili secundum Dominum ratione defendentes, ipsorum fermentatum nec reprobamus*. Sed & hujus consuetudinis antiquiores quid faciunt, Photiano schismate scriptores, Alcuinus, Rhabanus Maurus; quare videtur perpetuam fuisse, si non in omni Occidentali, ast Romana saltem in Ecclesia, atque in illis, quæ cæremonias, & ordinem mysteriorum ab ea statim accepere, azymi consuetudinem.

107. Obj. 1. Apostoli in privatis domibus modo in hac, modo in illa Eucharistiam consecrabant; illo igitur utebantur pane, quem promptum paratumque in illis domibus inveniebant, qui profecto fermentatus erat, quemadmodum ille, quem primis Ecclesiæ sæculis Christiani sacros ad ministros deferre consueverant, ut eo consecrato vescerentur. Sed & Melchiades, Siricius, & Innocentius I. panem Eucharisticum nominant fermentum. Denique Patres sæpe sæpius Eucharistiam appellavere panem communem, panem usitatum: ergo &c.

108. Respondemus, antiquis illis temporibus non modo fermentatum, sed etiam azymum panem quotidiano in usu positum fuisse; potuisse præterea Apostoli secum ferre azymum panem, quem in privatorum domibus consecrarent: potuisse azymum panem facile, brevique confici: de quo ita locutus est Seneca Epist. 90. ad Lucilium: *farinam aqua sparsit, & assidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primo cinis calidus, & fervens testa percoxit*. Et quia ejusmodi azymo pane multi passim vescebantur, & ex communibus, & usitatis partibus farinæ, & aquæ constabant, ideo a Patribus appellatum fuisse panem communem, & usitatum; quamquam ita fortasse eum appellavere, quod ante consecrationem terrenus, & naturalis esset, cælestis vero post consecrationem.

Voce fermenti non Eucharistiam, sed Eulogias significatum fuisse, sive quosdam benedictos panes, quos Pontifices, & Episcopi ad Presbyteros, & ad alios mittebant in signum communionis, tuentur Cardinales Cusanus, & Baronius, Severinus Binius, Theophilus Rainaudus, Cabassutius, aliique plurimi. Sunt tamen, qui verisimiliori opinione vocem fermenti sensu sumunt allegorico, præsertim Antonius Augustinus, Latinus Latinius, Angelus a Nuce, Cardinalis Thomasius, aliique docentes, nomine illo designatam quidem fuisse Eucharistiam, non tamen quia ex fermento confecta esset; sed ut eo mysterium Eucharistiæ Gentilibus occultaretur; & quia vulgus usurpato illo uteretur nomine azymis illis sinceritatis, & veritatis denotandis; præsertim quod allegati Pontifices non dixerint, Eucharistiam confectam fuisse ex pane fermentato; sed solum appellatam fuisse *fermentum*, quo denotaretur, ut quemadmodum fermentum massæ, cui admiscetur, partes conglutinat; ita Eucharistiæ Sacramentum Christianos valere cum Christianis in Sanctam societatem copulare.

109. Obj. 2. Si Latina Ecclesia fermentato usa non fuisset ante ætatem Photii, Græcus ille homo, qui omnia captavit Latinos criminandi argumenta, de azymorum usu questus procul dubio fuisset; præsertim quod jam ante Armenios diris devoverant Græci ob usum azymorum, proindeque tacuisse videtur Photius, quia eo temporis nondum azymum Latini frequentaverant, aut promiscue usi fuerant azymo, & fermentato, quemadmodum Nicetas Metropolita Nicomediensis ceteroquin schismaticus libro testabatur 3. cap. 14. Ergo &c.

110. Respondemus, Photium Romanæ quidem Sedis hostem infensissimum, sed tamen doctum, azymi consuetudinem in Latinis minime notasse, non quia fermentato uterentur, sed quod intelligeret idoneis de causis eos azymum panem usurpare solitos; quarum præcipua erat, Christum postrema in cœna nonnisi fermenti expertem panem consecravisse, quum Paschalis ea fuerit; quare & maxima Protestantium pars usum panis azymi retinuit. Armenii idcirco fermentum ab Eucharistico pane eliminaverant; ut suum de Dominici corporis ante ipsius resurrectionem incorruptibilitate errorem in sacris etiam mysteriis significarent; propterea que jure, ac merito a Græcia damnati sunt, quemadmodum illi, qui studio legalium cæremoniarum azymum in Eucharistia usurpabant; quum ex opposito Latini id unice præstiterint, ut facto Christi se se magis accommodarent.

111. Equidem Nicetas contendebat Apostolos neque fermentatum, neque azymum studiose nimia quæsivisse, & quidquid ad manus inveniebatur, sive hoc sive illud indifferenter cum devotione obtulisse: Romanam Ecclesiam paullatim alterum deposuisse, videlicet fermentatum, alterum tantum assumpsisse, scilicet azymum: Orientalem quoque Ecclesiam azymum dimisisse, & fermentatum elegisse; ita tamen, ut propter hoc neque veteres Græci, neque antiqui Latini Sapientes se invicem contemnendos putarent; quibus sane verbis protervas suorum adversus Latinos criminationes emollire conabatur Nicetas, quin tamen Romana in Ecclesia fermentatum olim usurpatum fuisse consequamur. In hac quippe obscurissima quæstione, cui non alia adfulget lux, quam veterum auctoritas, magis in re præcipue domestica credendum arbitramur Romanis Pontificibus, Leoni, Innocentio, & Gregorio, quam Nicetæ Græco, & Schismatico, non adeo in Latinis, quemadmodum in Græcis, & Orientalibus ritibus versato.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Latinorum in pane azymo Eucharistiam celebrantium ritus vindicatur.

112. Diximus valere Eucharistiam tum in azymo pane, tum in fermentato celebratam, quia nullum revera ejusmodi de re nobis reliquit Christus præceptum: quare fas utrique sit Ecclesiæ suum retinere morem; quamvis convenientior noster videatur, tum propter Christi institutionem, tum etiam ad fidelium sinceritatem clariore modo denotandam. Egregie totum hoc docet D. Thomas 3. part. qu. 74. art. 4. his verbis: Circa materiam hujus Sacramenti duo possunt considerari, scilicet quid sit necessarium, & quid conveniens. Necessarium quidem est, ut sit panis triticeus, sine quo non perficitur Sacramentum; non est autem de necessitate Sacramenti, quod sit azymus, vel fermentatus, quia in unoquoque confici potest. Conveniens autem est, ut unusquisque servet ritum suæ Ecclesiæ in Sacramenti celebratione. Super hoc autem sunt diversæ Ecclesiarum consuetudines: nam ut dicit Beatus Gregorius, Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem: sed Græci offerunt fermentatum, pro eo quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ; Unde, sicut peccaret Presbyter latinus in Ecclesia Latinorum celebrans de pane fermentato; ita peccaret Presbyter Græcus in Ecclesia Græcorum celebrans de pane azymo, quasi pervertens Ecclesiæ suæ ritum. Consuetudo tamen de pane azymo celebrandi rationabilior est. Primo quidem propter institutionem Christi, qui hoc Sacramentum instituit prima die azymorum, ut habetur Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum esse debebat, ut habetur Exodi 12. Secundo quia panis est proprie Sacramentum Corporis Christi, quod sine corruptione conceptum est, magis quam divinitatis ipsius. Tertio, quia hoc magis competit sinceritati fidelium, quæ requiritur ad usum hujus Sacramenti, secundum illud 1. ad Cor. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis.* Habet tamen consuetudo Græcorum aliquam rationem, & propter significationem, quam tangit Gregorius, & in detestationem hæresis Nazaræorum, qui legalia Evangelio miscebant. Hucusque D. Thomas.

113. Latinorum ritum, quem intactum reliquerat Photius, criminari sæculo undecimo ausus est Michael Cærularius, & post ipsum Joannes Patriarcha Constantinopolitanus aliis cum Græcis præcipuum nostri fundamentum moris evertere conati, Christum scilicet in azymo consecravisse. Inquiunt enim: Joannes cap. 13. omnia illa, quæ Christus in postrema fecit cœna, ait perpetrata fuisse *ante diem festum Paschæ*. Præterea idem Evangelista cap. 18. narrat, eo die, quo Christus cruci suffixus est Judæos *non intravisse Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Cap. 19. subdit, Christum mortuum esse in Parasceve Paschæ, nempe in Paschæ pridiano; diem vero Sabbati, quæ proxime subsecuta est appellat diem magnum Sabbati, qui videtur idcirco dies fuisse primus azymorum *(a)*; itaque antecedente die mori debuit Christus; quo sane die Joseph, & Nicodemus piis cum mulieribus emerunt, & paraverunt Aromata ad ungendum, & sepeliendum Corpus Christi, quod Paschæ die fas minime fuisset. Ex his autem omnibus infertur, aut Christum illo anno legalem cœnam omisisse, & solum cœnam mysticam instituisse, aut Pascha anticipavisse, proindeque non in azymo consecravisse, sed in fermentato.

114. Respondemus, ex sincera Evangelistarum narratione, exque perpetua & constanti Ecclesiæ doctrina, certum adeo, & indubitatum esse, Christum legale Pascha antequam moreretur celebrasse, ut si ea de re dubitare fas sit, nihil in Scripturis, nihil in traditione reliquum esse possit, quod credere, aut adfirmare valeamus; quare in hac ostendenda veritate immorari lugenda foret temporis jactura, præsertim cum fortiora non adducantur allegatis objectis, dubitandi fundamenta, quæ tamen facillime solvuntur.

115. Ut enim singulares hypotheses prætereamus, sive illorum qui Paschalem agnum alio a Galilæis, alio a Judæis die immolari consuevisse defenderunt; sive illorum, qui tradidere ex Hebræis alios a conjunctione Lunæ cum Sole, alios a primo Lunæ aspectu exordium mensis duxisse, sive denique illorum, qui opinati sunt, Judæos studio interficiendi Christum Pascha illud in sequentem diem distulisse; præclarissimi sunt adhuc viri, qui arbitrantur, Christum Pascha celebrasse pridie quam Judæi, non quidem legitimum tempus anticipando, sed alia de causa

(a) Chrysostomus Homilia LXXXIV. in Matthæum ad illa Joannis 18. non intraverunt in Prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, scribit: *Quid ergo* dicendum est? ipsos altera die comedisse, & ob necis hujus cupiditatem legem violasse? Neque enim Christus tempus Paschæ transgressus est, sed illi nihil non ausi, multasque leges violantes. Quia magno furore ardebant, & eum sæpe occidere tentavissent, non potuerant. Tunc autem ipsum insperate captum tenentes maluerunt Pascha transmittere, ut suum explerent sanguinarium animum.

Digitized by Google

ſa a Ruperto indicata in caput Matthæi 26. docente: *Judæos ex traditione Patrum numquam duo festa, in quibus ab opere servili abstinendum erat, continue celebrare solitos; quod difficile esset mortuorum corpora, aut cocta olera, vel carnes in tertium usque diem incorrupta servare, ob regionis illius calorem; ideoque festivitatem Paſcha, quotieſcumque incideret in feriam sextam, quemadmodum evenit tempore passionis Domini transtuliſſe in proximum diem, videlicet Sabbatum*. Quoniam autem hunc Judæi morem, quemadmodum alios quamplurimos contra Dei legem, ſuæque tantum commoditatis causâ induxerant, pervium intelligere eſt, noluiſſe Chriſtum novitatis illius habere rationem; proindeque ſuum noviſſimum legale Paſcha eo celebrare voluiſſe die, quem lex divina præſcripſerat, Luna nimirum 14. menſis Niſan, Judæis ſequentem in diem illud differentibus.

116. Hac poſita hypotheſi explicantur teſtimonia omnia in medium adducta, immo magis confirmatur, Chriſtum in azymo Euchariſtiam conſtituiſſe. Siquidem ſi divinæ legi, ut obtemperaret Chriſtus proprio & legitimo voluit die Paſcha celebrare; itaque illud ſine celebravit juxta præſcriptum in lege ritum, adeoque in azymo, non fermentato. Porro Chriſtum Luna 14. Paſcha comediſſe primis Eccleſiæ ſæculis adeo conſtitutum erat, ut inde exorti ſint Quartodecimani, qui exemplo Chriſti eadem die Chriſtianum Paſcha celebrabant. Contra quos tametſi Romani Epiſcopi traditionem de Paſchate a nobis die, quo Chriſtus reſurrexit celebrando urgerent, numquam negavere tamen, die a Quartodecimania præconcepta, Chriſtum Paſchali legi ſatisfeciſſe.

117. Verum, ſic Salvatorem Paſcha antevertiſſe, nil inde præſidii contra uſum Azymorum. Nam, ut animadvertit D. Thomas in 4. ſententiarum, diſtinct. 2. ſive eodem, quo Judæi, ſive antecedenti die Paſchalem comederit Chriſtus cœnam, certum eſt, ipſum legem impleturum, azymos Panes uſurpare debuiſſe; quod adeo verum eſt, ut Etherodoxus etiam Woſſius diſputatione 1. de ſacris cœnæ Dominicæ ſymbolis, nil præſidii in eo Græcos invenire poſſe ſcripſit, quod Chriſtum Judaicum feſtum anticipaverit; immo ſubdit: aſſentio Thomæ Aquinati, qui quocumque tempore Chriſtus Paſcha celebraverit, exiſtimat convinci poſſe, eum, quum cœnam ſuam inſtitueret, azymo pane uſum fuiſſe.

CAPUT XIII.

Illuſtratur magis idem Argumentum.

118. Laudatas hypotheſes conciliandis Evangeliſtis, & recentioribus Græcis refellendis idoneas duxere Theologi nobiles quamplurimi; quia tamen doctiſſimi ſunt viri, qui validiſſima ex ſacris literis, ex Hebræorum commentariis, ex Patrum tandem, ac totius antiquitatis monumentis adferunt in medium argumenta, quibus evincunt, Chriſtum cum Judæis Paſcha legitimo die immolaſſe; præſertim quum ipſum violatæ legis numquam poſtulaverint Judæi; Paſchalis vero agnus in atrio templi eodem veſpere cum cæteris univerſi populi ætate Chriſti mactandus fuerit; & translatio Paſchalis ſolemnitatis in proximum feſtum Sabbati nondum apud Judæos illo tempore obtinuerit, quemadmodum oſtendit Samuel Bocchartus Hijeropici part. 1. lib. 2. cap. 50. ubi de tempore immolandi, mactandique Paſchalis agni copioſe agit; hinc alio ſolvenda ſunt pacto propoſita ſuperiore capite argumenta.

119. Ad illud igitur Joannis: *ante diem feſtum Paſcha*, ignorat nemo, tripartitam apud omnes fuiſſe dierum diviſionem; alios dici naturales, qui incipiunt a media nocte antecedenti, & deſinunt in mediam ſubſequentem noctem; alios dici artificiales, qui auſpicantur ab ortu Solis, & in ejuſdem occaſum deſinunt; alios demum dies ſacros, qui incipiunt a veſperia diei antecedentis, & deſinunt veſpere diei ſequentis. Dum itaque ſcripſit Joannes: *ante diem feſtum Paſchæ*, diem denotavit naturalem, aut artificialem; non vero Paſchalem, & ſacrum; nempe ſignificavit, Chriſtum cœnam feciſſe pridie diei Solaris, qui Paſcha dicebatur; quamvis dies ſacer Paſchæ jam cœpiſſet, primis nimirum veſperis, inter quas & ſecundas ſolemnis illius profeſti veſperas pro legis præcepto occidendus erat Paſchalis agnus, ſero demum comedendus; quemadmodum revera Chriſtus præſtitit, & in pane azymo cœnans, Euchariſtiam deinde conſecravit.

120. Quid imo ſignificant Joannis verba: *ante diem feſtum Paſchæ*, ſi vim Græci textus conſulamus? non aliud ſane, quam in ipſo Paſchalis feſti exordio, veluti ſi Evangeliſta in *profeſto* dixerit, quod ita præcedit feſtum, ut tamen ſit pars feſti, ſicut prologus eſt pars orationis, ut alia omittamus exempla a Bocharto loco, quem allegavimus, adducta; qui innumeris æque confirmat teſtimoniis doctrinam Chryſoſtomi, & D. Thomæ oſtendentium, Paſcha in Scripturis etiam accipi pro ſeptem illis diebus, quibus Paſchalis ſolemnitas celebratur, & quibus Judæi panes azymos edebant, quos immundi comedere non potuiſſent; ideoque ingredi Prætorium

torium eos timuisse, ne immundi facti, ab azymorum usu, proindeque ab integra celebratione Paschatis abstinere cogerentur.

121. Verum est, juxta Joannem*, Christum cruci affixum fuisse *parasceve Paschæ*; ast id nil aliud denotabat, quam Veneris illum diem, quo celebratur Pascha, dies scilicet Hebdomadæ; sic semper Judæi numerarunt, prima hebdomadis, secunda, tertia, quarta, quinta, Parasceve, Sabbatum; itaque parasceve Paschæ dicta fuit illa dies veneris, qua fuit Pascha (a): quomodo Dominica Paschæ, vel Dominica Pentecostes dicitur quæ concurrit cum festo Paschæ, & Pentecostes. Neque officit, sequens Sabbatum dici *diem Magnum*, hoc enim nomine donabantur a Judæis festa omnia, & Sabbata quæcumque, præcipue vero illud, quod in aliquem incidebat diem azymorum. Inter Sacerdotes quidem, & Levitas convenerat, ut ne Christus morti traderetur die festo, ne tumultus fieret in populo; sed ab eo consilio discessere, oblata per Judam capiendi Christum occasione; neque id sine lumine. Ita enim factum, ut Christi mors plures haberet testes, & in ipsum Paschale festum incideret, ut vel hinc intelligeremus, Christum per Paschalem agnum fuisse adumbratum. Negat autem citato loco Bocchartus inter hebraizantes doctissimus, die azymorum fas non fuisse aliquid emere, aliaque præstare, quæ nefas erat die Sabbati; quod innumeris sacrarum litterarum confirmat exemplis, præsertim cum sepultura mortuorum servile opus non esset, sed charitatis, & pietatis, quod agere die festo fas per legem erat; quare Christus Matth. 12. Judæos arguebat dicentes non licere Sabbatis curare; nam & Tobiæ cap. 2. legitur die festo corpus cujusdam Israelitæ jugulati sepulturæ commisisse; imo cautum fuerat Deuteronomii 12. ut cadaver illius, qui in patibulo fuerat appensus, eadem die deponeretur, & sepeliretur; quod factum est erga Christi Corpus de Cruce depositum, & sepultum. Judæos autem divina, & humana jura omnia pedibus insolenter proculcare solitos, nil mirum non fuisse religione festi a crimine retentos; neque tum primum eo furoris, & vesaniæ devenerant, quot enim abominanda prostant sacris in litteris ejusmodi exempla?

122. Remanet difficultas desumpta a Pentecoste, quam omnis antiquitas credidit anno passionis Christi in Dominicam incidisse. Ideoque primus azymorum dies illo anno apud Judæos non fuerit dies Veneris, sed Sabbatum a quo ad Pentecostem quinquaginta, ut lex præceperat, revera inveniuntur dies.

123. Cui tamen objectioni quamvis plurima dari responsa possint, hoc occurrere magis placet, nempe Deuteronomii 16. Pentecostes festum ita fuisse institutum: sex diebus comedes azyma, & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. Septem Hebdomades numerabis tibi ab ea die, qua falcem in segetem *miseris*. Falx autem immittebatur in segetes postridie festi primi azymorum, ut ex demissis frugibus offerretur Deo manipulus. Quum tamen festum azymorum sequeretur Sabbati dies, manipulus ille frugum non postridie, sed perendie videtur fuisse oblatus, quia Sabbato non licebat falcem in segetes immittere. Hoc autem dato, nulla reliqua est difficultas; quum quo anno Christus passus est, primo post Paschale festum die, Sabbatum fuit, quare oportuit frugum oblationem, & septem Hebdomadum enumerationem in primam feriam fuisse rejiciendam; ideoque Pentecostem in eumdem diem, nempe Dominicum, incidisse.

124. Huic imo argumento a Pentecoste ducto aliud opponimus, sumptum a Dominica Palmarum, cum Joannis 12. legimus: Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem

(a) Divus Augustinus in Epistola ad Casulanum, quæ XXXVI. est Maurinæ editionis, refellens Urbici, id est cujusdam e Romana urbe dissertationem pro Sabbati jejunio scriptam perquam imperitissime, habet etiam: *Cur autem quarta, & sexta feria jejunat Ecclesia*, illa ratio reddi videtur, quod considerato Evangelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Intermisso autem uno die, cujus vespera Dominus Pascha cum Discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam Sabbati, deinde traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies passionis ejus manifestus est, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit, a vespera incipiens. Sed Matthæus Evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente, futura erat cœna Paschalis, qua cœna incipiebat azymum, & ovis immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam Sabbati fuisse, quando ait Dominus: *scitis quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur?* Ac per hoc dies ipse jejunio deputatus est, quia sicut Evangelista sequitur, & dicit: *Tunc congregati sunt Principes sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & Concilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent*. Intermisso autem uno die, de quo dicit Evangelium: *Prima autem azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Hoc ergo die intermisso, passus est Dominus, quod nullus ambigit, sexta Sabbati, quapropter & ipsa sexta recte jejunio reputatur.

diem festum, quum audiissent, quia venit Jesus Jerosolymam acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei. In crastinum, id est Dominica palmarum, ut interpretatur Maximus Taurinensis. Venerat igitur Jesus Bethaniam die Sabbati, qui si fuit diebus sex ante Paschale festum, die Veneris, non Sabbati celebratum est; sextus enim a Sabbato dies non est Sabbatum, sed dies Veneris.

C A P U T XIV.

Reliqua ad Materiam Sacramenti Eucharistiæ pertinentia.

123. QUonam tempore Occidentali in Ecclesia Eucharisticus panis sub levissima, & subtilissima forma sphærica, non in Clibano coctus, sed diverso artificio intra ferrum compressus, & obsignatus, penitusque a pane usitato dissimilis, initium habuerit, tuto definiri non potest. Sæculo undecimo ritum ejusmodi generatim obtinuisse constat ex querelis aliquorum, qui apud Cessandrum in Liturgiis cap. 27. panem ita confectum appellabant *minutias nummulariarum oblatarum, & indignas panis vocabulo pro sua tenuitate*; quibus dicteriis suas de sacris cœnæ Dominicæ symbolis disputationes auspicatus Gerardus Joannes Vossius, qui aliis cum Calvinianis Hostias appellare nostras pergit *lamellas nummularias, farinacea folia, nebulas missaticas, hostiolas nummulares &c.* summam sane per injuriam. Nam præterquamquod non videre se quid in illis reprehendi queat fassus est Martinus Buccerus majorum gentium heterodoxus in censura libri Anglicani cap. 3. eamdemque præter propter, quam nos azymi panis orbicularem formam retinuerunt Augustanæ confessionis asseclæ; quis obsecro, negaverit, tales, ut dicimus, particulas esse juxta mentem Concilii 16. Toletani, quod canone 6. quamlibet ab iisdem magnitudinem rejicit; sicut etiam ex actis Nicæni Concilii intelligimus, summatim a Gelasio Cisiceno desumptis, ubi habetur: Propter hoc enim neque multum sumimus, sed parum, ut sciamus, quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus. Id ex D. Gregorio Pontifice, aliisque ex testimoniis, & antiquis monumentis; præsertim vero ex veteri pateanarum vitrearum usu, jam olim receptum fuisse copiose evincit Franciscus De-Berlendis in dissertatione sua de oblationibus ad altare parte 1. §. 1. ubi de earum etiam agit rotunditate. Sane mirum est, Protestantes nonnullos tantam sibi, suisque permittentes in cæremoniis sacris libertatem, innocuum criminari Ecclesiæ ritum imo decentissimum, & idoneis de causis inductum, ritum denique, in quo Eucharisticam perseverare significationem, nullo possunt jure inficiari (a).

126. Vinum aqua miscendum esse, dum Eucharistia celebratur, jubet Apostolica traditio, Christum siquidem in institutione sacramenti id præstitisse creditur, pro traditione, & antiquissimo Judæorum more, aquam vino miscendi in convivio præsertim Paschali, quemadmodum cum Rabbinis, & Hebraizantibus omnibus, monet Grotius in caput 26. Matthæi. Quum enim Christus temperatissimus fuerit, & Judaicum Pascharitu consueto celebraverit, inferre necesse est, legali in cæna Judaico etiam more vinum aqua temperasse: quem morem primi Christiani secuti sunt; inquit enim sanctus Justinus Martyr in Apologia 2. *Ei, qui fratribus præest offertur panis, & poculum aqua & vini*. S. Hieronymus commentario in caput 19. Marci scripsit: *Format Christus Sanguinem suum in calice, vino & aqua mixtis*. Hinc in Liturgia S. Basilii legimus: *Similiter etiam calicem post cœnam aqua, & vino miscuit*. In Liturgia sancti Cyrilli: *Similiter etiam calicem post cœnam miscuit vino, & aqua*. Ut infinita omittamus testimonia perpetuam hac in re Catholicæ Ecclesiæ praxim contestantia.

127. Quia tamen non omnia, quæ in sacramentis antiquissime etiam traditione observentur, ad illorum essentiam pertinent; neque omnia, quæ Christus sacramente instituendo servevit, sunt absoluta necessarie; hinc sententia Romeni Catechismi est, quemvis aquæ admiscendæ rationis ita graves sint, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat, ea tamen si desit, sacramentum adhuc constare, proptereaque mixtionem illam mysticæ significationis causse necessariam quidem esse necessitate Ecclesiastici præcepti, non tamen sacramenti, quemadmodum probat D. Thomas 3. p. q. 8. art. 7.

128. Obj.

(a) Ex Ritualibus antiquis, atque ex magistris Judæorum præstantiores Evangelistarum interpretes. Ejusmodi morem sacra in synaxi primos Christianos sequutos religiosissime fuisse: ex Justino Martyre, Irenæo, Origene, Cypriano, Hieronymo, & antiquis Liturgiis, intelligimus: quare Synodus Trullana Canone 32. Armenios damnavit, proptereaquod Eucharistico in Calice solum vinum sine aqua apponerent. Lutherus hanc veteris Ecclesiæ consuetudinem retinendam esse duxit, ut patet ex Catechismo suo majore, ubi agit de Sacramento Altaris. In prima quoque Eduardi VI. Regis Angliæ Liturgia, *temperamentum Calicis* præceptum fuit; sed postea in Ecclesiis Protestantium omnibus talis ritus abrogatus est, utpote indifferens, nec a Domino præceptus: qua de re qu sti vehementer sunt doctissimi inter Heterodoxos viri, Joannes Ernestus Grabius, Guillelmus Wisthonus, & Thomas Bretus.

Digitized by Google

128. Obj. Verba; hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus, non efficiunt mutationem, si tantum affirment mutationem jam factam fuisse; atqui res ita se habet; siquidem ubi aliquid verbo suo operatus est Deus, imperativo verbo semper usus est. In prima rerum Genesi dixit: *Fiant luminaria. Producat terra. Crescite, & multiplicamini*. Eodem imperandi verbo Christus pariter usus est, dum miracula patravit: in resurrectione Lazari: *Lazare, veni foras*; in curatione mulieris: *esto sana a plaga tua*; & in altero, quem curavit: *volo, mundare*. Ex opposito verbum *est*, non jubet, nec efficit, ut aliquid fiat, sed ipsius existentiam supponit; ergo &c.

129. Respond. non semper verbo imperativo, sed indicativo etiam usum fuisse aliquando Christum, sive ut in Corpus, sive ut in animam ageret. Reguli filio vitam reddidit, illi dicens: *Filius tuus vivit*. Magdalenæ peccata remisit, dum ait illi quod peccata multa ipsi remitterentur, quia dilexerat multum. Dum in cruce Mariam, & Joannem alloquens, matri dixit, discipulum ostendens: *Ecce filius tuus*; & Discipulo: *Ecce Mater tua*, nonne eo effecit verbo id quod significabat? Itaque non modo per verbum imperativum, sed etiam per indicativum solebat Christus operari; quumque in institutione Eucharistiæ nulla alia reperiantur verba, quæ ad miraculum conversionis referantur, quam, *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*, consequens omnino est, istis solum verbis Christum mirabilem fecisse mutationem, eamque solam esse formam consecrandi.

130. Verum enim vero, inquiunt adversarii, Christus ante laudata verba, juxta Evangelistas, *benedixit, & gratias egit*; atqui benedictio illa fuit profecto efficax; sique gratias egit Patri, jam mirabilem conversionem perfecerat, & obtinuerat; itaque ante institutionis verba jam fuerunt symbola prece, & benedictione consecrata. Ut tamen iste solvatur nodus, latius explicandus est; quare fit.

CAPUT XV.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

131. Sacræ Eucharistiæ symbola Dominicis institutionis verbis, nempe *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus* consecrari generalis est Latinorum sententia; sed Græci, & Orientales nedum verbis illis, sed etiam adjecta Spiritus Sancti invocatione consecrationem fieri existimant: cum enim in Liturgia nostra præmittatur invocatio Sancti Spiritus, & postea institutionis verba pronuntiet Sacerdos, in nonnullis Orientalium Liturgiis recitantur prius institutionis verba, Sanctus deinde invocatur Spiritus, ut sacra symbola in Christi Corpus, & Sanguinem transmutet; unde an sint sumpsere inferendi verborum Domini effectum velut suspensum manere, & ad perfectam usque invocationem transferri transmutationem, & consecrationem. In hanc Græcorum opinionem descendere nuper visi sunt Latinorum aliqui, Lebrunus vir doctissimus Armenam illustrans Liturgiam, & recentissimi editores operum tum S. Cyrilli Jerosolymitani, tum S. Cypriani, si de Orthodoxis loquimur; inter Protestantes vero Christophorus præsertim Matthæus Pfaffius pluribus in elucubrationibus de oblatione, & consecratione veterum Eucharistics pertractantibus; nonnulli ex opposito magis magisque Latinorum sententiam vindicarunt, inter quos eminent Clarissimus Bougeantius, & Cardinalis Orsius in dissertatione sua Theologica de invocatione Spiritus Sancti in Liturgiis Græcorum, & Orientalium.

132. Sunt autem ejusmodi præcipua hujus Thesis fundamenta. Sacerdos ut publicus Ecclesiæ Minister Christianum sacrificium solemniter offerens ipsam Christi personam induit, & Dominica verba non mere historice recitat, sed per modum adseverantis affirmate pronunciat præsentia sibi symbola suum esse Corpus, & Sanguinem, veluti per os ejus & linguam Christus ipse loqueretur. Eo enim modo, quo Angelus, juxta plurimorum sententiam Patrum, Abrahæ, Moysi, aliisque visus Patriarchis, & Prophetis, quod in se Deum ipsum repræsentaret, veluti ipse foret Deus adseveranter, & adfirmate dicebat: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob; ita etiam Sacerdos personam Christi sustinens verum esse suum Corpus affirmat, & suum Sanguinem, quæ propterea verbis illis pronunciatis debent statim sub symbolis adesse.

133. Hanc doctrinam tradunt non modo Latini omnes Patres, sed Græcorum etiam præstantissimus D. Joannes Chrysostomus. Revera si Sacerdos institutionis proferret verba solum ut partem narrationis Evangelicæ, ea adhuc posita in altari symbola non referret; atque ex opposito, juxta Liturgias omnes, Sacerdos verba Christi recitans, eorum posita symbola demonstrat, in manus sumit, sibi aptat, consignat, benedicit; & cum se ipsum ita componit, ut omnes facile intelligant, Corpus ea esse, & Sanguinem Domini; totam igitur solis institutionis verbis perficit consecrationem. Rursus veritas istarum propositionum: *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus* postulat, ut quod Sacerdos præ manibus habet, quod indicat, quod ostendit, & demonstrat, & de quo propositiones prædictæ adfirmantur, sit statim Corpus, & Sanguis Christi; alioquin aut verba Sacramentorum novæ legis non id efficerent, quod significant, aut præter communem Theologorum, Patrum, & Ecclesiæ sensum historice tantum a Sacerdote proferrentur, aut ille falso adfirmaret, substantias panis, & vini sua adhuc in natura usque ad invocationem remanentes, esse jam Corpus, & Sanguinem Christi.

134. De-

134. Denique Ecclesia Romana pronunciatis a Sacerdote institutionis verbis illico divinum Sacramentum adorandum populo proponit: Eademque caeremonia tum Mozarabica, sive Hispanica veteri in Liturgia; tum in Ambrosiano servatur ritu, imo & in Liturgia Abissinorum teste Lobo dissertatione 12. de rebus illarum gentium, eumdemque morem Gallicanis in Provinciis olim ante receptum Romanum ordinem obtinuisse facile probari potest ex convenientia, & similitudine codicis, sive Gallicani ordinis cum Mozarabico. Qua de re consulendi Cardinales Bona, & Thomasius, nec non vir insignis Mabillonius. Itaque verbis Domini prolatis perfecta prorsus censetur consecratio.

135. Placet quod in hanc rem habet Richardus Simonius, notis uberioribus in Apologiam Gabrielis Severi Metropolitæ Philadelphiensis, inquit scilicet: Ingenue, & libere dixerim, Theologorum nimiam subtilitatem præsenti controversiæ plus attulisse detrimenti, quam emolumenti, dum in ea, tamquam in re mathematica, aut metaphysica, versantur. Meminisse debuerant ea, quæ mores, & religionem spectant, non ita subtiliter & scrupolose tractanda esse, atque ea, quæ sunt naturæ, & mathematicarum disciplinarum. Quare fit enim ut ipsi pariter non quærant, qua ratione Sacerdos postquam pœnitentem absolvit a peccatis, veramque, & debitam absolutionis formam rite pronuntiavit, hæc addat: *Passio Domini Nostri Jesu Christi, merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, suffragia Sanctæ Matris Ecclesiæ, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, valeant tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* An Sacerdotalis absolutio nulla est, si orationem hanc, ut sæpe fit omittat? nemo sane paullo cordatior ita sentiet. Sed cur, inquies, iterum Sacerdos peccatorum, quæ jam condonata sunt, remissionem deprecatur?

136. Respondeo, hæc, & alia id genus bene multa, ab iis solum proficisci posse, qui singula ad Scholasticarum exercitationum, & dialecticas regulas religiosius expendunt: sicuti quando nimium anxie disquiritur, quomodo forma absolutionis in eum cadere queat, qui jam ratione contritionis suæ veniam peccatorum consecutus fuit. Facilis est ad ea omnia responsio, si dialecticam subtilitatem valere jubeas, eademque moraliter, ut ajunt, non autem metaphysice consideres. Hoc pacto utriusque Ecclesiæ conciliatio facillime obtinebitur, si Patrum dicta nimia contentione non urgeantur. Quando Latini formam consecrationis a verbis Domini sumendam esse affirmant, non ita intelligenda est eorum sententia, quasi verba nude, & ut sonant, accipiantur: sed eadem verba virtutem omnem, & efficientiam a Spiritu Sancto, qui invocatur, hauriunt. Unde quidquid est in Orbe Catholico Liturgiarum, in eo convenit, quod præter verba Domini, admixtas quoque habeat orationes, etsi non efficienter, & formaliter, uti loquuntur, ad consecrationem concurrant. Idem sentiunt ætate nostra Doctores Catholici, quod inde jam a priscis Ecclesiæ temporibus Patres tam Græci, quam Latini, verbis expressis testati sunt, videlicet, ad rationem consecrationis panisque, & vini in Christi Corpus, & Sanguinem transformationem certa & determinata verba necessario requiri. Orationes autem, quæ præeunt, vel subsequuntur, huc referri necesse est: quandoquidem hæc omnia ut una eademque actio respiciuntur, uti Episcopus Ostunensis, scholiis in constitutiones Apostolicas bene monuit his verbis: Constans, & perpetua fuit omnium Patrum sententia, verbis Domini solummodo mysterium administrari: invocatio autem Spiritus Sancti, in Liturgia Græcorum, ad verba Dominica respectum habet, & ad illa referri debet. Ut enim quæ ante consecrationem dicuntur, ad oblationem Corporis, & Sanguinis Christi dirigenda sunt; sic quæ post consecrationem mystice precatur, & facit Sacerdos, ad unum peractæ consecrationis actum trahuntur. Sacerdos ante consecrationem tenens manu patenam, & Calicem, dicit, se offerre hostiam immaculatam pro peccatis, & Calicem salutaris: quæ actio correspondet oblationi Corporis, & Sanguinis faciendæ, tunc anticipatione quadam Sacerdotis mente, atque proposito conceptæ. Ita post consecratam Eucharistiam, invocatur Spiritus Sanctus illorum munerum sanctificator, & peracti operis una cum Patre, & Filio effector: quæ invocatio non est separanda a prima actione, qua Sacerdos verba Domini proferens, panem, & vinum consecravit; sed ad eumdem actum revocari debet; immo ad idem temporis momentum, quo illa admirabilis conversio facta est: nam cum omnia simul atque uno tempore fieri non possint, ordine, ac temporis intervallo disponuntur; quæ vero sermone, ac tempore dividuntur, cogitatione, & intelligentia sunt in unum conjungenda.

137. Hucusque allegatus Auctor, qui per alia Sacramenta percurrens magis magisque confirmat, ea omnia, quæ in celebratione Sacramentorum peraguntur, tamquam unam eamdemque actionem esse considerandam, & habendam: quamvis eorum alia magis sint, alia minus necessaria, atque ad id quod essentiale in ipsis est cetera esse revocanda, quæ licet eodem temporis momento simul fieri non possint, attamen tamquam simul facta, sunt omnia intelligenda.

138. Obj. 1. Solis Dominicis verbis Sacerdos non consecrat, si neque illis consecravit Christus; atqui res ita se habet, nam, ut habetur Marci 26. Dominus ante benedixit panem, & distribuendo dixit: *accipite hoc est Corpus meum*; imo, pro multorum opinione Christus suum comedit Corpus, & Sanguinem bibit, antequam ea Apostolis distribuendo diceret allegata verba;

ita-

itaque benedicendo, id est orando consecraverat; proptereaque precibus potius, quam verbis laudatis fit mirabilis elementorum transmutatio.

139. Huic argumento, quod sibi proposuerat D. Thomas 3. part. qu. 78. art. 1. regerit ex doctrina sui præceptoris Augustini, Evangelistas non semper eumdem ordinem in recitando servasse, quo res gestæ sunt; quare ex eorum concordia hanc in seriem universa narratio redigenda est: accipiens Christus panem benedixit, dicens: hoc est Corpus meum, & deinde fregit, & dedit discipulis suis. Hunc revera fuisse actionis, & verborum Christi ordinem ex Orientalium, & Græcorum etiam Liturgiis allegato in opere Cardinalis Orsius confirmat, ostendens, opiniones in argumento objectas numquam in mentem venisse Orientalibus, aut Græcis, sed aliquorum modo fuisse Latinorum, qui adhuc institutionis verbis omnem tribuunt vim in consecratione a nobis peragenda. Quin hic animadversum velim, objectionem versari extra quæstionis statum; non enim absque institutionis verbis contendunt Græci, aut eorum vindices fieri consecrationem, & transmutationem; sed ut Marci Esseni terminis utamur, ajunt, institutionis verba virtutem propositis donis indere ad conversionem, quæ postea per orationem fiat, & benedictionem Sacerdotis.

140. Obj. 2. Solemne fuit Veteribus etiam Patribus affirmare, consecrationem fieri per preces, per invocationem, per orationem; Ergo non solis verbis institutionis.

141. Sunt qui respondeant, Patres de tota loqui Liturgia, quæ non modo verba institutionis continet, sed preces alias plurimas, & præsertim invocationem, quin sequatur institutionis verba vere non esse consecratoria, quum hoc idem sexcentis doceant in locis. Satius alii animadvertunt, nomine precum, & invocationis, pro receptissima Patrum phrasi, intelligenda esse Dominica institutionis verba; siquidem in notissima illa quæstione de baptismo Hæreticorum infinitis Patres in locis usurpant invocationis, & precis voces non ad eas denotandas orationes, quæ fieri in baptismo solent, sed ad unicam significandam baptismi formam, de qua tota erat lis, & controversia. Quemadmodum igitur nomine orationis, invocationis, & precis non agebatur nisi de verbis baptismum efficientibus; ita iisdem vocibus non agitur nisi de verbis efficientibus Corpus, & Sanguinem Christi, quæ sola proprie sunt consecratoria.

142. Fateor Patres dixisse aliquando, Eucharistiam celebrari ordine ab Apostolorum secreta traditione derivato. Verum plura sunt, quæ a secreta Apostolorum traditione petita, non in Eucharistiæ modo, sed in aliorum quoque Sacramentorum administratione sedulo retinemus, a quibus tamen Sacramentorum gratiam minime dependere apud omnes in confesso est. Ita vini, & aquæ commixtio, fractio hostiæ, permixtio specierum, trysagion, sive triumphalis hymnus, oratio Dominica in omnibus prope tam antiquis, & usu abrogatis, quam usitatis nunc liturgiis, non secus atque invocatio, reperiuntur; quæ tamen omnia ad Eucharistiæ consecrationem non esse prorsus necessaria, omnes ad unum Theologi fatentur.

143. Perperam hic quis objecerit confessionem Berengarii, qua fieri transmutationem panis, & vini confessus est *per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris*. Non enim id ita accipiendum est, quasi solis verbis Evangelicis, omissis aliis precibus Liturgicis, fieri non possit; sed quia sine ejusmodi precibus numquam ex Ecclesiæ Catholicæ præcepto consecratio perficitur. Quo sensu dictum, & a synodo Carisiaca, & ab Ildeberto Turonensi, per orationem, & crucis signum confici Corpus Christi, quod nempe, ut ait S. Augustinus tractatu 118. in Joannem, sine crucis signo ex Ecclesiæ instituto Christianum rite non perficitur Sacramentum; non autem quod nisi signo crucis interveniente frustranea sit verborum Domini pronunciatio. Itaque ex eo quod fieri dicatur, & soleat consecratio verbis institutionis, & precibus, minime sequi oportet, eam ita ex utrisque pendere, ut quemadmodum Evangelica verba, ita æque adjunctæ preces virtutem, & rationem habeant formæ hujus Sacramenti.

144. Explicandum superest D. Gregorii Magni testimonium lib. 9. Epistola 12. quo inquit: mos Apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo *Dominicam orationem oblationis hostiam consecrarent (a)*, quamvis enim illud ad præsentem non pertineat quæstionem de necessitate invocationis Sancti Spiritus, ad formam tamen pertinet Sacramenti. Missis autem animadversionibus Doctissimi Lebruni dissertatione sua 2. in qua aliquid humani passum fuisse Sanctum Pontificem, dum hæc scriberet, contendit, ad rem nostram facit, Gregorium orationem Dominicam eo loci verbis institutionis non opponere, sed aliis precibus, quæ olim loco Dominicæ orationis Roma-

(a) Greg. M. L. VII. Epist. 74. ad Joan. Syracusanum: *Orationem* vero Dominicam idcirco mox post precem (canonem) dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est, ut precem quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsas orationes, quæ Redemptor noster composuit, super ejus Corpus, & Sanguinem taceremus.

Digitized by Google

Romana in Liturgia recitabantur; neque dicere Pontificem per ipsum, aut ipsa solummodo oratione Dominica; sed ad ipsam, id est post ipsam, vel sub ipsam solummodo pronunciatam, & ad Deum fusam, Apostolos consecrasse: neque statuere, ut Dominica oratione Corpus Christi consecraretur; sed ut super Corpus ejus, & Sanguinem, jam videlicet verbis Dominicis pronunciatis, consecrata diceretur; quare, ut ex contextu patet, sensus verborum Gregorii est, neminem queri oportere Dominica de oratione Romanam in Liturgiam inducta, quum Apostoli eam præ reliquis precibus, dum præsertim ob angustiam temporis in Eucharistia celebranda festinarent, usurpaverint *(a)*.

CAPUT XVI.

Idem Argumentum magis illustratur.

145. Etiamsi maximo auctoritatum & argumentorum pondere formam Eucharistiæ consecratoriam in verbis institutionis positam esse ostendamus; attamen negandum non est, plurima se se Græcorum offerre Patrum testimonia, quæ consecrationem illam tum ad Evangelica verba, tum ad invocationem etiam Spiritus Sancti referant; quum eam invocationem Græcæ, atque Orientales Liturgiæ habeant post ipsa institutionis verba, quare istis pronuntiatis adhuc Spiritus Sanctus invocatur, ut panis, & vini symbola in Corpus, & Sanguinem transmutet; quin & aliquibus in liturgiis a Renaudotio evulgatis Evangelica verba prorsus omissa sunt, quæ quidem omnia Latinorum sententiam labefactare quam maxime videntur.

146. Ut ejusmodi objectis occurramus, animadvertendum primo, quod si de illis loquimur paucissimis Liturgiis, quæ Evangelica omittunt verba, præterquamquod, uti monebamus, extra controversiam id est, propterea quod Orientales, & Græci, omnesque ipsorum vindices uti invocationem Sancti Spiritus, ita necessaria æque ad consecrationem requirunt verba Evangelica; animadvertit adhuc Doctissimus Assemannus tomo Bybliothecæ Orientalis 2. Liturgias ejusmodi a Renaudotio editas, fuisse mutilas, & librariorum vitio corruptas; nam, si defectus ejusmodi, subdit, ex alia potius causa quam vitio Amanuensium irrepsisset, in omnibus utique earumdem Liturgiarum exemplaribus appareret; quod tamen, conferendo invicem liturgicos Codices, falsum a se fuisse deprehensum contestatur; illisque ipsis in Liturgiis, quæ institutionis verba non habent apud Renaudotium, verba reperiri illa aliis in codicibus, quos citat.

147. Sed & temere illi faciunt, qui de Orientalium disciplina non ex primævis, & publicis, & communibus Ecclesiarum illarum monumentis, sed ex privatis recentibus, & obscuris, aliquid statuunt, & definiunt, quandoquidem sicut in Ecclesia Catholica quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est vere, proprieque Catholicum, sive Catholicæ Ecclesiæ traditio: ita in aliarum sectarum, Melchitarum puta, Nestorianorum, Jacobitarum, aut Cophtorum communione, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est vere, proprieque Nestorianum, Copticum, & Jacobiticum. Quum igitur omnes Liturgiæ Latinæ, Græcæ tam Constantinopolitani ritus, quam Alexandrini, Syriacæ, Melchitarum, Nestorianorum, & Jacobitarum, Æthiopicæ, Armenicæ, quatuor tantum nullius pretii exceptis, verba institutionis repræsentent; injuria ex paucis illis, & obscuris, & a communi regula recedentibus quorumdam Jacobitarum Liturgiis, & non magis ex pluribus aliis in unam & eamdem cum aliarum omnium Ecclesiarum ritibus formam conspirantibus, de Eucharistica Orientalium disciplina decernere quis auderet.

148. Reliqua tamen semper est præcipua hujusce controversiæ difficultas; videtur enim fuisse antiquis Patribus persuasum, sola virtute verborum Christi neutiquam perfici consecrationem, sed tum demum, cum superposita dona Spiritus Sanctus invocatus descendit; quid enim illi in omnibus Liturgiis orassent pro re, quam jam esse consecratam credidissent? accedit, eo apparatu, iis cæremoniis ea pronuntiari reverentia, ac timore apud Orientales, & Græcos, præsertim vero apud Syros verba invocationis sancti Spiritus, ut plane indicent, tunc fieri, & non antea factam esse panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi conversionem.

De

(a) Dum Gregorius dicit, Orationem Dominicam post precem recitandam, non innuit, eamdem in celebratione Eucharistiæ suo tempore omissam fuisse, sed genuino loco eam ponendam fuisse solum ostendit, ac voluit, ut bene Paulus Diaconus in ejus vita Libro II. cap. 20. *Orationem Dominicam mox post Canonem super hostiam censuit recitari.*

Digitized by Google

De Invocatione Eucharistica sancti Spiritus in Liturgiis Orientalium, & Græcorum.

149. Superiori ex capite satis palam esse arbitror, non modo Christum Dominum verbis institutionis consecrasse, sed aliis verbia Sacerdotes consecrare non posse. Siquidem universa docuit antiquitas, consecrationem symbolorum Dominicis verbis, non verbis hominum, peragi: Domini siquidem verba Divinam, & infinitam, verba vero hominum nullam ad tantum perficiendum miraculum habent potestatem. Immo verbis institutionis vix enunciatis omnes Christiani adesse Christi Corpus, & Sanguinem ita semper credidere, ut statim Salvatorem sub symbolis existantem supremo cultu venerati sint.

150. Adversus hanc veritatem tamen facere videtur, non modo quod SS. Patres dixerint aliquando, verbis Domini, & precibus Sacerdotum fieri consecrationem, verum adhuc magis, celebriores Græcas, & Orientales Liturgias, post recitata institutionis verba, Spiritum sanctum invocare, ut descendat, & proposita dona sanctificet, atque faciat Corpus, & Sanguinem Domini Jesu Christi, ex quibus dubitari potest, an Liturgiarum ejusmodi conditores sibi persuasum habuerint, solis verbis institutionis peragi mirabilem sacramenti conversionem. Ut quid enim orassent, ut Spiritus sanctus descenderet, & dona transmutaret, si illa verba institutionis jam consecrata, & transmutata credidissent? Hinc est recentiores Schismaticos Græcos in ea versari opinione, ut verba quidem institutionis necessaria omnino ad consecrandum credant, & usurpent; sed eo solum pacto, ut institutionis verbis inchoetur; invocatione autem sancti Spiritus perficiatur, absolvatur, compleatur, & consummetur divina illa transmutatio. Recentiores ejusmodi Schismaticos prope excusare videntur nonnulli ex nostris, Renaudotius præsertim, & Lebrunus, adversus quos Antirrethicon scripsit Joannes Benedictus Editor operum sancti Ephrem Syri, qui labi in extremum oppositum videtur, ostendere contendens ex Anaphoris Syrorum, nullo modo Græcos errore teneri, sed Græcorum modo fæcem Photianos, nec omnes, nec semper; sed a trecentis fere annis Sycophantas modo quosdam, vespertiliones, alogos, quorum contagione pauci modo Syri afflati sint.

151. Quidquid de hoc sit, quod ad Philologiam potius Ecclesiasticam, quam ad dogma spectat, incumbit nobis heic ostendere, invocationem illam sancti Spiritus factam in nonnullis Veterum non modo Orientalium, sed etiam Occidentalium Liturgiis, nil officere communi nunc Theologorum sententiæ, formam scilicet hujus sacramenti in solis verbis institutionis constitutam esse, illisque solis sacra transmutari symbola, & consecrari; quare intelligatur, illis in Liturgiis, in quibus post institutionis verba Spiritus sanctus invocatur, ut descendat in altari, non alium in finem id fieri, & factum esse, nisi ut descendat tunc eo modo quo descendit in Jordane dum Christus baptizatus est, ubi eum jam præsentem invenit.

152. Facillime tamen ejusmodi occurrimus objectis. Siquidem Patres non modo precum nomine verba institutionis significare voluerunt; quemadmodum patet ex celebri controversia de Baptismo Hæreticorum, in qua semper sermo fit de prece, aut precibus Baptismi, quum nil tamen aliud denotetur, quam ipsa Baptismi forma; verum etiam illud accedit, Patres loqui de tota actione, deque tota liturgia, quæ precibus revera constat, & Ecclesiastico præcepto necessariæ sunt, quamvis ea non sint, de qua quærimus, sacramenti forma.

153. Et primum quidem, ut allegatus Editor sancti Ephrem animadvertit, idem in Orientalium Liturgiis reperitur, ubi alia quoque sacramenta administrantur. Porro Ordinationum officia habet Orientalis Ecclesia bene multa: in illis nullum est, quod constitutis partibus essentialibus ordinationis, quæ sunt materia, & forma cujuslibet ordinis non subdat prolixas preces, quibus Spiritus sancti illapsus iterum imploretur, ut candidatis conferat sacrum ordinem, qui certissime jam collatus creditur, quandoquidem constituta a Christo materia, & forma dudum ab ordinante exhibitæ. Id una pro cunctis loquitur Ordinatio Diaconi. Hanc communis Theologorum sententia, quam sequitur constitutio Clementis VIII. constare docet ex impositione manus, & verborum formula: *Divina gratia &c.* sive ut Morinus probare conatus est, ex invocatione Spiritus sancti. Et hæc quidem omnia statim sub initium Ordinationis Episcopus ordinans rite præstiterat: pergit tamen, & admota manu capiti suscipientis ordinem, prolixas preces subjungit quibus ordinem, ordinisque annexam gratiam Candidato efflagitat, inquiens: *Complaceat tibi, Domine, nunc propter multas misericordias tuas, & Diaconatum servo tuo concedere &c.*

154. Hanc ipsam repetitionem in sacris Græcorum ordinationibus, & in ordinationibus Syrorum animadvertimus eamdemque methodum in Sacramento Pœnitentiæ, quod per formulam deprecativam ab Orientalibus administratur, exhibent Syrorum Ritualia; quemadmodum & in consecratione Chrismatis, & in aliis multis, quibus jam per anteriores preces, & formulas factis omnino, & constitutis, iterum tamen oratur Deus, ut ea faciat, & constituat: quare colligere est, ex invocatione ea sancti Spiritus super consecrata symbola in Liturgiis Orientalium, & Græcorum minime omnino sequi, earum conditores non existimasse formam consecrationis integram, & per-

& perfectam esse verba institutionis; quum Spiritus sancti illapsum advocare facile potuerint, etiamsi mirabilem donorum conversionem jam factam fuisse per institutionis verba nullo pacto dubitaverint.

155. Cur vero in anaphoria Orientalium, & Græcorum, quemadmodum olim etiam in pluribus Occidentalium Liturgiis, post recitata institutionis verba advocatus fuerit Sanctus Spiritus, ut e Cælo descendens oblata sanctificaret, & transmutaret dona, præter tot alias interpretationes a viris doctissimis propositas, subjiciemus heic tantummodo, quæ habet Jacobus Goarius in adnotationibus ad Euchologium Græcorum, ubi Liturgiam explicat quæ dicitur Chrysostomi, ita scribens: Post prolata igitur institutionis verba, quibus mirabilis peragitur conversio, Ecclesiam pro ea conversione de novo veluti facienda, Spiritus sancti virtutem suis precibus advocare docuerunt Patres Liturgiarum Auctores, primo: quia licet certo certius teneat Ecclesia, solis Christi verbis hoc mysterium posse confici: horret tamen animus, mens titubat, affectus refugit sine precibus aut hostiam consecrare, aut hoc irreligioso more consecratam recipere: ideoque ad id, quod sibi magis expedit, & initiando mysterio congruit, ad laudes Dei, verti ejus præconium, precesque maxime, pro ipsa conseeratione obtinenda recurrit. Licuit enim semper, imo & Deus ipse gaudet, nos promissa sua, quibus tamen enm non stare est impossibile, precibus nostris sollicitare, & ut adimpleantur orationibus urgere. Spontanea quippe est, & libera, æque ac donum, doni promissio: & ut spontanea, doni pretio comparatur. Quis enim neget, post pollicitum Abrahæ filium, pro ejus exortu nullas preces ipsum fudisse, aut post promissum a Christo Spiritus sancti, certissime in eos illapsuri, donum, illud fervidis orationibus Apostolos non expetiisse? Quod postremum tamen sacræ Liturgiæ aperte asserunt. Quis non videt, Ecclesiam Latinam pro consecratione, procul dubio Christi verbis adimplenda orare? Ita & doni jam obtenti, supraque vires, & merita collati possessio, votis omnibus expeti potest, & postulari, non eo quidem fine, ut de novo compararetur; sed ut pacifice teneatur, & ut voluptas ex ejus fruitione orta crescat, foveatur, confirmetur.

CAPUT XVII.

De Transubstantiatione juxta sacras Litteras.

156. Vindicato contra Calvinianos præsentiæ realis dogmate, & illustratis quæ ad materiam, & formam pertinebant Eucharisticam, quæstionibus, alterum propugnandum dogma sumimus, nempe transubstantiationis adversus Lutheranos, qui nobiscum in capite realis præsentiæ convenientes, negant a Sacramento panem, & vinum post consecrationem abesse. Elementorum permanentiam cum Corpore, & Sanguine Christi diverso explicantes modo; unde a Polemicis quibusdam tributa ipsis fuerit assumptio, augmentatio, impanatio, consubstantiatio, concomitantia, unio panis, & vini cum Christi Corpore, & Sanguine. Verum est, Lutheranorum præstantiores, quemadmodum Leibnitius in tractatu concordiæ rationis, & fidei, & Pfaffius in dissertatione sua de oblatione & consecratione veterum Eucharistica, questos de Catholicis fuisse, ob ipsis perperam, ut ajunt, assertos modos illos impanationis, consubstantiationis, & similium, de quibus Augustanos subdunt nunquam cogitasse, neque nisi ob male intellectam eorum doctrinam insanos adeo sibi errores objectos; quare pro libris ipsorum liturgicis, & symbolicis, suisque ad eos commentariis consequens esse volunt, solam se concomitantiam, aut ineffabilem Corporis, & Sanguinis Christi cum pane, & vino unionem profiteri. Quia tamen Ecclesia Catholica docet, nullum post consecrationem reliquum esse in Sacramento panem, & vinum; ideo neque nudam illam concomitantiam admittere possumus, neque simplicem, & ineffabilem panis, & vini cum Christi Corpore, & Sanguine unionem *(a)*. Sit igitur

PRO-

(a) Et vero Lutherani ea nobiscum adversus Calvinianos urgent, quæ Apostolus habet I. ad Corinthios XI. *qui enim indigne manducat, & bibit, reus erit Corporis, & Sanguinis Christi;* ex quibus inferunt Christum in Eucharistia non manducari per solam fidem; quia, inquiunt, si id esset, indigni nil manducarent, nil biberent; quod si indigni quoque Christi Corpus, & Sanguinem, licet indigne, manducant tamen, & bibunt; itaque vere, & proprie sit ejusmodi participatio, & non per solam fidem. Egregie profecto. Verum quid statim de tali indigno addit Paullus? En hæc profecto: *Non dijudicans Corpus Domini.* Itaque eo in mysterio sunt tantum Corpus, & Sanguis Domini, proptereaque nulla panis, & vini reliqua est substantia

Digitized by Google

PROPOSITIO.

In Eucharistico Sacramento post consecrationem nulla remanet panis, & vini substantia.

ID autem colligitur primo ex verbis institutionis *hoc est Corpus meum*; ubi pronomen *hoc* denotat solum Christi Corpus sine pane; quippe si panis remaneret, debuisset Christus dicere *hic*, sive in hoc loco est Corpus meum; quum autem de eo, quod præ manibus habebat dixerit: *hoc est Corpus meum*, sequitur, panem non remansisse conjunctum Corpori, sed mutatum fuisse in Corpus Christi. Falsa deinde esset hæc propositio, hoc est Corpus meum, si remaneret panis, & vinum, quia quod Christus ostendebat non fuisset ejus Corpus, sed panis, non ejus Sanguis, sed vinum. Certe quando Christus dixit, *hoc est Corpus meum*, vel locutus est in sensu proprio, & literali, vel in sensu figurato. Non dicent Augustanæ confessionis asseclæ, Christum locutum fuisse in sensu figurato, quum realem præsentiam nobiscum fateantur; ergo hæc Christi verba proprio in sensu sumenda sunt; proindeque sequitur, factam supponi conversionem panis in Corpus Christi; evidens enim est, panem non posse dici Corpus Christi in sensu proprio, & naturali, nisi præconcipiatur factam fuisse vi verborum consecrationis conversionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi. Sane ex quo duo aut sint unita, aut simul existant, aut unum sit in altero, non sequitur, quod unum de alio valeat enunciari, præsertim si ambo substantiæ sint, suoque in genere disparata; neque enim dicimus, anima est Corpus, Deus est mundus, pictura est paries, licet anima uniatur Corporis, Deus in mundo sit, pictura adhæreat parieti. Cum igitur neque per unionem, neque per inhærentiam, neque per intimam penetrationem Corporis Christi in substantia panis possit de ipsa enunciari *hoc est Corpus meum*, sequitur, enunciatis illis verbis nullam reliquam esse panis, & vini substantiam, sed in Christi Corpus, & Sanguinem esse conversam.

157. Obj. 1. Nullibi Scriptura tradit fieri transsubstantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi; Ergo gratis asseritur.

158. Respondemus, Etiamsi disertis verbis Scriptura non tradat, in Eucharistiæ Sacramento, panem converti, transire, transmutari in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi; id tamen clare, & certe colligi ex Eucharisticæ institutionis verbis. Cum enim non figuratus, & allegoricus, sed proprius fuerit Christi sermo, proindeque efficax, & operatorius, quo panem manibus tenens dixit, *hoc est Corpus meum*, fitque prorsus absurdum, & nulla ratione admittendum, substantiam panis esse proprie Christi Corpus, necessario effluit, his verbis effici, ut panis in Corpus Christi convertatur; quomodo si lapidem manibus tenens dixisset Christus, hic est panis, haud dubie verbum ejusmodi a Christo veraci, & omnipotente prolatum, vere in panem lapidem convertisset, cum retenta proprietate sermonis, alium sensum probabilem effingere quis non possit. Quare Calviniani cuncti ubi contra Lutheranos disputant, ita ratiocinantur: Vel Christus proprio in sensu locutus est, vel in sensu tantum metaphorico. Si posteriore hoc sensu; igitur non est realiter præsens in Sacramento. Si autem priore sensu dixit, *hoc est Corpus meum*, tunc ergo sequitur transsubstantiatio; quemadmodum Romana credit Ecclesia, quod argumentum Calviniani invictum credunt contra Lutheranos.

159. Est autem huic quæstioni impertinens, ut hoc loco Estius animadvertit, utrum secundum proprietatem sermonis, ejusmodi reddatur verborum Christi sensus: hæc res, quam videlicet ex hoc pane facere intendo, & facio, est Corpus meum; an vero iste, hic panis fit, vel mox erit Corpus meum. Sunt namque indignæ viro Theologo hæ nugæ, atque ambages; sufficit, utraque ex interpretatione satis certo intelligi, ad ejus propositionis virtutem requiri, ut non permaneat id, quod prius erat, sed in aliud commutetur. Id quippe his etiam in sententiis, quæ accidentalem tantum, & relativam mutationem significant, locum habet; nam qui librum suum manu tenens dicit alteri: *hic est liber tuus*, non vult ea propositione efficere, ut liber manens suus, fiat alterius; sed ut ex suo alterius fiat, ita nimirum ut suus esse desinat.

160. Obj. 2. Plurima Scripturarum loca probant, panem remanere in Eucharistia; veluti prima ad Corinthios cap. 10. *panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* & ibidem: *quicumque manducaverit panem hunc* &c. Ex verbis igitur Domini: *hoc est Corpus meum*, perperam colligitur transsubstantiatio; nam idem Dominus Joannis 6. inquit: *Ego sum panis*; atqui ita loquens non se mutavit in panem; itaque dicens: *hoc est Corpus meum*, non transmutavit panem in Corpus suum. Rursus dum Apostolus Joannes Epist. sua I. cap. 5. de Christo scripsit: *Hic est verus Deus, & vita æterna*, propositio hæc non ita prædicat divinam naturam de Christo, ut humanam excludat, sed solummodo docet; Christum, qui corporeis oculis homo videbatur, æque Deum esse: quod adeo verum est, ut tamquam hæretici vitandi habiti sint, qui vel carnem Christi apparentem esse tantummodo dixere; vel humanitatem ipsius absorptam fuisse a Divinitate; itaque similis propositio: *hoc est Corpus meum* significare non debet, panem, & vinum mutari in Corpus, & Sanguinem Christi, & post consecrationem reliquas tantum esse panis, & vini apparentias; sed quum panis,

Digitized by Google

panis, & vinum adhuc post consecrationem videantur, denotare debet, Corpus, & Sanguinem Christi post consecrationem esse pani, & vino ita unita, ut ex duabus naturis, corpore scilicet, & Sanguine Christi cum pane, & vino unum fiat Eucharistiæ Sacramentum. In Eucharistia juxta Catholicos salvatur propositio *hoc est Corpus meum*, etiamsi remaneant accidentia; Ergo vera erit eadem propositio, etiamsi remaneat panis substantia. Denique de ferro, quod pervaserit ignis jure dicimus: *hic est ignis*, deque arca auro plena, *hoc est aurum*, nulla facta vel in ferro, vel in arca, mutatione substantiæ; nullam igitur inferre oportet mutationem substantiæ ex propositione Christi: *hoc est Corpus meum*.

16. Respondetur, Eucharistiam appellari panem vel eo quod Corpus Christi fit ex pane, vel quia sensuum judicio apparent panis species adhuc post consecrationem, non quia substantia panis reliqua in Sacramento sit; cum ex Christi verbis illud, quod videtur panis fiat suum corpus. In verbis vero apud Joannem 6. *Ego sum panis*, metaphoram agnoscunt ipsi adversarii, quam negant in verbis institutionis Eucharistiæ; non enim Christus se ipsum absolute panem appellavit, sed *panem vitæ*, id est, comparate ad manna, de quo eo loci erat sermo; quod Salomon Glassius, quamvis Lutheranus, libro Philologiæ sacræ 5. tractatu 1. metaphoræ signum evidens esse statuit, & contendit. (a)

162. Jam vero ne suspicemur conversionem naturarum in illa enunciatione: *Verbum caro factum est*, facit & immutabilitas divinæ naturæ, & quod immediate subjicitur, scilicet, *& habitavit in nobis*; quibus verbis unio, distinctio, & permanentia utriusque naturæ adversus Eutichianos demonstratur. In casu autem nostro neutrum habetur; quoniam neque panis substantia immutabilis est, neque subjiciuntur verba, ex quibus inferri possit eam permanere. Ex opposito cum pronomen neutrum *hoc* accidentia non respiciat, salva manet Christi propositio, tametsi post consecrationem ea in Sacramento reliqua esse videamus.

163. Exempla cetera ad rem non faciunt, cum pro vulgato, recepto, communique dicendi modo quid illæ, similesque locutiones denotent, intelligatur. Verum cum nulla hominum institutione, nullo sermonis usu, dum Christus dixit: *hoc est Corpus meum*, intelligere quia potuerit, uniri pani corpus suum, sequitur, verba illa nullam metaphoram unitam continere, proindeque literaliter accipienda esse, neque unionem aliquam, vel concomitantiam significare posse, sed solam mutationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem ipsius Christi.

CAPUT XVIII.

De Transubstantiatione juxta Orientales, & Græcos.

164. Veterum Græcorum Patrum apertissima de conversione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi testimonia apud universos legimus Polemicos. Quid clarius Cyrilli Jerosolymitani verbis Catechesi IV. Mystagogica? *Christus aquam mutavit aliquando in vinum, & non erit fide dignus cui credamus, vinum transmutari in Sanguinem*? Quid apertius verbis Gregorii Nisseni in sermone ad Catechumenos dicentis: *si panis quem comedebat Christus in divinum ejus Corpus naturali virtute mutabatur; cur non credimus panem sanctificatum divina vi in divinum Corpus transmutari?* ita docet etiam Cyrillus Alexandrinus in Epist. ad Colusianum, Eusebius Emissenus in sermone de Corpore, & Sanguine Domini, D. Joannes Chrysostomus pluribus in Homiliis, alii frequentissime a Theologis laudati. S. Ephrem Syrus in sermone de cœna Domini hæc habet: *Ne reputes quem heic panem, quodque vinum vides, eadem hac existere: minime frater, nolite hac credere. Precibus Sacerdotis, Sanctique Spiritus adventu, panis fit Corpus, vinum fit Sanguis*. Similia ejusdem Sancti Patris addit testimonia Petrus Benedicti postremus Operum ipsius editor in priore antirretico adversus Kohlium, qui hunc Patrem in Augustanæ hypotheseos errorem trahere conatus fuerat.

165. Numquam vero defecisse Orientalibus in Ecclesiis ejusmodi veritatis vindices ea constantissime evincunt, quæ celeberrimo in opere de perpetuitate fidei circa Eucharistiam prostant recen-

(a) Idque adeo verum est, ut recentissimus inter Lutheranos scriptor, Joannes Franciscus Buddæus Libro V. Theologicarum institutionum, ubi de sacra cæna agit, candide fassus sit, Græcos Patres, quoties de Eucharistia loquuti sint, vocibus μεταφορὰ, μεταμόρφωσις, μεταποίησις, μεταστοιχείωσις, μεταβολὴ metamorphosis, metapiesis, metastichiosis, similibusque usi sint, quæ mutationem, & conversionem innuunt; sed quibus tamen, subdit, aliud eos denotare noluisse, quam realem in Eucharistia Christi Corporis, & Sanguinis præsentiam; easque voces latiori sumendas esse sensu; simulque fatendum, Patres parum adeo adcurate locutos, occasionem aliis erroneas notiones animo concipiendi præbuisse. Pronomen neutrum *hoc* substantiam significare; proindeque, aut solam substantiam denotare panis posse, aut solam substantiam Corporis Christi.

centiorum Græcorum testimonia, quorum adhuc dum in Bibliotheca S. Germani a Pratis Monachorum Benedictinorum asservantur autographa; & acta quidem illa vel a Græcis latinizatis producta, vel missionariorum fraudibus extorta, vel per legatos, Consules, atque emissarios Regis Galliæ emendicata, & empta a Græculis, a quibus nihil non pretio consequaris, dixere Claudius, Einetius, Spanemius, Ambrosius Bellius, & Aimonius, quos tamen in extrema omnino lapsos sinceriores fatentur Protestantes, quemadmodum legere est apud Pfaffium in dissertatione de oblatione, & consecratione veterum Eucharistica, ubi cum Theologis Witembergensibus, aliisque candidioribus Heterodoxis, Eleurio præcipue, Laurentio Normanno, Nicolao Bergio negari non posse ait, Græcos, Russos, & Orientales omnes veram semper statuisse symbolorum mutationem, veramque, & propriam transubstantiationem *(a)*.

166. Nulli vero falsæ interpretationi, nullique obnoxia exceptioni ait, quæ Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in responso primo ad Augustanam Confessionem, dissertis asserit verbis, nempe: panem in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi mutari: quod idem repetit in responso altero Gabriel Severus, Metropolita Philadephensis in Apologia pro Ecclesia Orientali, panem, & vinum vocat *materiam necessariam, qua statim per invocationem Spiritus sancti Sanguis, & Corpus Christi futura est*. Coacta vero contra Cyrillum Lucarium Calvinizantem Synodo Constantinopolitana anno 1638. id inter alia statutum fuit: Cyrillo *dogmatizanti, & credenti, non transmutari propositionis panem, & vinum in verum Corpus, & Sanguinem Christi, anathema*. Denique ut infinitos alios omittamus, quorum testimonia in libro perpetuitatis fidei non comparent, ideoque haberi non possunt, vel Gallorum artibus extorta, vel emendicata, vel empta, provocamus ad confessionem, ut inquiunt, Orthodoxam Ecclesiæ Græcæ confessionis Lucarianæ oppositam a synodo Moldaviensi approbatam, a Patriarchis Orientalium omnibus subscriptam, & in librum Ecclesiæ Græcæ symbolicum relatam, in qua aperte magis, quam in Tridentina synodo, ejusque in Catechismo transubstantiatio ponitur, statuitur, & definitur; adeo ut si tot hæc posteriora cum antiquorum dictis Patrum conferamus, nullus reliquus sit dubitandi locus, hoc dogma in Orientali & Græca Ecclesia fuisse semper traditum, & conservatum.

167. Obj. I. S. Gregorius Nyssenus oratione in Baptismum Christi, de homine sacram ordinationem recipiente scribit: *quod quum nihil vel Corpore, vel forma mutatus, sed, quod ad speciem externam attinet, ille sit, qui erat, invisibili quadam vi, & gratia invisibilem animam in melius transformatam gerit*. Theodoretus Dialogo I. qui inscribitur *immutabilis*, de Christo inquit: *qui corpus naturale frumentum & panem appellavit, & vitem rursus se ipsum nominavit, is visibilia symbola Corporis & Sanguinis sui appellatione honoravit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam addens*. Et in Dialogo, qui inscribitur *non confusus*, in quo cum Euthichianus, quem ipse Eranistem, sive mendicum nominat, ut probaret humanam Christi naturam in divinam versam fuisse, argumento sumpto ex Eucharistiæ Sacramento, ita differeret: *Sicut ergo symbola Dominici Corporis alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem vero mutantur, & alia fiunt, ita Domini Corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est*. Orthodoxus, hoc est ipse Theodoretus in hæc verba respondit: *retibus, quæ texuisti captus es*: neque enim symbola mystica post consecrationem recedunt a sua natura; manent enim in priori substantia figura, & specie, & videri, tangique possunt, sicut & prius; itaque pro mente Theodoreti nulla in Eucharistia fit transubstantiatio.

168. Respondemus, non effici ex allegatis verbis, Theodoretum credidisse, verum panem, & vinum verum in Eucharistiæ Sacramento permanere; etenim voce substantiæ, & naturæ non ipsam panis, vinique substantiam, sed panis, vinique accidentia significavit; habent enim ipsa quoque essentiam, & naturam suam; ut apud Philosophos in confesso est, qui docent, a nostris sensibus non percipi substantiam ipsam, sed sola accidentia, quibus substantia veluti obnubitur: ob

(*a*) J. Petrus Kohlius in præfatione ad exercitationem de consensu, & dissensu Orientalis Græcæ speciatim Russiæ, & Occidentalis Lutheranæ Ecclesiæ in dogmatibus &c. ita habet: *Confessio Orthodoxa* Ruthenorum primo incitatu conscripta, in Romanorum partes nimis inclinare passim videtur. Quamobrem non pauci authenticitatem ejus in dubium vocant, in iis Joannes Aymonius, qui omnem plane Confessioni huic auctoritatem derogat, eamque a decem, vel undecim Clericis partim depositis, partim Heterodoxis confectam esse ait; in quo tamen judicio rigidum nimis fuisse videtur, dum Alexander Helladius, aliique Græci confessionem hanc dissertis verbis suam vocitent. Aymonio paullo modestior Claudius a Papicolarum fordibus pririma trahere ingenue fatetur; neque ab hac sententia alienus Ricautius, in libro de Ecclesia Græca, magnam speciem præ se ferre dicens, illos, qui Orientali confessioni subscripserunt, in Italia fuisse educatos, saltem quoad articulum de Transubstantiatione papizasse.

Digitized by Google

bitus: nos enim veram panis substantiam nec videre, nec tangere, nec olfacere possumus, nec degustare, sed panis colorem videmus, figuram tangimus, olfacimus odorem, saporem gustamus. Si igitur, inquit Theodoretus, mystica illa symbola in priori manent essentia, & habitu, & specie quia & videntur, & tanguntur, qualia prius erant, de speciebus, & accidentibus panis, & vini loquitur, non de vera ipsorum substantia.

169. Maxime hic vero considerandum est, Eutichianos, quibuscum Theodoretus, & alii Catholici disputabant, ut pervincerent non permansisse in Christo duas naturas, sed humanam fuisse in divinam conversam, argumento frequentissime usos fuisse ex Eucharistica transsubstantiatione derivato. Porro si præconceptum habuissent Eutichiani, Catholicos sentire, in Sacramento Eucharistiæ substantiam unam in aliam non verti, sed duas ibi veras esse substantias, panis scilicet, & Corpus Christi, numquam exemplum Eucharistiæ adhibuissent, prævidentes, illud causæ nociturum suæ. Ex opposito argumentari se ad hominem, ut dicitur, credebant, si ex quo docerent Orthodoxi, naturam panis mutari in Corpus Christi, fateri quoque debuissent, naturam Christi humanam mutatam fuisse in divinam; itaque Eutichianis ipsis testibus Orthodoxi priorem illam mutationem tenebantur.

170. Contra tamen est. Theodoretus eodem sensu sumit nomen naturæ, cum dicit, panem remanere in Eucharistia secundum propriam naturam, quo illud accipit, dicens in Christo esse naturam humanam præter divinam; alioquin ad rem non esset ejusmodi exemplum: atqui non oppugnasset Eutychianos, nisi nomine naturæ, intellexisset veram, & propriam substantiam, & essentiam humanam Christi; itaque etiam dum ait de natura panis in Eucharistia, intelligere debuit veram & intimam panis substantiam facta consecratione remanentem. Et sane, si nomine substantiæ, & naturæ panis, & vini, quam urgebat remanere in Eucharistia, solas panis species significasset, Eutichiani errorem non oppugnavisset, sed confirmavisset potius. Potuissent enim respondere Eutichiani, credere se quoque, in divinam versam fuisse humanam Christi naturam, ejusque nihil præter speciem, & apparentiam superasse. Ergo &c. Deinde Tertullianus in libro de Monogamia: *resurgere in opera carnis de continentia otio, & substantia laterum*; ed significandam vim, & vigorem laterum. Et lib. 2. de cultus fœminarum: *debemus quidem ita sancte, & tota fidei substantia incedere*. Et lib. de exhortatione castitatis: *per continentiam negotiaberis magnam substantiam castitatis*. Eusebius lib. III. de vita Constantini cap. 46. ita de S. Helena moriente: *Anima igitur illius in incorruptibilem & Angelicam substantiam reformabatur*. S. Augustinus in Psalmum 68. *per iniquitatem homo lapsus est substantia, in qua factus est*. S. Petrus Chrysologus sermone 82. ita de Christo resurgente: *sed mutatur effigies dum efficitur ex mortali immortalis, & ex corruptibili incorruptibilis; ut hoc sit mutasse substantiam, non mutasse personam*.

171. Respondemus, sicuti nomina naturæ, & essentiæ ambigua apud veteres erant, significabantque modo substantiam rei, modo ipsius qualitates; ita ambiguum fuisse nomen symboli, & aliquando rei substantiæ denotandæ, aliquando significandis rei proprietatibus fuisse usurpatum. Quum igitur ætate Theodoreti voces accidentium, & specierum ignotæ adhuc forent, factum est, ut ambiguis illis nominibus uteretur; quare Eutichianus symbola accipiendo pro substantia, recte diceret ea per consecrationem mutari. Orthodoxus id negaret, symbola pro qualitatibus accipiendo. Uterque tamen non recte differebat, eam inter mysteria incarnationis, & Eucharistiæ imaginatus similitudinem, quæ revera non erat. Sed Theologicam magis responsionem habebis ad sequens simile argumentum.

172. Obj. 2. D. Joannes Chrysostomus in Epist. ad Cæsarium, demonstraturus contra Synusiastas, sive Apollinaristas, utramque Christi naturam retinere etiam post ascensionem proprietates, & qualitates suas distinctas, & impermixtas, hoc utitur exemplo: Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus, divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici Corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit; & non duo corpora, sed unum corpus ibi prædicatur; sic & hic divina inundante uni corpori natura, unum filium unam personam, utraque hæc fecerunt; ergo juxta D. Joannem Chrysostomum natura panis in Sacramento permanet etiam a Sacerdote consecrati. Nonne Protestantes hac methodo utuntur, ubi illis scriptorum testimonia opponimus, eorum hypothesibus adversa? ad transsubstantiationem a Græcis olim creditam evincendam, Gennadii, sive Georgii Scholarii, Patriarchæ C. P. Homiliam adferre in medium nos solemus, ubi μετουσίωσις vox habetur. Quid ad hoc adversarii; præsertim Jo. Rudolphus Kieslingius in Hist. concertationis Græcorum, Latinorumve de Transsubstantiatione? Hæc profecto cap. X. §. 13.

173. Responderi huic argumento posset cum Lequienio dissertatione 3. Damascenica, Epistolam objectam fœtum Chrysostomi non esse, sed inter infinita recensendam spuria, quæ Nestoriano, & Eutichiano circumferebantur sæculo. Cur enim contra Eutichianos, & Monothelitas eam non allegavissent ante Joannem Damascenum Concilia, Pontifices & Patres, qui tot alia minus expressa, & differta minus Chrysostomi testimonia protule-

tulere? Hoc autem Lequienii (a) judicium probat, aliisque confirmat argumentis novissimus operum Chrysostomi editor Bernardus Montfauconius monito huic Epistolæ præmisso, tomo operum eorumdem tertio.

174. Sed ultro hujus Sancti Patris fœtum esse concedamus. Nil in ea profecto contra transubstantiationem, si scopus Chrysostomi attendatur, & cardo controversiæ cum Synusiastis, qui erat idem atque Theodoreti cum Eutichianis. Contendebant ejusmodi Hæretici ita cum divina Christi natura commixtam fuisse naturam ipsius humanam, ut hæc suas omnes amiserit proprietates. Non erat igitur quæstio de duabus in Christo naturis; nam utramque admittebant Apollinaristæ, & Eutichiani; sed controversia erat, an humana Christi natura ita a divina fuisset absorpta, ut suas amisisset qualitates. Ex eo igitur, quod proprietates panis, & vini in Eucharistia non absorbeantur a Corpore, & Sanguine Christi, sed distinctæ in Eucharistia permaneant, quamvis unicum sit Sacramentum, exemplum sumebant Chrysostomus, & Theodoretus, unde evincerent, proprietates naturæ Christi humanæ remanere, & non confundi cum divina ipsius natura; quamvis unus sit Christus.

175. Hunc juxta respectum, & scopum tenet similitudo inter Eucharistiam, & Incarnationem, quæ aliunde similes non sunt: nam in Incarnatione, ex permanentia qualitatum humanarum jure, & naturaliter inferimus permanentiam naturæ humanæ integre & impermixte in Christo; in Eucharistia ex opposito ex permanentia qualitatum panis inferre non possumus permanentiam substantiæ panis in Sacramento. Quare id vero? quis ex proprietatum existentia recte deducimus existentiam naturæ, & substantiæ, ubi divina auctoritate moniti non sumus, permanentibus qualitatibus, substantiam per miraculum abesse.

176. Jam vero docemur verbo Dei scripto, & tradito, permanentibus in Eucharistia panis qualitatibus, non permanere tamen substantiam panis: verbo Dei scripto, & tradito docemur ex opposito suis cum proprietatibus permanere naturam humanam in Christo. Ejusmodi cum restrictione tanto magis intelligendum est adductum a Chrysostomo exemplum, quanto illustriora sunt cetera ipsius de transubstantiatione testimonia; tot enim sunt hujus sancti Patris Eucharistico de mysterio egregie pronunciata, ut quemadmodum Augustinus gratiæ, ita Chrysostomus Doctor appellari mereatur Eucharistiæ.

CAPUT XIX.

De Transubstantione juxta Latinos Patres.

177. Post Concilia Lateranense III. Constantiense, & Tridentinum creditam fuisse latina in Ecclesia transubstantiationem fatentur Protestantes, qui adhuc contendunt fuisse eam prioribus sæculis ignotam. Quare tamen id adferant non intelligimus. Divus siquidem Ambrosius libro de iis, qui mysteriis initiantur cap. 9. ostensurus, in Eucharistia non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, hoc simile adducit: *Virgam tenebat Moyses, projecit eam, & facta est serpens. Rursus apprehendit caudam serpentis, & in virga naturam reversa est. Vides igitur, Prophetica gratia bismutatam esse naturam, & serpentis, & virgæ. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de consecratione divina?*

178. Idem S. Pater lib. 4. de fide cap. 5. docet, panem transfigurari, id est transformari in Corpus Domini, neque enim ad figuram externam id referri potest, ut per se patet. In Psalmum denique 134. scribit: *licet figura panis, & vini videatur, non tamen aliud, quam caro Christi, & Sanguis, post consecrationem credendum est.* Vetus auctor operis de Sacramentis Ambrosio olim asserti lib. 4. c. 4. inquit: *tu forte dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit Corpus Christi.* Idem habet D. Hieronymus in Epistola ad Eliodorum, & altera ad Evagrium, & tertia ad Fabiolam, & commentario in Isaiam, & Ezechielem; idem habent Augustinus, aliique veteres a Polemicis longo agmine citati. Quonam igitur jure seriorem ad ætatem dogmatis ejusmodi originem retrahunt Protestantes?

179. Obj. 1.

(a) Ante Lequienium Sixtus Senensis, & Cardinalis Perronius non ficulneis contra hanc homiliam militant laudati Viri argumentis, quæ huc imprimis redeunt. Delituit in umbra hic libellus, omnibusque Græcis fuit adeo ignotus, ut nullus illius fecerit mentionem, donec illum protraxerit *Meletius Syrigus*, homo Latinorum, seu Romanensium illecebris seductus. Doctrina porro in hoc sermone sacro tradita ab hujus, qua conscriptus est, ætatis Græcis prorsus abhorret, cum talibus utatur auctor verbis, & formulis, quas prorsus ignorant Græci puriori fidei addicti. Accedit, nihil in reliquis hujus viri Libris deprehendi, quod cum hac oratione conciliari possit. Confutantur ipsa sane ab Eusebio Renaudotio in dissertatione 2. ad Gennadii Homiliam pag. 37. 68.

Digitized by Google

179. Obj. 1. Non modo Div. Cyprianus lib. 2. Epist. 3. dicit Eucharistiam constare ex farina, & aqua; verum etiam D. Augustinus tract. 26. in Joannem docet, Christum Corpus, & Sanguinem suum in iis commendasse rebus, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis, ut in pane, qui conficitur ex multis granis, & in vino, quod confluit ex multis racemis; itaque singularis significationis caussa, quæ quidem significatio amplius non est, si panis, & vinum non permaneant in Sacramento. Hoc autem argumentum vehementer urgent adversarii veluti fundatum in verbis Apostoli 1. ad Corinth. 10. panis, quem frangimus nonne communicatio Corporis Christi est? &c.

180. Respondemus, ejusmodi Sanctos Patres locutos esse de materia transeunte, ex qua fit Sacramentum, non vero de ea, quæ in ipso permanet. Satis autem mystica retinetur significatio per hoc, quod Corpus, & Sanguis Christi ex iis conficiuntur rebus, quæ ad unum aliquid rediguntur, etiamsi res illæ non perseverent secundum substantiam suam; nam profecto neque in pane ipso remanent actu grana, farina, & aqua, neque in vino racemi, ex quibus utrumque coalescit. Imo mystica perseverat significatio per hoc, quod symbola consecrata humanis sensibus panem adhuc, & vinum repræsentent, & per hoc quod habeant divinitus actum omnem, ac virtutem substantiæ panis, & vini, quare frangi adhuc dicuntur, dividi, comedi, confumi &c. ideoque & id significare, quod substantiæ ipse significassent. Hinc cum in Sacramento fiat, ut elementa per consecrationem quamvis in Corpus, & Sanguinem Christi secundum substantiam transmutentur; eadem remanent tamen secundum species, & proprietates suas, fit atque, ut jure dicere potuerint Patres, per Eucharisticam consecrationem ima summis jungi, terrena cælestibus, corpora supernaturalibus sociari; unumque ex visibilibus, & invisibilibus constitui, Id est ex Christo, & accidentibus panis, & vini, ineffabili modo cum Christi Corpore, & Sanguine conjunctis.

181. Objicies 2. Gelasius Romanus Pontifex in Libro de duabus Christi naturis ita scribit: certe sacramenta, quæ sumimus Corporis, & Sanguinis Christi divina res est, propterea quod & per eadem divinæ efficimur consortes naturæ: & tamen non desinit esse substantia, vel natura panis, & vini. Et certe imago, & similitudo Corporis, & Sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo evidenter ostenditur hoc nobis in Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus, & sumimus, ut sicut panis, & vinum in hanc, scilicet in divinam, transeunt, sancto Spiritu perficiente substantiam; permanent tamen in suæ proprietate naturæ; sic illud ipsum mysterium principale, cujus nobis efficientiam, & virtutem veraciter repræsentant, ex quibus constat proprie permanentibus unum quia integrum, scilicet Christum, verumque permanere demonstrant. Hoc in loco Pontifex duplicem in Christo naturam, divinam nempe, & humanam permanere demonstrat, tametsi una sit persona, ex eo quod permanente pane, & vino cum Christi corpore, & Sanguine in Eucharistia, unum adhuc tamen fit Sacramentum. Certe, inquit Courajerius in adnotationibus ad librum II. historiæ Concilii Tridentini Pauli Sarpii, intelligi vix potest, quomodo Gelasius, uti Theodoretus, auctor Epistolæ ad Cæsarium Monachum, Facundus, alii etiam Hæreticos duas in Christo negantes perseverare post unionem naturas, oppugnare cum aliis antiquis Scriptoribus perrexerint exemplo ex Eucharistia desumpto, tamquam in ea cum natura panis, & vini natura Corporis, & Sanguinis Christi permaneret, oportet siquidem satis notum, certumque, & constitutum fuerit principium ejusmodi, quare illud sæpe adeo urgerent, & invictum contra Heterodoxos existimarent.

182. Responderi potest, libri illius auctorem non esse Gelasium Romanum Pontificem, sed alium, nescio quem, cui nomen erat Gelasius. Ita visum namque Cardinalibus Perrono, Baronio, & Bellarmino, aliisque pluribus. Quod si cum Spondano, Sirmundo, Petavio, Labbæo, aliisque tribuendus revera liber ille sit Gelasio, ad superiorem confugiunt Theologi interpretationem, nempe vocibus naturæ, & substantiæ usum esse Pontificem ad significandas panis, & vini proprietates, accidentia, qualitates. Ita quippe loquebantur pro suorum philosophia temporum Patres, & veteres Scriptores. Tertullianus libro de anima cap. 32. duritiem lapidis, & ferri vocat naturam, & substantiam eorum. Ilarius Canone 10. in Matthæum scribit: corpus per fidem mortificatum in naturam animæ evadit. Ambrosius Libro in Exameron 3. cap. 2. & de mysteriis cap. 9. affirmat naturas fuisse mutatas, quando e petra aqua fluxit, & ferrum aquæ supernatavit; & quando Jordanis conversus contra naturam, reversus est in sui fontis exordium. D. Augustinus enarratione 1. in Psalmum 68. inquit: per iniquitatem homo lapsus est a substantia, in qua factus est. D. Petrus Chrysologus sermone 82. dixit, Christi Corpus, post resurrectionem mutasse substantiam, non mutasse personam; scilicet mutasse corporis qualitates, & proprietates, quas essentiæ, naturæ substantiæque nomine donaverunt Græci etiam Patres, Chrysostomus, Anastasius, Theodoretus, alii ab Arduino allegati de Sacramento Altaris Cap. 3. & 4. Profecto cum Gelasius tam clare, tam aperte fateatur, & doceat, sacra symbola in divinam transiisse sancto Spiritu perficiente substantiam, sequi oportet, eum nisi qualitates, & proprietates panis, & vini permanere non voluisse.

183. Animadversionem Courajeri in ipsum retor-

torquemus; illa siquidem in quæstione, si non de proprietatibus, sed de intimis naturis, & substantiis sermo fuit; dicat nunc ille nobis, quonam pacto Apollinaristæ, & Eutichiani, præconcepta panis, & vini Eucharistici in Corpus, & Sanguinem Christi mutatione tam frequenter, & constanter argumentari pergerent, quo consequerentur suum de mutatione naturæ humanæ Christi in divinam errorem? Certe eo numquam usi fuissent contra Heterodoxos principio, aut exemplo, nisi Eucharisticam mutationem in Ecclesia certam esse, & constitutam intellexissent.

CAPUT XX.

De reliquis ad Transubstantiationem pertinentibus.

184. AD denotandam conversionem panis, & vini Eucharisticam in Corpus, & Sanguinem Christi Patres, ac veteres Scriptores frequentissime his utebantur vocibus: ex pane fit, efficitur, conficitur, consecratur Corpus Christi; de pane fit caro Christi, panis fit Corpus Christi, panis convertitur, transmutatur, transfiguratur, transit, transelementatur in Corpus Christi; quibus dicendi modis mutationem, & transubstantiationem docebant. Sed ipsius modum, aut quo nam fiat pacto ejusmodi transmutatio non explicavere, rati, eam mirabilem nimia esse, & modulum ingenii superare nostri, proptereaque ad solam Dei Omnipotentiam confugiendum inconspicuo nobis modo operantem; quemadmodum egregie D. Joannes Damascenus lib. 3. cap. 14. scribebat: necquidquam amplius nobis perspectum, & exploratum est quam quod verbum Dei verum est, atque efficax. Modus autem, quo fit Corpus Christi ejusmodi est, ut nulla ratione indagari queat.

185. Occasione tamen hæresis Berengarii, illius mutationis modum explicare nonnulli aggressi sunt, suoque magis pro instituto postea scholastici principiis Peripateticæ Philosophiæ aliter atque aliter versatis, & applicatis, donec Tridentina Synodus, omissis eorum ambagibus, sessione 13. hac de re ita docuerit, & definiverit: semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie, una cum ipsius anima, & divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore, & anima hypostaticam unionem. Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus: quæ conversio convenienter, & proprie a sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio appellata est. Huc usque Tridentinum.

186. Non defuere post ipsum tamen, qui adhuc de modo, quo Christus fit præsens in Sacramento altaris, commentari voluerint. Duo quippe hoc ineunte sæculo in lucem prodierunt libri, quorum alteri titulus erat: Durandus commentario illustratus, sive concordia Philosophiæ, ac Theologiæ relate ad transubstantiationem, cujus auctor erat Petrus Calli; alter anonimi fœtus erat, quem tamen fuisse novimus Descabez Monachum Benedictinum contendentem evidenter, & Geometrice demonstrare possibilitatem realis præsentiæ in Eucharistia, aut verum modum, quo Christus in ipsa est. Posterior opinionem prioris confirmare satagebat principiis Carthesianorum, imaginatus, quo primum Sacerdos verba consecrationis recitat, Deum intimis materiæ panis partibus talem motum imprimere, ut novæ configurationis ope efformare valeant organizatum corpus, exiguum illum quidem, integrum tamen, & perfectum, eodemque instanti animam Jesu Christi ipsum animare, extimis hostiæ partibus prioris in statu remanentibus (a).

187. Hanc hypothesim nullus Theologorum esse potest, qui non aversetur, tum quod ita præconcepto Christi in Eucharistia existendi modo, mysterium omne a sacris litteris, a Patribus, ab Ecclesia prædicatum evanescat; tum etiam quod in Sacramento Corpus illud non foret, quod ex Virgine

(a) Vasquesius & Fratres Walenburghii ita explicavere, ut rationem formalem transubstantiationis neque esse mutationem, neque productionem alicujus rei constituerent, sed relationem quamdam ordinis inter substantiam, quæ desinit, & eam, in quam desinere dicitur; atque adeo transubstantiationem nihil addere præsentiæ Corporis Christi, nisi desitionem panis, virtute significationis verborum, ex quo verba Christi vera sint. Verum hanc explicationem cum Concilii verbis pugnare, sunt qui animadvertant, quod non nudam desitionem, sed expresse mutationem, & conversionem substantiæ in substantiam statuit; præsertim quum talem conversionem omnes fidei professiones exhibere videantur.

Digitized by Google

Virgine natum, passum, mortuum, sepultum, sedensque ad dexteram Patris erit, quemadmodum fides docet. Deinde vel replicatur Christi anima, vel non. Si primum, cur per miraculum non replicabitur æque Christi Corpus? Si secus, quonam pacto anima non replicata poterit tot corpora animare? quomodo hac in hypothesi Christus erit totus in toto, & totus in qualibet parte sacramenti? juxta hanc demum concipiendi rationem aliquid remaneret de substantis panis, & vini; quod erat ante consecrationem; proptereaque nil mirum, priorem de quo diximus, librum opinionem Duraudi illustrantem a Francisco Desmondo Bajocensi Episcopo damnatum fuisse anno 1701.

188. Simile quid reali præsentiæ apud Lutheranos explicandæ excogitaverat celebris Leibnitius in tractatu de conformitate rationis, & fidei §. 19. ubi animadvertens juxta plurimos philosophos, etiam in ordine naturæ unum posse corpus immediate, & simul in plura distantia corpora operari; ita nil obesse, quin consequerentur Lutherani, Divinæ virtute Omnipotentiæ posse unum corpus pluribus corporibus simul præsens esse, cum parum distet præsentia, & operatio, & una ab altera pendere intelligatur. Verum hæc realem præsentiam explicandi ratio neque ipsis probata fuit Lutheranis. Eam confutavit Lutheranus ipse Pfaffius in suis de oblatione, & consecratione veterum Eucharistics elucubrationibus; ipseque Leibnitius, ne crabrones irritaret, confestim retractavit se in actis literariis Agæ comitum vulgatis anno 1715. tomo 6. parte 2.; professus suæ se adhærere Ecclesiæ, neque alium profiteri præsentiæ realis modum, quam a suis communiter receptum. Quanto magis præstare debent Orthodoxi, qui veram habent Ecclesiam ducem fidei, & magistram? scilicet, ut præstantissimi animadvertunt viri, quo magis philosophicis hypothesibus ineffabile hoc mysterium enodare nonnulli aggressi sunt, eo majoribus difficultatibus illud implicaverunt, & magis magisque argutiis & cavillationibus Hæreticorum exposuerunt.

C A P U T XXI.

Modus dicendi Tridentinæ Synodi circa Transubstantiationem a censuris Courajerii vindicatur.

189. Etiamsi Tridentinum in transubstantiatione explicanda usum summa fuerit simplicitate, efficere non potuit tamen, quin doctrinam tam moderatam, & sobriam criminarentur adversarii, inter quos post Sarpium Curajerius in adnotationibus ad librum II. historiæ Concilii Tridentini illius Scriptoris, inquiens: optime quidem factum, quod Synodus statuerit, Christum vere, & realiter esse in Eucharistia; quippe quod id satis consonum sit sacris litteris, totique antiquitati. Verum quod addiderit Synodus, Christum in Sacramento adesse per conversionem substantiæ panis, & vini in ipsum, nil aliud id tantum esse, quam Philosophicam, & Scholasticam explicandi rationem in dogma fidei evehere, quod utique laudari non debet; cum supernaturales veritates esse quidem caput fidei possint, sed modus, & ratio, qua explicatur, fidei caput esse non possint.

190. Rursus, quanta contradictio, inquit, Synodi istius est, qua cap. 1. sess. 13. statuens Christum esse Sacramentaliter in Eucharistia, his utitur verbis: *ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi valemus.* Deinde vero asserit, conversionem illam convenienter, & proprie transubstantiationem appellari. Si convenienter, & proprie ita appellatur, cur paucos ante versus dixerat synodus, eam verbis exprimi vix posse? Sique verbis vix potest exprimi, quomodo convenienter, & proprie illo nomine appellabitur? Potuisset sane XIII. invectum sæculo transubstantiationis nomen confirmare, quemadmodum consecratæ olim fuere voces Trinitatis, consubstantialis, personæ, Deiparæ, similesque, quibus Divinæ res aliquo significarentur modo, & ut Augustinus ajebat, de generatione Verbi disserens, non ut id, quod erat clare & proprie explicaretur, sed ne omnino taceretur. Verum rei, quam fatentur ineffabilem, nomen deinde proprium, & conveniens constituere; id sane contradictorium est. Hucusque Courajerius.

191. Cujus tamen meditatio potius a criminandi libidine, quam ab idoneo procedit fundamento. Nam ut dialecticas omittamus nugas, neque hic inquiramus, an illud idem sit, quod synodus ineffabile dixit, proprioque simul & convenienti nomine appellatum; cum postremum hoc sit de conversione panis in corpus Christi; illud ex opposito sit de ratione existendi Christi corporis in Eucharistia, totius scilicet in toto, & totius in qualibet parte &c. illud modo animadvertimus, adversarios ad mentem Concilii animum non applicuisse, dum synodus statuit, conversionem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi convenienter, & proprie appellari transubstantiationem. Porro quemadmodum synodus mutationi illi explicandæ videtur usa phrasibus D. Thomæ, ita æque existimandum est, in sensu ejusdem D. Thomæ mutationem ejusmodi transubstantiationem appellasse. Quare vero juxta D. Thomam ita appellatur? quia inquit ille 3. parte quæst. 75. art. 4. *hæc conversio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi naturalibus conversionibus similis non est, quia & omnino supernaturalis, quia sola Dei virtute effecta est; ideoque recte peculiari nomine transubstantiatio dici potest.* Non igitur transubstantia-

T 2 tio

tio a Patribus appellata est ejusmodi conversio, ut modum, & rationem existendi Christi in Eucharistia, assecutos se, & explicare posse præconciperent. Verum eo nomine conversionem illam donavere quo ostenderent, non agi de conversione naturali, aut naturalibus quoquomodo simili, sed de conversione supernaturali, mirabili, singulari, ineffabili, ideoque speciali quodam nomine exprimenda.

192. Objecta exempla pro nobis vehementer faciunt. Etsi enim nomina Trinitatis, personæ, consubstantialis, ingeniti, generationis, ineffabiles rerum divinarum modos omnino, & proprie non exprimant; commodum inducta tamen sunt ad hæreticos vitandos sensus, & ad tesseram Catholicæ doctrinæ constituendam. Tales mysteriorum modi ad fidem ita pertinent, ut qui eos confiteri nollet, mysteria ipsa negare diceretur. Quare sicut hanc ejusmodi nominibus convenienter, proprieque profitemur, ita convenienter, & proprie utimur nomine transubstantiationis, quo contra eos, qui post consecrationem remanere substantias panis, & vini in Sacramento contendunt, solum sub sacris symbolis, & speciebus adesse Christum tuemur.

CAPUT XXII.

De Speciebus Eucharisticis.

193. Tametsi singulari, supernaturali, & prorsus ineffabili modo Christum esse in Eucharistia Tridentini Patres fassi sint, queruntur tamen Protestantes, quod talem illi modum adhuc definiverint, non tantum decreta substanstantiatione, sed ita eadem etiam explicata, ut nulla post consecrationem remanente panis, & vini substantia, dicantur eorum remanere species, & sub talibus speciebus Corpus, & Sanguis Christi adesse. Rogant jam vero quid sint ejusmodi species? Si absoluta esse accidentia dixerint Orthodoxi, non admittendam adversarii ajunt ejusmodi doctrinam; tum quod accidentia vi naturæ suæ postulent inhærere substantiæ; juxta Catholicos autem nulla est post consecrationem panis, & vini substantia in Sacramento; itaque illi hærere non possunt; sed neque substantia Christi, cujus corpus cum gloriosum sit, & impassibile, non valet subjectum esse accidentium corruptibilium. Deberent igitur accidentia esse pendula per se, nullique subjecto hærere, quod quomodo fieri contra exigentiam eorum possit, adversarii non intelligunt, tum præsertim quod pro recentiorum placitis philosophorum compositum quodcumque naturale hoc ipso formaliter est sensibile, quod ex solidis corpusculis certa magnitudine, & figura affectis, certoque artificio simul intextis, motuque, aut quiete donatis simul coalescat; omnesque sensibiles corporis naturales qualitates ex mechanicis affectionibus particularum materiæ, ex quibus illud compositum est, unice proveniant; itaque nulla qualitas, sive affectio corporum sensibilis est accidens absolutum, quod sine substantia possit etiam per miraculum remanere.

194. Huic difficultati cum relate ad qualitates corporum sensibiles diversa versentur in opinione Theologi, diverso etiam occurrunt responso. Qui Peripateticæ adhuc adhærent Philosophiæ, absolutaque admittunt accidentia, regerunt, ea naturaliter quidem existere sine subjecto non posse; ast cum sint ab eo distincta, divinitus posse fieri, ut actu non inhæreant, quamvis petant inhærere, qua in exigentia, quæ neque tunc aufertur, earum natura sita est. Non esse autem in hoc mysterio explicando Peripatetica ab hypothesi recedendum, contendunt iidem Theologi, præsertim ex analogia illa, quam, ut vidimus, Theodoretus, Gelasius, Chrysostomus, & alii urgebant Sacramentum inter Eucharistiæ, & mysterium Incarnationis; si enim nihil panis reale & positivum, scilicet si vera accidentia post consecrationem non remanent in Eucharistia; igitur nulla erit similitudo pro duabus naturis in una persona evincendis contra Eutichianos, vel pro naturali impermixtione contra Synusiastas explicanda; præterquamquod ejusmodi Peripatetica accidentia præconcepta videntur habuisse Patres Concilii Constantiensis contra Viclephum, & Tridentina synodus ubi ait de remanentia specierum post consecrationem. Profecto non remanet nisi quod antea erat; & cum substantia panis, & vini non perseverare credatur, inferendum est, perseverare eorum tantum accidentia a synodo species appellata.

195. Ex opposito qui novæ adhærent philosophiæ sufficere ajunt ad apparentiam Christi Domini sub speciebus panis, & vini in Eucharistia, ut ex loco, in quo ante consecrationem erant panis, & vinum, & in quo post consecrationem ipse est, eodem modo, quo a pane, & vino immutari solent, sensoria nostra moveat ille, atque afficiat; quod luculentissime confirmari arbitrantur posse ex modo, quo Div. Thomas 3. part. quæst. 76. art. 8. eas apparitiones factas docet, in quibus Christus Dominus nonnullis piis viris sub specie pueri, vivæ carnis, & Sanguinis in Eucharistia se se visendum præbuit. Pervium quippe esse ait S. Doctor, apparitiones ejusmodi ex eo contingere, quod intuentium oculi tantum immutentur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel Sanguinem, vel puerum, nulla immutatione facta ex parte Sacramenti, hoc est, nullis novis accidentibus in subsidium adscitis, sub quibus prioribus destructis, Christus ipse delitesceret. Itaque inferunt, ad apparitionem quoque Christi Domini sub speciebus panis, & vini in hoc eodem Sacramento, satis esse, ut externa intuentium sensoria eo modo, quo a pane, & vino affici naturali-

Digitized by Google

realiter solent, a Christo ipso immutentur; quod aliis etiam Christi apparitionibus in Evangelio narratis confirmant.

196. Horum sane Theologorum opinione stat optime transubstantiatio, licet qualitates sensibiles panis, & vini non sint accidentia illa a Peripateticis inducta, præsertim cum neque veterum, ut ipsi inquiunt, Patrum testimonio, neque Ecclesiæ, aut Conciliorum auctoritate tamquam certum, indubitatumque propositum nobis sit, dari absoluta illa scholasticorum accidentia, ex quibus divinitus in Eucharistia remanentibus ea oriatur panis, vinique sensibilitas, sub qua Christus vere, & realiter in hoc existit Sacramento. Remanere species de fide esse protestantur; sed species esse accidentia, de fide neque esse posse consequuntur. Ita sane statuunt duo nobiles Thomistæ, Hyacinthus Serry, tomo prælectionum Theologicarum I. disputatione de opificio mundi, & auctor operis de re Sacramentaria tom. 1. lib. 4. sect. 1. c. 4. cum quibus plurimi consonant Theologi a celebri Fortunato a Brixia in sua de qualitatibus corporum sensibilibus Physico-Theologica disputatione allegati.

197. Quid nos vero inter hæc physico-Theologica dissidia? Utraque hypothesi dissolvi nedum posse arbitramur; sed miramur, Hetherodoxos argumenta contra mysterium ex Philosophia derivantes, cum ii, qui magis inter ipsos ingenio excelluere, & doctrina infinitis statuerint in locis, divina mysteria non esse ex ratione ponderanda, sed divina solum revelatione, & voluntate, quæ si certo constet, inane remanet quodcumque philosophicum principium. Profecto principium est philosophorum: *a privatione ad habitum non dari regressum*. Et tamen Protestantes non inficiantur, Christum cæco nato visum concessisse, aliquos homines a morte ad vitam revocasse, & omnes demum divino imperio resurrecturos. Philosophicum est principium, *ea, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; neque propterea Trinitatem negant Protestantes, aut Verbi Incarnationem, tametsi Philosophicum principium sit multiplicata in intelligentibus natura, personam æque multiplicari. Principium Philosophicum est, fœminam sine maris opera matrem esse non posse; Christum adhuc tamen ex Virgine ortum neque ipsi negant Sociniani. Itaque quæcumque ponant modo philosophi naturam, atque essentiam, sive substantiæ, sive specierum qualitatum, aut accidentium, cum id quod in Sacramento fieri revelatum est, non naturæ ordine contingat, sed ordine gratiæ, & supernaturali, divinæ Omnipotentiæ virtute, ut hic sæpe adeo animadvertit D. Thomas, sequitur, principiis, atque hypothesibus Philosophorum non everti doctrinam divinam traditione revelatam. Vide ne heic æquivocatione labores. Aliud est intimam sive substantiæ, sive proprietatum essentiam nobis notam non esse, aliud est nos non esse certos de eorum existentia. Sensus utique potius virtutes rerum, & relationem, quam habent cum utilitate nostra, quam earum intimam naturam, nobis manifestant, sed si de earumdem existentia, dum evidenter apparent, dubitemus, in scepticismum labamur necesse est.

198. Non negabimus demum, species panis, & vini Eucharisticas humana corpora nutrire, eorumque vires roborare; non negamus, sacra symbola corrumpi posse, exque iis cineres, vermesque generari. Verum sive cum perpetua D. Thomæ doctrina respondeamus, species Sacramentales esse quidem accidentia, sed habere tamen actum, vim, & virtutem substantiæ; sive præconcipiamus, Deum tunc aliam subjicere materiam, nil proferemus indignum gravitate Sapientis, qui novit, omnia esse apud Deum possibilia, & plura facere Deum posse, quam nos cogitare.

CAPUT XXIII.

De permanentia Corporis Christi in Eucharistia.

199. Fuere inter Nestorianos olim, quemadmodum postea inter Calvinianos, & Augustanæ confessionis asseclas; qui sub Eucharistiæ Sacramento Christi Corpus, & Sanguinem tantum esse in usu, ut loquuntur, & per usum, id est dum sumitur, & vi sumptionis existimaverint: quo tamen ab errore videntur præstantiores eorum recessisse: siquidem Gerardus Joannes Vossius disp. 3. de sacris cœnæ Domini symbolis, non negamus, inquit thesi 8. in veteri etiam Ecclesia obtinuisse reservationem Eucharistiæ tum privatam, tum publicam, uti & delationem ad absentes, atque infirmos. Nam Gentilibus sub imperatoribus, quia ob persecutionis periculum Sacerdos haberi non posset, partem quidem Eucharistiæ præsentes manducabant, partem vero domum afferebant. Meminit hujus moris Tertullianus lib. 2. ad uxorem, & post eum Cyprianus sermone de lapsis. Quod vero ob persecutiones primitus concedebatur, id etiam temporibus pacatis, ob inveteratam consuetudinem permissum fuisse docet D. Basilius Epist. 289. quæ est ad Cæsariam Patritiam, eamque consuetudinem & Alexandriæ obtinuisse, & per totam Ægyptum declarat. Gregorius Nazianzenus de sorore sua testatur in oratione funebri, eam manibus recondere solitam antitypa pretiosi Corporis, & Sanguinis Christi; ex Ambrosio autem in funebri oratione fratris sui discimus, quemadmodum ille in naufragii periculo perfectius Sacramentum fidelium necdum initiatus poposcerit, eoque accepto, illud orario illigavit, orariumque collo involverit, cumque hac fiducia in mare se dejecerit, salvus evaserit.

200. Præterea moris erat, ut Eucharistiæ pu-

blice

Digitized by Google

blice a Sacerdote custodiretur, quo ad ægrotos extra ordinem deferretur. Docet hoc historia de Serapione lapso, sed pœnitente, qui cum sine Eucharistia mori non posset, ea a Dionysio Alexandrino Episcopo per puerum transmissa, inque fauces admissa, confestim Spiritum Domino reddidit, uti Eusebius narrat lib. historiæ Ecclesiasticæ 6. cap. 36. Hucusque Vossius, qui tamen, ne nimis tribuere nobis videatur, non adeo frequenter extra persecutionis tempora id factum fuisse subjecit; nam, inquit, cum quotidie sacra fieret synaxis, nihil attinebat Eucharistiam reponi, sed poterat ea quo tempore cœna publice administrabatur, ad ægrotos, atque alios, qui adesse non possent, mitti per Diaconum, quemadmodum fieri solitum fuisse ajebat Justinus Apologia 2. pro Christianis.

201. Verum sive frequens, sive raro adservata fuerit Eucharistia, sive persecutionis, sive pacis tempore ad absentes missa, ex ipsius narratione Vossii consequens semper erit, Corpus, & Sanguinem Christi etiam post synaxim, & publicum usum sub symbolis Eucharisticis, pro veteris Ecclesiæ fide perseverasse, quod unum modo contendimus contra nonnullos Protestantes. Sane, ut inquit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. *commune hoc quidem est Sanctissimæ Eucharistiæ cum reliquis Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verum illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tum primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, & in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est*. Usus autem cujuslibet rei posterior est ejus existentia & essentia; ideoque Eucharistia Sacramentum antea est, quam ut ea utamur.

202. Neque officit, quod alia Sacramenta, uti Baptismus, in usu consistant, nam aqua quæ res est permanens in Baptismo Sacramentum Baptismi non est, sed ablutio cum Trinitatis invocatione, quæ usu, & actione perficiuntur. Verum ex opposito in Eucharistia nemo vocaverit Corpus Domini consecrationem, vel fractionem, vel distributionem, vel manducationem, vel actionem aliquam, sed rem permanentem, id est symbola sanctificata; proindeque cum nulli actioni conveniat tota ratio Sacramenti, sequitur, eam constitui oportere in Christi Corpore Eucharisticis sub speciebus permanente.

203. Hanc veritatem confirmare satagit Franciscus de Berlendis in dissertatione sua de oblationibus ad altare part. 1. §. 5. ex eo quod S. Hieronymus duabus in Epistolis testetur, fideles Romæ suo ævo quotidie Eucharistiam sumpsisse; aliunde vero plurium testimonio scriptorum certum sit, ætate illa quosdam hebdomadæ dies fuisse alliturgicos, hoc est, ut ille interpretatur, sine synaxi, sive sacrificio; quare inferri possit, Domini Corpus non pro infirmis solum, ut Cardinalis Bona, & Morinus opinati sunt, sed pro sanis etiam fuisse in Ecclesiis adservatum. Verum præcipiti hac in re judicio usum esse scriptorem memoratum probe evincit Josephus Guererius tertia parte animadversionum suarum ad Romanum circa Eucharisticam communionem decretum; quippe quod innumeris ex Scriptoribus, & monumentis habeamus, Eucharisticum sacrificium fuisse semper, & ubique diebus singulis oblatum: ex quo missæ quotidianæ nomen derivatum est. Neque aliud erant dies aliturgici, quam dies, quibus propria, & specialis adsignata non erat liturgia, sed communis potius usurpata, & qua celebraretur sacrificium, in quo sani communionem accipere solerent. Itaque ad confirmandum dogma de Christi Corpore extra usum Eucharisticis sub symbolis perseverante, jam allegatis exemplis, & monumentis adderem modo Missam præsanctificatorum apud Græcos, qui pro decretis synodorum Laodicenæ, & Trullanæ, & quemadmodum videre est in dissertatione Arcudii de Missa præsanctificatorum, & apud Goarium in Euchologio, singulis jejuniorum diebus non consecrant, sed symbolis præsanctificatis, & jam consecratis sacrum celebrant, sicut apud nos in Parasceve: qui Orientalium usus Ecclesiarum abunde evincit, creditum perpetuo fuisse, Christum in Eucharistia etiam extra usum permanere; quo extra Missæ aliquando celebrationem, pro Ecclesiæ dispositione tum ægrotis, tum sanis concederetur, a publico etiam cultu adoraretur.

204. Obj. 1. Hæc Christi verba: *hoc est Corpus meum* promissionem præcesserunt, qua Christus Corpus pollicetur suum iis, qui Eucharisticum panem sumserint; subdidit enim, *accipite, & comedite*; ergo corpus non est, nisi dum sumitur, ut enim Sacramenta cætera in actione posita sunt, quare istud quoque in usu positum non erit? Hinc Origenes Homil. 5. in cap. 17. Levitici scripsit: *Dominus panem, quem discipulis dabat non distulit, nec differri jussit in crastinum*; itaque Corpus Christi in Eucharistia extra usum non est.

205. Respondemus, verba Christi non præseferre futuræ duntaxat rei promissionem, sed præsentis potius declarationem, & commendationem, quæ cum ad spiritualem alimoniam instituta esset, idcirco subjecta sunt verba *accipite, & comedite*, quin propterea sequatur, ibi modo corpus esse, ubi fit comestio. Nam, ut Cyprianus, sive quisquis fuerit auctor sermonis de cœna Domini; & Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 16. & tractatu 8. in Joannem docent, & rationibus probant post actionem cujuscumque sacramenti, quod in consecratione quadam consistit, semper manet sacramenti, sive consecrationis effectus in eo quod consecratum est, velut character in baptizato. Cur igitur non manebit & in hoc Sacramento effectus consecrationis, scili-

Digitized by Google

scilicet Corpus Christi, quamdiu species ipsæ sensibiles permanebunt?

206. Hæc adeo fuit Patrum omnium doctrina, ut Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Calosirium de Nestorianis nonnullis eam inficiantibus scripserit; insaniunt, dicentes, mysticam benedictionem a sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ manserint ejus in diem subsequentem; non enim mutabitur sacrosanctum Corpus Christi, sed virtus benedictionis, & vivificativa gratia jugis in ea est. Hinc Origenis verba de solo Christi facto, deque primæva Eucharistiæ institutione prolata sunt; illudque Origenes animadvertit obiter ad texendam de more allegoriam, neque omnino præsenti de controversia cogitans, aut pertractans.

207. Obj. 2. Clemens 3. Epist. cap. 1. jubet, ut tanta dumtaxat in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debent; quod si remanserint, in crastinum non reserventur; sed cum timore ac tremore Clericorum diligentia consumantur. Esichius libro 2. in Leviticum cap. 8., Synodus Aurelianensis apud Ivonem parte 2. cap. 39. aliique plurimi significarunt, hunc latinæ, græcæque morem Ecclesiæ fuisse, ut sacramenti reliquiæ decenter comburerentur. Consuetudo æque apud Latinos pariter, & Græcos olim viguit, ut eædem innocentibus pueris consumendæ traderentur; quemadmodum colligitur ex Gregorio Turonensi lib. 1. de gloria martyrum; itaque extra usum nil Divini censebatur esse in Eucharistia.

208. Resp. Epistolam allegatam esse supposititiam, & Pontifici illi perperam adscriptam, uti docti omnes in præsens fatentur; cetera in oppositum objecta ad disciplinam pertinent, eoque peracta sunt consilio, ne videlicet Eucharisticæ species aut diu, aut indiligenter adservatæ corrumperentur, & putrescerent; quare alicubi nonnisi quarta, aut sexta feria post Dominicam id fiebat, conservata semper specierum parte ob infirmos, ut iidem Scriptores fidem faciunt; proindeque Corpus Christi sub sacris perseverare symbolis, etiam peracto sacro, & synaxi celebrata credebatur.

CAPUT XXIV.

De Necessitate Eucharistiæ.

209. Quamvis in actis Apostolorum non legamus integras illas familias, quæ Christo nomen dantes baptizabantur, fuisse statim, & simul Sacramento Eucharistico refectas, inductus fuit tamen in Ecclesia mos, ut infantibus recens natis cum baptismate Confirmatio etiam, & Eucharistia concederetur. Veterem hanc praxim retinent hodie adhuc Græci, qui propterea Latina ab Ecclesia non damnantur, quemadmodum docet Leo Allatius lib. 3. concordiæ Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis cap. 86. Verum, esto, ob communem illam apud eos praxim non damnentur, postulatur erroris tamen principium, quo eorum nonnulli aguntur ad morem illum usurpandum, existimantes scilicet, non posse pueros absque communione Eucharistica salvari.

210. Hunc autem errorem, quem damnavit Tridentina Synodus sessionis 21. cap. 4. ita facile refellimus. Eucharistia non est infantibus usu rationis carentibus ad salutem necessaria, si solo cum baptismate eos salutem æternam adeptum iri Patres omnes tueantur: atqui ita revera docuere post antiquiores, Augustinus Epistola 98. ad Bonifacium, Epistola 166. ad Hieronymum, & libro de peccatorum meritis, & remissione, præsertim vero qui ex professo controversiam ejusmodi pertractarunt, Fulgentius in Epistola ad Ferrandum, Lanfrancus Epist. 33. Eusebius Emissenus Homil. de Pentecoste, denique D. Thomas 3. parte quæst. 73. art. 3. Inferre igitur oportet, Eucharistiam non esse infantibus ad salutem necessariam. Revera ejusmodi si foret, aut si necessaria habita in Ecclesia fuisset, cur a tot retro annis ad nostram usque ætatem, & quare prætermissa in baptismate fuisset? non alia utique de causa id evenit, nisi quia nullum esse præconcipitur Evangelicum præceptum, ideoque necessitas etiam nulla Eucharistiæ parvulis administrandæ.

211. Obj. 1. Adest revera Evangelicum præceptum quia eodem, quo Christus pacto inquit apud Joannem 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei;* ita apud eumdem Evangelistam cap. 6. inquit: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* atqui ex priore illo testimonio colligunt Theologi omnes necessitatem baptismi tamquam medii etiam relate ad parvulos, cur ergo eamdem posteriore ex testimonio non deducent necessitatem?

212. Resp. non ex solo dicendi modo, quo utitur Scriptura, desumendum esse, an aliquid necessarium sit necessitate medii, an solum necessitate præcepti, cum utramque necessitatem iisdem terminis Scripturæ soleant exprimere; sed necessitatis diversitatem ab Ecclesiæ judicio, & praxi esse repetendam. Porro priora verba necessitatem medii involvere semper docuit Ecclesia, ex opposito posteriora necessitate tantummodo præcepti. Quare id vero? quia scilicet sine baptismate nemo conjunctus est Christo, bene vero sine Eucharistia: qua a qui hanc accipere tenentur, debent æque prius probare se, debentque in ea celebranda mortem Domini considerare, quod præstare nisi adulti non possunt, proindeque solos adultos spectare præceptum de sumenda Eucharistia potest; unde necessaria dicitur necessitate præcepti, non vero medii. Quis revera

revera Patrum verba: *nisi quis renatus fuerit*, allegorice interpretatus est? nullus profecto. Ex opposito verba illa: *nisi manducaveritis*, ut animadvertit Conc. Tridentinum, spirituali de manducatione interpretati sunt Patres plurimi, Pontifices, & præstantissimi Scriptores. Ea vero spiritualis manducatio cum in pueris per baptismum fiat, in quo habitualem recipiunt gratiam, & charitatem, propterea non arguit in illis actualis, & corporeæ necessitatem manducationis.

213. Obj. 2. Innocentius I. Romanus Pontifex in Epistola ad Patres Conc. Milevitani data, quæ 93. est inter Augustinianas, & D. Augustinus locis plurimis urgent locum citatum: *nisi manducaveritis carnem filii hominis*, contra Pelagianos, quo evincant, parvulos sine Eucharistiæ perceptione salvos esse non posse. Idem præstat Gelasius Pontifex in Epist. ad Episcopos per Picenum constitutos. Ergo &c.

214. Resp. facile dissolvi hoc argumentum, si quæstionis, quæ inter allegatos Patres, & Pelagianos intercedebat, status, & cardo recte percipiantur. Cum originale peccatum negarent Pelagiani, necessitatem æque baptismi negabant. Orthodoxi urgebant Christi verba: nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum. Quid ad hoc Pelagiani? regerebant, pueros quidem non baptizatos minime donatum iri regno cælorum; attamen in æterna futuros vita, cum omnino non peccaverint. Tunc Orthodoxi, ut Pelagianos pressius urgerent, ad verba Christi confugiebant: *Nisi manducaveritis carnem &c.* quibus videlicet evincerent, pueros non baptizatos non solum cælorum regno, sed etiam æterna vita privatum iri. Quippe si æterna vita illis tantum promittitur a Christo, qui perceperint Eucharistiam; quum pueri nullo baptismate donati, nec Eucharistiam habere potuissent; quippe quæ solis dari posset baptizatis, consequens esse oportebat, ut pueri sine baptismo, proindeque sine Eucharistia mortui, & regno cælorum, ut concedebant Pelagiani, & ea quoque, quam somniaverant, æterna vita privarentur.

Non itaque de pueris baptizatis, neque de adultis Christianis loquebantur Patres Pelagianorum oppugnatores, veluti Eucharistiam necessariam necessitate medii existimarent; sed de pueris non baptizatis disputabant, & ad hominem, ut dicimus, contra Hæreticos illos, qui si ob primum Christi testimonium excludebant pueros non baptizatos a regno cælorum, eos pariter, ob alterum testimonium, a quacumque æterna vita excludere debebant, ut recte adnotat Cardinalis Norisius in Vindiciis Augustinianis capite 3. §. 4.

215. Si qui tandem Veterum extra Pelagianas controversias de sumendæ Eucharistiæ necessitate dixerunt, intelligendi non sunt de necessitate medii, sed de necessitate divini, & Ecclesiastici præcepti, quæ revera necessitas respectu adultorum aliquo præsertim tempore a nemine negatur. Quum in Eucharistiæ institutione dixerit Salvator: *Hoc facite in meam commemorationem*.

CAPUT XXV.

De dispositionibus ad hoc Sacramentum requisitis, deque frequenti Communione.

216. Etiamsi Eucharistiæ actualis sumptio non sit necessaria necessitate medii ad salutem, necessaria tamen est relate ad adultos necessitate tum Divini, tum Ecclesiastici Præcepti. Cum enim Christus in ipsius institutione dixerit: *hoc facite in meam commemorationem*, quemadmodum ab Apostolis, & eorum successoribus consecrandam eam, & offerendam, ita a fidelibus sumendam esse constituit, & præcepit. Ecclesiasticæ vero ea de re leges notiores sunt, quam ut in illis recensendis immoremur.

217. *Probet autem se ipsum homo*, inquit Apostolus 1. ad Corinth. 11. *& sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Intelligendum est autem illud probationis genus, quod Ecclesia semper docuit, & in synodo Tridentina sess. 13. cap. 7. ita explicavit: Ecclesiastica consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessarii. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quam primum confiteatur. Hujusmodi decretum repetit synodus can. 11. anathematis pœna in opposita docentes constituta.

218. Negandum jam vero non est, post synodum Tridentinam nitidiore cultu celebratam fuisse Eucharistiam, & a fidelibus magis quam olim frequentatam. Fuere qui animadvertunt tamen, huic veluti mutationi non consonasse illam morum emendationem, quæ inde speranda credebatur; Cum apud nescio quam humani generis partem, tametsi divina hæc frequentantem mysteria, copia potius, & elegantia deliciarum aucta esse videatur. Hinc avorum memoria quæstio orta est de dispositionibus ad talem mysteriorum frequentationem necessariis; qua de re nonnulli in diversas, & fortassis extremas opiniones abierunt. Aliqui enim probe factum credidere, si præmissa Sacramentali, & vera confessione, ad sacram Eucharistiæ mensam frequens accederent hi etiam, qui mundanis adhuc illecebris detenti, non semel in peccata relabuntur. Quamvis enim certum sit, homines ejusmodi longe

Digitized by Google

longe ab ea perfectione abesse, quæ convivas agni Immaculati decet; existimaverunt tamen qui hac in opinione versantur doctores, fieri per Sacramentorum frequentiam posse, ut peccatores saniorem demum serio ingrediantur viam, a culpis paullatim cessent, vereque tandem, & ex animo Deum diligant. Alii ex opposito in homine ad communionem accedente eam exegerunt cordis puritatem, eum Spiritus Christiani gradum, ut non modo a gravibus criminibus sit quammaxime alienus, & severissimam egerit de commissis pœnitentiam; verum etiam ut ne præteritorum quidem delictorum phantasmatibus impetatur, & perfectissimum veluti sanctitatis apicem attigerit.

219. Quid vero de ejusmodi cogitandi rationibus sentiamus, paucis aperiemus. Et primum quidem optandum etiam atque etiam foret, ut qui ad cæleste hoc convivium accedunt, eam haberent cordis puritatem, qua revera præteritorum phantasmatibus delictorum ne per umbram quidem agerentur, & ad talem subvecti jam essent purgationem animi, & perfectionem, ut beatam illam per Sacramentum cum Christo unionem mererentur. Id, inquam, optandum etiam atque etiam foret, ut nemo nisi tali cum dispositione, aut saltem desiderio ad augustissimum Sacramentum accedere deberet. Attamen, eos, qui ita affecti nondum sunt, a communione Eucharistica arcere idem demum foret, atque omnes, vel prope omnes, qui baptismali ab innocentia & gratia semel exciderunt a tam amabilis participatione sacrificii excludere; quod quam perabsurdum sit, nemo non intelligit.

220. Sed & ii non recte cogitant, aut procedunt, qui homines in peccata relabi solitos, & mundanis cogitationibus, ne pejus dicam, prorsus irretitos, nullo divini amoris igne succensos, sola ex consuetudine, & humano velut respectu sola, cui fidere vix liceat, peccatorum semper eorumdem confessione, & levissimis persunctos pœnitentiis, quolibet octavo, aut præter propter die ad Eucharistiam accedere permittunt, imo magis consulunt. Nunquam ea sanctorum fuit cogitandi ratio, qui in accedentibus ad hoc Sacramentum non modo sacramentalem adesse requirebant vitam, sed adhuc etiam spiritualem, cum Eucharisticus panis non tantum cibus sacramentalis sit, sed cibus etiam spiritualis; indignumque existimabant, eos qui mundi adhuc illecebris tenentur, epulis cælestibus frequens refici, & non antesacta digna pœnitentia, immaculato consociari agno, ejusque Corpori, & Sanguini incorporari.

221. Non negabimus posse peccatorem ab initio conversionis suæ adeo copiosam consequi aliquando a Deo gratiam, ut multum superet sanctitatem eorum, qui aliquos in pœnitentia annos absumsere; verum sacri ministri exterioribus ex signis debent judicare. Verus autem peccatorum dolor constans est; unde ejusmodi non est illius, qui in peccata iterum atque iterum labitur. Qui igitur mundo nuntium serio non remisit, qui omnem non dant operam, ut verus sit Christi amicus, qui non habet vestem nuptialem, nempe charitatem, qua audacia tam frequens cælesti audebit accumbere convivio? illi modo Angelorum refici pane frequentissime merentur, qui divina adjuti gratia satagunt, quantum in ipsis est, fervorem æmulari & puritatem Angelorum.

222. Frequenti de communione egerunt Scholasticorum principes, diverso a recentioribus tamen sensu. Præconcipiebant illi, eos, qui frequens, aut quotidie communicare cupiebant, vitam jam agere omnino spiritualem, proindeque frequenti de communione, vel secus pro diverso fervoris eorum gradu, aut pro diverso, qui inde effluere intelligeretur fructu, & affectu statuebant. S. quippe Bonaventura in 4. sententiarum, dist. 12. pag. 2. art. 1. ita scribit: si quæratur, utrum expediat frequentare Eucharistiam alicui, dicendum, quod si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare: si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum, & tardum, laudandum est quod raro. Si autem medio modo, debet se medio modo habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore: quia tali hospiti debetur honor, debetur & amor, & tum secundum illam partem, secundum quam viderit se magis proficere, ad illam magis declinet, quod homo solum experientia discit. Omnes autem rationes, quæ pro nimis frequenti communione adduci solent, intelliguntur, salva debita præparatione, quæ est in paucissimis. Hucusque D. Bonaventura. D. autem Thomas in 4. pariter sentent. dist. 12. quæst. 3. art. 1. scribit: dicendum quod in hoc Sacramento duo requiruntur ex parte recipientis, scilicet desiderium conjunctionis ad Christum, quod facit amor, & reverentia sacramenti, quæ ad donum timoris pertinet. Primum autem incitat ad frequentationem hujus sacramenti quotidianam, sed secundum retrahit. Unde si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare; si autem sentiret per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia, & devotione postmodum accederet. Hæc D. Thomas, qui in opusculo de Sacramento Altaris cap. 15. de dispositionibus agens ad Eucharistiam recipiendam requisitis scribit: si quis ad suscipiendum Dominum bene mundus vult fieri, primo debet per aquam lacrymarum emundari, 2. per opera pœnitentiæ torqueri, 3. per fervorem amoris Dei a carnalium desideriorum humore siccari. Sed de his satis.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De Communione sub utraque specie.

223. CHristum Dominum hoc Sacramentum sub utraque panis, & vini specie instituisse, & Apostolis distribuisse, Evangelica ex historia satis patet, populumque Christianum apud Corinthios congregatum utriusque speciei communione hoc Sacramentum celebrasse colligitur ex prima Apostoli Epistola ad illos data. Primis quoque Ecclesiæ temporibus Eucharistiam fideli populo communicatam fuisse sub utraque specie manifestum est ex veteri historia, & omnium fere Patrum scriptis; perinde tamen ex historia veteris Ecclesiæ manifestum est, non eam majores nostros opinionem habuisse, ut quicumque Corpus Christi manducaret, eidem putarent ex Christi præcepto necessariam esse calicis suctionem. Certum quippe est, illo tempore, propter crebras, & quasi continuas persecutiones, raros conventus a Christianis agi potuisse, quando tamen interim Eucharistiæ refectione nequaquam destituebantur. Tradebatur eis siquidem in manus Eucharistia domum asportanda, non aliter quam sub specie panis, non vero sub altera specie, nempe vini; tum quod eam auferre, & adservare, periculosum nimis visum esset, tum etiam, quod priori solum de specie loquuntur Tertullianus lib. 2. ad uxorem, S. Cyprianus sermone de lapsis, S. Ambrosius oratione in obitum fratris sui, D. Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 23. Hieronymus in Apologia contra Jovinianum, Beda denique lib. historiæ Anglorum 2. cap. 5. ubi testantur, universo etiam populo, celebratis missarum solemniis, alicubi dari solitam Eucharistiam tantum sub specie panis; Auctor autem operis de sacramentis D. Ambrosio afferti libro 4. cap. 5. ita Evangelica affert verba: *Accipite sive Corpus, sive sanguinem*. Quare & veteres tribuentes Diacono potestatem erogandi populo Corpus Christi, plerumque sanguinis dispensandi, velut rei necessario conjunctæ, non meminere, ut Carthaginense Conc. IV. cap. 38. quæ omnia evidentissime ostendunt, jam inde ab initio Ecclesiam sensisse, nullum esse Domini præceptum de utraque specie ab omnibus sumenda, etiamsi consuetudo utriusque speciei distribuendæ universalior olim fuerit, diuque perseveraverit.

224. Majori jam vero facta fidelium copia, sed minori eorum pietate, ideoque & periculis irreverentiæ, & effusionis Sanguinis Domini solito frequentius occurrentibus, præsertim cum multi magno in populo parum cauti sint, & providi, plerique etiam parum religiosi, cœpit universa Ecclesia ante annos circiter 600. non tam lege lata, quam tacita, & sensim apud omnes recepta consuetudine, laicali in communione sola panis specie esse contenta. Cui consuetudini nonnullam occasionem dedisse arbitrabatur Estius; hoc agens de argumento, exortam circa id tempus hæresim Berengarii. Cum enim ille hoc in Sacramento signa tantum agnosceret Corporis, & Sanguinis Domini, quo profiterentur Orthodoxi totum Christum sub utraque specie contineri, neque ulla rei contentæ se parte defraudari, solo refici pane perrexere. Accessit alia ratio, Septentrionalium nempe conversio populorum, apud quos vinum non nascitur, neque facile importatur, neque nisi magno comparatur pretio, adeo ut consultus aliquando fuerit Romanus Pontifex, an & sacrificare liceret iis in regionibus sub specie tantum panis. Multi etiam Christiano in populo sunt abstemii, a quocumque scilicet usu vini abhorrentes. Plurimis denique fastidium affert potissimum contagii tempore os debere apponere super calicem, aut fistulam, ubi alii apposuerunt; quibus, aliisque de causis communio sub una specie inducta est. Postea quam vero in odium Catholicæ Ecclesiæ quidam ex Scripturis male intellectis docere cœperunt, unicæ speciei communione violari præceptum Christi, dogmatis illius falsitati opponentes se se Synodi Constantiensis, & Tridentina, statuerunt, præcepto Christi non adversari receptam consuetudinem; a nemine propterea privata auctoritate immutandam.

225. Jure autem, & merito id definiri potuisse inter cætera evincit locus D. Pauli 1. ad Corinth. 11. *quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Ex quibus hæc effluit consecutio, quod sicut alterutram speciem indigne accipiens, violat utramque, ita una digne accipiens, utriusque gratiam participat: gratia enim sacramenti, quæ percipitur ex sumptione Corporis Christi, eadem est; quæ ex ejus sanguinis sumptione participatur, cum substantia Christi contineatur tota, & integra sub unaquaque specie, & unaquæque species sive separatim, sive conjunctim eumdem contineat gratiæ & sanctificationis fontem.

226. Non ignoramus, contendere nonnullos Protestantes, vitiata esse in nostris Bibliis Pauli verba, quæ eorum opinione ita legere oportet: *quicumque manducaverit panem, & biberit calicem indigne &c.* sic enim haberi pluribus in codicibus editis, & manuscriptis bibliorum, & missalium antiquorum. Verum etsi id non negaverimus, falsum tamen inde consequi adversarios contendimus; nam præterquamquod prope omnes tum editi, tum & manuscripti scripturarum, veterumque Liturgicorum operum codices, quos longo agmine recenset Lebrunus in Epist. hoc de argumento tom. 8. monumentorum Clarissimi Desmoletz edita, habent particulam disjunctivam *vel*, quam in bibliis retinuerunt suis doctiores etiam Protestantes, Castallio, Beza, Schmidius, & Biblia Tigurina anni 1543. Accedit, in textu haberi Græcam litteram *ita*, quæ Millio, & Kustero testibus numquam particula co-

copulativa &, sed disjunctiva *vel* Doctis ab interpretibus versa est. Denique particula ipsa & sensum habet in sacris litteris sæpe sæpius disjunctivum, quemadmodum Deuteronomii 27. *maledictus homo, qui facit sculptile, & conflatile*, nempe ad adorandum: particula profecto copulativa hic locum habet disjunctivæ; neque enim ut quis maledictioni subjiceretur, opus erat utrumque ut patraret, sed maledictus æque erat sive sculptile fecisset, sive conflatile ad adorandum. Iterum vero in 1. ad Cor. cap. 10. ita idem Paulus: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* Non dicit, calix benedictionis, quem distribuimus, sed quem benedicimus: Calicem quidem a Sacerdotibus offerentibus consecrari debere significans, non autem singulis fidelibus communicantibus necessario distribui. De Christi autem Corpore loquens, quod sub specie panis continetur, inquit: *Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Annuens Corpus Christi manducandum sub specie panis semper Christianis exhiberi. Quare paulo post subdit: *Quoniam unus panis, unum Corpus, multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*: quibus indicavit sola panis distributione significationem in Sacramento necessariam retineri. Hisce si addimus, Christum duobus Discipulis euntibus in Emaus, sub sola specie panis Corpus suum præbuisse, ut cum aliis Patribus asserit Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 25. neque enim calicem tunc a Domino consecratum fuisse credendum est, quia quum discipulis porrexisset panem, illico evanuit; jure colligitur ab Orthodoxis, nullum in sacris Litteris haberi præceptum divinum de communione omnibus præbenda sub utraque specie.

227. Potiori jure id Apostoli de verbis statuendum, innumeris non modo editionibus, sed omnibus etiam Patribus ea disjunctivo sensu interpretatis. Speciem revera vini absque specie panis, & Sanguinem, ut dicebant, sine Christi Corpore haustum aliquando a nonnullis fuisse vetera evincunt testimonia a Polemicis omnibus, & præsertim a Francisco de Berlendis relata parte 1. dissertationis de oblationibus ad altare §. 5. Itaque nullum fuisse creditum est Christi præceptum de utraque semper specie ab omnibus sumenda; sed providentiæ, prudentiæque id relictum Catholicæ Ecclesiæ, cui modum, & ordinem celebrandorum mysteriorum asseruit Christus juxta illa Pauli hoc de Sacramento scribentis: *cætera cum venero disponam*.

228. Obj. 1. Christus Dominus Joannis 6. inquit: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ergo Christus sub utraque specie sumendum esse se ab omnibus præcepit.

229. Resp. Patres Concilii Tridentini sess. 21. cap. 1. ex citatis verbis recte minus colligi utriusque speciei communionem esse a Domino omnibus præceptam, utcumque juxta varias Sanctorum Patrum interpretationes intelligantur; nam ille idem, qui dixit: *nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* dixit quoque; *si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum*, & qui dixit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem habet vitam æternam*, dixit etiam: *panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; & denique qui dixit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam*; dixit etiam: *qui manducat hunc panem vivet in æternum*; ex quibus Tridentini Patres consecuti sunt, nihil contra Catholicam doctrinam sequi ex objectis verbis Domini, quandoquidem eamdem sanctificationem tribuit Christus uni speciei Eucharistiæ, quam utrique tribuit conjunctim usurpatæ.

230. Spirituali quidem de manducatione si sermo fuerit (a), nulla reliqua est difficultas, quoniam quidquid a Christo utrique speciei tribuitur conjunctim sumptæ, pani tribuitur, sive carni seorsim nominatæ. Quod vero animadvertendum magis est, non dixit Christus, nisi manducaveritis hunc panem, & calicem Domini biberitis quod utique si dixisset, utrumque fortasse externum symbolum significaretur esse necessarium, sed dixit: *nisi manducaveritis ejus carnem, & biberitis ejus Sanguinem*. Caro autem manducatur, & Sanguis bibitur etiam tunc quando sumitur sola panis species, quia, ut fatentur communiter ipsi adversarii, glorioso & impassibili modo sub utraque totus continetur Christus; ideoque sub panis specie Sanguis etiam accipitur. Itaque verborum Christi sensus est, nisi sumpseritis, sive receperitis intra vos carnem, & Sanguinem filii hominis, non habebitis vitam; ut videlicet non urgeatur peculiariter

(a) Miramur tamen vehementer Calvinianos nobis locum hunc objicere, quem ipsi literaliter accipiendum negant, dum agitur de veritate, & realitate corporis, & Sanguinis Domini in Eucharistia. Solent illi multas tunc adducere Patrum interpretationes, qui verba Christi de spirituali manducatione intelligenda esse constituunt. Cur igitur hoc in capite literaliter erunt accipiendi? Neque minus spiritualem confugiunt ad sensum Lutherani, si quis ea urgeat, ut divinum de sumenda Eucharistia præceptum ex illis consequatur. Quare itaque ex nobis fas non esset, ea metaphorice explicare?

Digitized by Google

ter actus edendi, & bibendi, quem profecto urgere non oportet, sed solum receptio Corporis, & Sanguinis Christi in nobis, quam de fide est fieri per solius speciei sumptionem. Secundo, reddi potest hic sensus; si neque manducaveritis carnem filii hominis, neque biberitis ejus Sanguinem; juxta quam interpretationem particula copulativa geret vices disjunctivæ, quod in scripturis frequens evenire mox animadvertimus. Tertio, respondent, eum, qui Christum sumit sub specie panis recte dici manducare, & bibere non ratione actus exterioris, sed ratione interioris, nimirum fidei, qua in carnem æque in cruce passum fertur, & in Christi Sanguinem effusum; propterea que illis Dominum in locis Sacramentali de manducatione locutum fuisse, quatenus adjunctam habet spiritualem.

231. Obj. 2. Calix Sanguinis Christi testamentum quoddam est a Christo cunctis fidelibus relictum, ut significant ea ipsius verba apud Lucam cap. 22. *hic calix novum testamentum est in meo Sanguine*, atqui, ut Paulus ait ad Galatas 3. *confirmatum semel hominis testamentum nemo spernit, aut superordinat*; itaque multo minus testamentum a Filio Dei constitutum; proindeque calix non potest laicis subtrahi absque injuria, & sacrilegio in Christum, ejusque testamentum.

232. Respondeo, verba Lucæ ex verbis aliorum Evangelistarum esse interpretanda. Apud Matthæum cap. 26. legimus: *hic est enim Sanguis meus novi testamenti*; & similiter apud Marcum cap. 14. vocatur *Sanguis novi testamenti*, quia est confirmatio, & stabilimentum fœderis, quod Deus iniit cum homine; ideoque calix apud Lucam idem est, ac Sanguis, qui accipitur; & gustatur etiam ab iis, qui solam speciem panis accipiunt, sub qua totus est cum Sanguine etiam suo Christus; quare ipsius testamentum nemo convellit, aut imminuit; immo doctrinam Apostoli ad Galatas 3. in adversarios retorquemus; sicut enim Apostolus eo utitur exemplo, ut ostendat Mosaicam œconomiam ad tempus inductam, non labefactasse antiquius & spirituale Dei fœdus jam initum cum Abrahamo; ita hodierna Ecclesiæ disciplina, qua una modo species Eucharistica populo tribuitur, non minuit pretium spiritualis beneficii in utraque æqualiter contenti.

233. Obj. 3. Christus Eucharistiam instituens, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Faciendum igitur erat ab Apostolis, & eorum successoribus, quod ipse fecit; sed ipse non tantum panem, sed etiam calicem in cœna Eucharistica distribuit; itaque & illi, qui consecraturi postea erant, debebant pro Christi præcepto non tantum panis speciem, sed etiam speciem vini adstantibus porrigere. Quinimo Christus porrigens panem, non dixit, *manducate ex eo omnes*; ex opposito calicem porrigens, dixit: *bibite ex eo omnes*. Quare hoc? Quia, inquiunt Adversarii, prævidebat futurum aliquando ut essent, qui calicem fideli populo essent subrepturi.

234. Respondemus, verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, dicta a Christo fuisse statim post datam panis speciem, ut narrat Lucas cap. 22. scribens: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit &c.* propterea ex ipsis Christi verbis, sumpta panis specie fit præcepta ab ipso commemoratio. Apostolus quidem in 1. ad Cor. 11. scribit: *similiter, & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine: hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem*. Sed quis non videt in hisce posterioribus verbis nullum esse absolutum præceptum omnibus bibendi, sed solum, casu quo vini species in cœna Eucharistica bibatur, ut fiat passionis, & mortis Domini memoria. Quemadmodum qui diceret: quotiescumque pontem pertransibitis, portorium solvetis: pontis transitus non præcipitur, sed solutio portorii, si pons transeatur.

235. Meditatio, quæ sequitur, inanis est. Cur enim dixisset Christus de pane: Comedite ex eo omnes, si fregerat, diviserat, distribuerat, & cuique partem comedendam dederat? Ex opposito, nisi dixisset: *bibite ex eo omnes*, potuisset prior Apostolus totum vinum bibere; quod illis verbis, ne faceret Christus monuit; docebat enim tunc modum, quo Eucharisticum sacrificium ab Apostolis, & eorum successoribus celebrandum erat, quod nisi consecratione, & sumptione utriusque speciei a celebrante facta peragi non potest. Nil inde tamen sequitur quod utriusque speciei necessitatem inferat respectu eorum, qui celebraturi non essent.

CAPUT XXVII.

Idem Argumentum magis illustratur.

236. TAnti momenti est præsens controversia, ut prolixius in examen revocari mereatur; ignorat nemo siquidem privationem calicis relate ad laicos præcipuum fuisse motivum separationis Protestantium a nobis. Quin & pii fuere & Catholici prorsus Principes, qui in suorum solamen populorum usum calicis ab Ecclesia non semel postulavere; adeo nonnulli de subtractione ejusmodi dolebant. Tam flagrans igitur populi studium cum cernerent Protestantes argumenta argumentis addidere, quo magis magisque populorum desideria incenderent, & Catholicorum merent in invidiam vocarent. Sunt pre-

Digitized by Google

propterea illorum objecta hic omnino refellenda. (a)

237. Ea collegit Joannes Gerardus Vossius disp. 5. de sacris cœnæ Dominicæ symbolis, hoc pacto: Fidelium nullos ab usu Dominici calicis debere secludi compellit institutio Christi, qui quos jusserat manducare, eos bibere omnes jussit, dicens: *bibite ex eo omnes*. Deinde idem comprobatur ex Apostolo, qui ut Corinthiacam Ecclesiam longe maximam partem ex laicis collectam ab idololatria dehortetur, sic eam affatur Epist. 1. cap. 10. *Dilecti mei, fugite a simulacrorum cultu*. Rationem vero talem adjunxit, ut prudentibus loquor, judicate vos quod dico: *calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio Sanguinis Christi est? panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* Postea etiam similiter argumentatur: non potestis poculum Domini bibere, & poculum Dæmoniorum; Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Demoniorum. Idem ex cap. 11. clare ostenditur; nam cœnam descripturus aperte ait: *ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, sequitur autem: *probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, quicumque enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit*.

238. Institutioni Christi, & Apostolico exemplo rationem solidam addimus, quæ idem evincat, subdit Vossius: Ea est communio bonorum Ecclesiæ, quam in symbolo Apostolico profitemur, cum Sanctorum communionem nos credere dicimus, quamque Apostolus multis in locis aperte nos docet; etsi itaque in mysteriis Ecclesiæ dispensandis discrimen occurrat maximum inter quemvis de populo, atque Ecclesiæ ministrum, tamen in Christo, & participatione bonorum Ecclesiæ, inter quæ præcipue sunt Sacramenta, neque Clericum, neque laicum esse, sed ea bona esse indivisa secundum unitatem Corporis, cujus caput est Christus, eoque plane sacrilegium esse, si quis populum fidelem arcere velit a communione Sanguinis Christi, quæ in Eucharistia percipitur.

239. Objiciunt rursus: Gelasius Romanus Pontifex in Decreto, quod legitur apud Gratianum, ita habet: *Comperimus quod quidam sumpta tantummodo Corporis sacri portione, a calice cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio quam superstitione ducuntur, astringi debent, ut aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire*. Nil clarius verbis istis, inquiunt adversarii; quamvis enim Pontifex memoret nescio quam superstitionem, ob quam nonnulli a calice abstinebant; vis tamen doctrinæ Pontificis in eo erat, ut absque grandi sacrilegio una species absque alia sumi non posset.

240. Hisce additur constans judicium antiquitatis; nam annis amplius mille ducentis obtinuit consuetudo, ut species utraque laicis daretur; & perperam objectant Pontificii communionem infirmorum, peregrinam, domesticam, & eam, quæ est ex præsanctificatis, in quibus sub una specie communicatum esse contendunt. Utut enim id fuisset, nihil ad præsentem quæstionem facit, in qua de publica, solemni, & ordinaria communione sermo nobis est. Denique cum integra hominis refectio, atque alimonia esu & potu perficiatur, quo sarta tecta sit inter corporalem, & Sacramentalem refectionem analogia, utraque omnino symbola sumere necesse est, ut ita integra spiritualis refectio perfecte repræsentetur; si enim quod in Corpore Christi Sanguis ejus sit, & Corpus in Sanguine, satis esse debeat unius, vel alterius symboli receptio, cur in utroque Eucharistiam Christus instituit? cur in utroque semper fuit, & ubique celebrata? ita ille.

241. Verum hæc omnia objecta nemo nostrum est, qui non antea solverit; quod enim primo de Christi institutione objicitur, nequaquam convincit; multa siquidem Dominus instituit, quæ tamen ab omnibus fieri non voluit. Instituit enim Pastorum, & Doctorum munus in Ecclesia, quod non omnes tamen inire tenentur. Aliqua sane fuere, quæ a Christo Apostolis præcepta intelligebantur imperata omnibus, sicut apud Marcum 13. *quod vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Alia vero, quæ solis Apostolis dicta sunt, quemadmodum esset ut Ecclesiam instituerent, regerent, docerent, peccataque remitterent; sicut illa fuere: *bibite ex hoc omnes*. Quod explicasse statim visus est idem Evangelista cap. 14. dum ab Apostolis illud impletum fuisse animadvertit, scribens: *& biberunt ex illo omnes*, it scilicet, quibus tunc Christus loquebatur, & cœnabat, nempe Apostoli; non enim alii tunc cum ipso erant; si enim verba illa ad omnes referenda sunt Christianos, itaque laici omnes, imo & mulieres potestatem habebant consecrandi Eucharistiam, quod neque ipsi Protestantes dixerint.

242. Verba D. Pauli morem sui temporis respi-

(a) Quemadmodum eruitur ex Epistola Joannis Philippi Archiepiscopi & Electoris Moguntini ad Pontificem; & altera Pii IV. ad Danielem ejusdem Ecclesiæ Præsulem, in qua facultatem huic concessit, eligendi, & deputandi Catholicos Sacerdotes, qui in Provincia Germaniæ utramque speciem Catholicis ministrare possent, certis tamen conditionibus observatis. Utramque edidit Schelornius tomo amænitatum Literariarum IV.

spiciunt, quo plerumque fideles sub utraque specie communicabant, tametsi non semper, uti colligi potest ex illis actorum 2. *perseverantes erant in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, ubi una tantum de panis specie fit mentio; quemadmodum & in iis, quæ 1. ad Corinth. 10. objectis verbis adjicit Apostolus. *Quoniam unus panis, unum corpus, multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*; quo pariter in loco, nulla vini, aut calicis fit mentio. Sic dum Paulus inquit: *probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*; præceptum non est de esu, & potu, sed cadit super probationem sui ipsius, antequam quis edat, & bibat, velut si quis diceret: probet se ipsum homo, & sic virginitatem Deo devoveat; non præciperet virginitatem, sed necessitatem probandi se antea, liberam voti susceptionem.

243. Respondetur, esse qui jure dubitant de veritate Canonis Gelasiani, cum in antiquis Collectionibus non reperiatur. Divus Thomas censet Pontificem loqui de Sacerdotibus nonnullis ita celebrantibus: quod ex Toletano Canone confirmat: quam quidem agendi rationem absque grandi sacrilegio usurpare non potuissent. Demus tamen & verum esse Canonem, & de non celebrantibus etiam latum. Quinam, obsecro, nexus eos inter, qui a Calice abstinebant, vel quod a Christo sanguinem abesse sibi persuasissent, vel quia vinum, tamquam Dæmonis fœtum exsecrarentur; quinam, inquam, nexus eos inter, & laicos Catholicos, qui calicem non minus, quam panem consecratum adorant, quique a calice abstinent, ut Ecclesiæ morem gerant, ut periculum irreverentiæ vitent, ut totum tandem Christum in una specie se suscipere testentur? Nullus profecto inter utrosque nexus est. Immo dum illi ob errores suos non sine sacrilegio dividere mysterium satagebant, laici nostri sicut per utramque, ita per unicam tantum speciem integro se frui Christo, ejusque carne pasci, & sanguine potari gloriantur. Dum vero Gelasii decretum objiciunt adversarii, in memoriam nobis revocant quod Leo Romanus Pontifex, cui Gelasius, duobus tantum intermediis, successit, sermone 4. de Quadragesima iisdem da Hæreticis Manichæis scripsit.

244. Quod addit Vossius de more antiquitatis, nil omnino probat. Nam, mutatis moribus, mutantur leges. Ab antiquitate recedere fas non est, ubi de dogmate agitur; secus autem, si quando agitur de sola disciplina, si hanc temporibus, & circumstantiis accommodare Ecclesia æquum duxerit. Sed ubinam gentium est hujusmodi antiquitas, quæ nunquam permiserit communionem sub una specie? nonne communiones infantium, infirmorum, domesticæ, & peregrinæ primis etiam sæculis unica in specie peragebantur? Non erant publicæ, & solemnes, ait Vossius. Quid tum vero? Aut divinum adest præceptum de utraque sumenda specie, aut non adest. Si primum, igitur neque privatæ, & domesticæ una tantum in specie permitti debuissent: quod tamen ab antiquissima Ecclesia factum fuisse adversarii concedunt. Si vero divinum non adest præceptum; igitur publicæ etiam, & solemnes communiones in una possunt specie celebrari.

245. Non negamus, unum nobis esse oportere Deum, unam fidem, unum baptisma, unum communionis corpus, unum religionis spiritum, non esse Judæum, neque Græcum, non liberum, neque servum, non masculum, neque fœminam, sed unum omnes esse in Christo Jesu, in unum baptizatos corpus, & in uno spiritu potatos. Verum quid hæc omnia pro necessitate calicis urgenda? sequitur sane, communionem esse oportere Corporis, & Sanguinis Domini participationem; sed nonne & laici Corpus, & Sanguinem Christi unica in panis specie sumunt? si Corpore, & Sanguine Christi, quamvis unica sub specie reficiuntur; itaque recipiunt totum id, quod ad absolutissimam requiritur refectionem.

246. Postremam difficultatem sibi proposuerat, & solverat D. Thomas 3. p. q. 8. art. 12. his verbis: Sacramentum Eucharistiæ celebratur in memoriam Dominicæ passionis, & sumitur pro animæ salute; sed passio Christi magis exprimitur in sanguine quam in corpore: sanguis etiam pro salute animæ offertur, potius ergo abstinendum esset a sumptione corporis, quam a sumptione sanguinis; ideoque ad Eucharistiam accedentes non debent sumere Corpus Christi sine ejus Sanguine. Cui objecto tamen ita regerit, repræsentationem Dominicæ passionis agi in consecratione hujus sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine Christi consecrari, posse tamen adhuc a populo sine sanguine corpus sumi, quin propterea aliquod sequatur detrimentum, quia Sacerdos in persona omnium sanguinem offert, & sumit, & sub utraque specie totus continetur Christus.

247. Heincque solvitur difficultas altera sic proposita: Sacramentum Eucharisticum institutum est per modum convivii, non spiritualis tantum, verum etiam sacramentalis: itaque requiritur nedum symbolum quod exprimat cibum, sed signum æque illud potum exprimat; alias etiamsi esse convivium spirituale sine specie potus posset; nunquam tamen dici poterit convivium sacramentale. Solvitur, inquam, ex dictis hæc quoque difficultas, quia essentia ejusmodi convivii sacramentalis non consistit in usu sumentium, sed in consecratione utriusque materiæ, panis scilicet, ac vini, quum una species non possit absque altera consecrari. Consecrato & cibo, & potu, adest convivium sacramentale, quamvis aliquis utramque speciem non sumat; quum per unam totum sumat Christum; quare sufficienter adest convivio etiam sacramentali, quod a Ce-

a Celebrante perficitur utramque speciem consecrante, & sumente non pro se solum, sed etiam pro laicis, qui sub unica specie totum sumunt Christum.

248. Ceterum, quod mirum hic est, Vossius aliis plurimis cum Protestantibus etiamsi actionem Christi nostram esse institutionem velit, concedens, Christum in pane azymo consecrasse, liberum adhuc tamen esse vult, ut sive illo, sive fermentato utamur, docens, Christum fregisse panem, eamque fractionem a Scripturis praeceptam, fractionis adhuc tamen omissionem inter adiaphora recenset, sicut & fractionis modum, & modum sumptionis, fassus, verum panem, & verum vinum a Christo usurpatum, ponit adhuc tamen in necessitatis saltem casu ea substitui posse, quae vice panis, & vini quibusdam in regionibus solent adhiberi; verisimille esse ajens, Christum aqua vinum miscuisse; huic tamen ritui Ecclesiam non alligari subjungit. Quorsum ergo divinam urget actionem, quae absolutam inferat utriusque speciei necessitatem; praesertim cum nullos Paschali Christi convivio laicos interfuisse certum sit? Nunquid Ecclesia Christi eam non habebit in dispensatione mysteriorum Dei auctoritatem, quam sibi segreges tribuunt Protestantium pastores? quam satius celebres illi Doctores Protestantes statuerunt, qui consulti, an filia Principis Brunsvicensis ad Catholicam transire posset religionem, ut matrimonium cum Carolo VI. Caesare iniret, objectioni de interdictione calicis relate ad laicos in Ecclesia Pontificia ita occurrerunt: judicandum est, laicos Pontificios non minus quam Protestantes, dum corde contrito, & confidente ad coenam accedunt, fieri participes Corporis, & Sanguinis Christi. Addi meretur, quod laici, qui apud Catholicos vivunt, accipiunt Christum, & ita Corporis, & Sanguinis Christi fiunt participes, ita ut Sacerdos non amplius in substantia recipiat. Denique revera nullibi praeceptum est laicis calicem concedere; ast calix tantummodo spectabat ad Apostolos, & Presbyteros, ut clare licet percipere ex Marci 14. Ita illi Lutherani.

249. Obj. ultimo: Urbanus II. apud Baronium, vetat, ne quis communicet de altari, per Corpus separatim, & Sanguinem separatim, nisi ob necessitatem, & cautelam. Paschalis II. apud eumdem Baronium jubet ut species utraque sumatur separatim, exceptis parvulis, & omnino infirmis. Synodus Bracarensis vetat, ne panis intinctus in Sanguine praebeatur, quia in Evangelio cernitur, Christum utramque speciem seorsim Apostolis dedisse. Ergo.

250. Respondemus, allegatis decretis necessitatem calicis de lege divina non urgeri, sed praecocenta, quae illis obtinebat temporibus, calicis sumptione, sacra symbola seorsim tradenda constituisse, ad exemplum Salvatoris magis aemulandum. Ceterum nonne parvulos excipiunt, & infirmos? nonne necessitatem excipiunt, & cautelam? Ita sane satis ostenderunt, utramque speciem non pertinere ad substantiam Sacramenti, a qua neque synodi, nec Pontifices dispensare potuissent. Quemadmodum vero gravissimis de causis utriusque speciei sumptionem potuit aliquando praecipere Ecclesia; ita maximis aeque de causis potuit unam, aut alteram speciem laicis negare, quum integer semper Christus quacumque sub specie sumatur.

CAPUT XXVIII.

De Patrum mente circa Communionem sub utraque specie.

251. Tametsi prioribus Ecclesiae temporibus Christum sub utraque specie ut plurimum fideles sumerent, communionem tamen sub una tantum specie Patres non damnasse, imo magis laudasse jam innuimus priore hujus quaestionis capite, cui adjicere etiam valet, D. Cyprianum in libro de lapsis memorare communionem puellae datam sub specie tantum vini, & Augustinum lib. 2. posterioris operis contra Julianum cap. 3. scribentem: *ministratur Sanguis, quem bibat parvulus &c.* juxta nempe veterem Ecclesiae morem, quo infantibus statim post baptisma dabatur Eucharistia saepe numero sub sola vini specie.

252. Frustra sunt adversarii, dum innumera congerunt veterum testimonia, quae de utraque specie olim etiam laicis concessa fidem faciunt. Multa eorum quippe, ex quo Corpus, & Sanguinem Christi memorent, non illico calicem quoque non celebrantibus datum satis ostendunt; quum Veteres unam tantum speciem saepenumero Corpus, & Sanguinem Domini appellarent, quia unica sub specie Corpus, & Sanguinem existere non ignorabant. Alii ad ritum sui temporis alludunt, quo utraque species communiter usurpabatur; alii demum in aetatis suae moribus, & pro aliquorum decretis Sy odorum Ecclesiasticum de utraque ab omnibus sumenda specie praeceptum sibi videre videbantur; quum divino tamen de praecepto sit haec quaestio, & controversia.

253. Plurima tamen objiciunt adversarii loca Sanctorum Patrum, quare utriusque speciei necessitatem persuadere pergant; nam, inquiunt, D. Cyprianus Epist. 3. contra Aquarios disputans, contendit, in calice Domini sanctificando, eoque ministrando, tenendam esse Evangelicae traditionis veritatem, neque ab eo, quod Magister praecepit, & gessit, humana institutione inducta, esse recedendum; eosque errare vehementer, qui in administrando calice non id faciunt, quod Christus jussit. Idem in sermone de coena Domini scribit: Lex esum Sanguinis prohibet, Evangelium praecipit, ut bibatur. Et rursum Epist. 2. de poenitentibus ait; quomodo provocamus

mus eos in confessione Sanguinem suum fundere, si eis militaturis Sanguinem Christi denegamus? aut quomodo ad martyrii poculum idoneum facimus, si non eos ad bibendum prius in Ecclesia poculum Domini, jure communicationis admittimus? D. Joannes Chrysostomus hom. 18. in 2. ad Corinth. ita differit: *Est ubi nihil differt Sacerdos a subdito, ut quando fruendum est mysteriis; similiter enim omnes ut illa participemus digni habemur.* Eadem fere verba apud eum leguntur hom. 41. in Matthæum. D. Augustinus quæst. 57. in Leviticum de novæ legis sacrificio scribit: *a cujus sacrificii Sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed etiam ad bibendum potius omnes exhortatur, qui volunt habere vitam.* Gelasius Pontifex apud Gratianum de consecratione dist. 2. cap. Comperimus, de quibusdam calicem recusantibus scribit: *aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, eo quod divisio unius, ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio nequeat provenire.* Denique Concilium Bracarense III. can. 1. statuit, non intinctam calicis Eucharistiam fidelibus porrigendam esse, sed utramque speciem seorsim juxta Christi Institutionem. Si fas non est symbola permiscere, & unire, multo minus alterum eorum prætermittere.

254. Respondetur, Cyprianum I. in testimonio loqui de sacrificio, non de solo Sacramento, & disputare contra Aquarios, scilicet nonnullos, qui matutino in sacrificio per quamdam simplicitatem fas esse sibi existimabant, ne ab Ethnicis ex odore vini detegerentur, cum solo pane, & aqua consecrare. Secundo loco agit S. Pater de communione danda mox subituris martyrium, quæ cum suo tempore daretur ut plurimum in utraque specie, ideo calicem, & Sanguinem Christi memorat; unde scopus, & orationis ipsius vis decentiam communicandi properaturos ad martyrium respicit, non vero necessitatem utriusque speciei. Chrysostomus rem participatam respicit, non modum participationis. Etsi enim ordo participantium cedat ordini sacrificantium in solemnitate ritus, non tamen in substantia rei, relate ad quam nil revera differt a laico Sacerdos. D. Augustinus consuetudinem modo respicit suo tempore communius receptam. Gelasius demum de iis queritur, qui a sacro abhorrebant calice, sive quod negarent, Christum habuisse verum Sanguinem, sive quod existimarent, vinum esse creaturam Diaboli, quæ Manichæorum erat superstitio.

255. Sane Leo Pontifex serm. 4. de quadragesima, de Manichæis, qui tunc Romæ Catholicis immixti vivebant, inquiebat: *cum ad tegendam infidelitatem suam nostris accedant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant, & ore indigno Corpus Christi accipiant, Sanguinem autem Redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujusmodi homines ex iis manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, a Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellantur.* Quo ex testimonio patet, non solum quare aliquando præcepta laicis fuerit utraque species Eucharistica; sed etiam sunt qui eruant, & argumentantur, ætate Leonis Pontificis, Catholicos in publicis conventibus sæpe numero consuevisse unam modo panis speciem accipere. Siquidem, si divino veluti adstricti præcepto speciem utramque Catholici omnes, & semper publica in synaxi accepissent, procul dubio Manichæi Orthodoxam simulantes communionem ne ad breve quidem tempus latere potuissent, nam cum mera sectæ suæ superstitione adducti vinum, quod fel Draconis, & per se malum esse existimabant, quammaxime horrerent a sacra propterea communione semper se abstinuissent; quod si aliquando accedebant ideo videtur fuisse, quod non semper unica sub panis specie communio celebraretur, quam ipsi æque ac Catholici sumentes, semper latuissent, nisi calice aliquando objecto, prodere se se demum conarentur.

256. Bracarensis aliæque synodi necessitatem calicis non urgent, sed præconcepta, quæ suó obtinebat tempore, calicis sumptione, sacra symbola seorsim tradenda decrevere, ad institutionis Eucharisticæ virtutem magis æmulandam. Cæterum libro de liturgia Gallicana secundo animadvertit Mabillonius in Veteri Missali Gelasiano, communionem sub sola panis specie appellatam fuisse Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi. Cur id, obsecro? nisi quia unica in specie totum id quod in utraque veneratur, continetur, & accipimus. De usu autem, & more Ecclesiæ Græcæ aliarumque Orientalium circa communionem sub unica, vel sub utraque specie, præter Petrum Archidiaconum, & Leonem Allatium, consulendus est Cardinalis Bona libro rerum lyturgicarum 2. cap. 18.

CAPUT XXIX.

De Eucharistico Missæ Sacrificio.

257. QUO recte tanti momenti quæstio illustretur, ipsius status probe exponendus est; dum enim quæritur, an Eucharistia non modo Sacramentum novæ legis sit, sed etiam sacrificium, non est quæstio, an Eucharistia generali quadam significatione vocari possit sacrificium, propter memoriam sacrificii Christi in ea celebrati? Id namque non negant Protestantes. Concedunt æque Eucharistiam vocari posse sacrificium propter dona a communicantibus ad ejus celebrationem oblata. Concedunt, appellari posse sacrificium ratione precum, & gratiarum actionis, quæ in ejus celebratione fieri debent, & quo-

& quorumque pietatis operum, quæ a Patribus sæpe numero dicta fuere sacrificia. Fatemur denique; Eucharistiam esse sacrificium, quatenus in ejus celebratione mortem Domini annuntiamus, & precamur, ut Deus propter sanctum illud, & immaculatum sacrificium in cruce peractum, & propter sacram illam notitiam, quæ utique etiam juxta Lutheranos, in Eucharistia præsens est, nostri velit misereri, vel ut nostram precationem, quæ est rationalis, spiritualisque oblatio, benigne velit recipere, eique locum dare. Universa hæc omnium nomine, inquit Joannes Gerardus Lutheranus hoc agens de argumento, fatemur, & concedimus; illud negamus modo in Eucharistiæ celebratione offerri sacrificium vere & proprie sic dictum, quemadmodum Eucharistiæ celebrationem appellat Conc. Tridentinum sess. 22. ubi missam vocat sacrificium singulare, & divinum, quo idem ille Christus, qui in cruce immolatus est, incruente immolatur, quodque propitiatorium sit, & satisfactorium pro peccatis nostris.

258. Catholicam hanc Tridentini Conc. veritatem ut in præsens ostendamus, delectum habebimus argumentorum. Et primum quidem celeberrima est illa veteris testamenti Prophetia, quæ est apud Malachiam cap. 1. ubi ita Deus per os Prophetæ locutus est: *non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* Hæc oblatio munda, de qua loquitur Deus, certe non sunt Judæorum sacrificia: hæc enim dicit Deus, se repudiaturum, & abrogaturum; hæc oblatio non sunt opera misericordiæ, & aliarum virtutum; nam oblatio, de qua hoc loco sermo est, & nova, & novæ legis futura erat propria; cum ex opposito bona opera & in lege fuerint Mosaica, & in lege etiam naturæ. Hæc denique oblatio esse non poterat sacrificium cruentum crucis; nam hoc sacrificium semel tantum Jerosolymis peractum est; relinquitur itaque, quemadmodum post veteres colligunt Conc. Tridentini Patres, ut sit Eucharisticum Missæ sacrificium.

259. Huic argumento, quod est omnium Orthodoxorum; respondet Pfaffius in dissertatione Apologetica de oblatione, & consecratione Veterum Eucharistica, locum hunc Malachiæ a Patribus mox de primitiis, & decimis, a Christianis offerendis, mox de oblatione panis, & vini, mox de prædicatione Apostolorum, vel de sacrificiis spiritualibus laudis, mox de precibus, & operibus bonis explicari. Primam sententiam tenuisse constitutiones Apostolicas, 2. Irenæum Martyrem, tertiam Tertullianum; 4. Eusebium, ut adeo gratis ad consensum Patrum hic provocent Catholici.

260. Mirum tamen est, levi adeo responsione satisfactum credi tam illustri ac splendido, fortique argumento. Apostolicarum auctorem constitutionum hic adducit Pfaffius, quem recentiorem novit, & cujus alibi exiguam prorsus habet rationem. Unum modo adducit Sanctum Patrem Malachiæ verba Eucharistico de sacrificio interpretantem, quasi æque expressa non forent cum Irenæi, tum Justini Martyris testimonia, sicut & Cypriani, & Eusebii; Hieronymi etiam magis, & Augustini, Chrysostomi, Theodoreti, Joannis Damasceni, aliorumque a Polemicis infinito agmine vulgatioribus & communioribus in tractatibus allegatorum. Demus jam vero unum, aut alterum Malachiæ verba metaphorice, & allegorice obiter, & data oportunitate, primitiis accommodasse, & prædicationi Apostolorum: id tamen literalem non aufert prophetiæ sensum, quæ de vero agit, & novo sacrificio veteribus opposito Judæorum sacrificiis; neque illud communem destruit Patrum omnium interpretationem, qui Malachiæ locum tanta consensione, & claritate Eucharistico de sacrificio accipiendum esse docuere.

261. Omissis vero aliis argumentis, quæ veteri ex testamento derivari possent, ad institutionem Eucharistiæ accedimus, & ad loca novi testamenti, quæ clare probant, ipsam verum esse sacrificium. Celebratio namque Eucharistiæ verum, propriumque, & externum erit novæ legis sacrificium, si ejusmodi fuerit ipsius institutio; atqui verum sacrificium fuit Eucharisticæ institutio; ergo ejusmodi æque erit ipsius celebratio. Hoc vero ut demonstretur, certa prius, & propria ponenda est notio sacrificii, quæ totæ controversiæ basis profecto est. Sacrificium vere, proprieque sumptum est opus religionis externum, per quod Deo in supremi signum cultus res aliqua sacra cum aliqua sui immutatione offertur, eoque sensu definitur: oblatio rei sensibilis facta Deo tamquam supremo Domino cum aliqua sui immutatione. Ut enim præclare docet D. Thomas 2. 2. q. 85. art. 3. in eo posita est ratio sacrificii, ut circa rem Deo oblatam aliquid fiat, quo novum in statum relicta priori conditione, mutetur, tumque Deo sacra dici possit; alioquin si illæsa maneret, atque integra, donum quidem, munus, oblatio dici posset, sacrificium dici non posset. Dicitur vero res oblata mutari, id est ritu quodam mystico destrui; neque enim realis destructio necessaria semper est; sed immutatio sufficit. Nonne vera, quamvis incruenta, sacrificia erant sacrificium ex simila, farina scilicet de frumento purissima, de quo Levitici 2. & sacrificium, quod ex libatione vini fiebat, ut Levitici 7. habemus?

262. His præconceptis ad propositi probationem argumenti transeamus. In institutione Eucharistiæ ea omnia evenere, quæ ad verum spectant sacrificium, benedictio scilicet, gratiarum actio,

Digitized by Google

fractio, & divisio panis, immolatio hostiæ per separationem corporis a sanguine, si non realem, saltem mysticam, qualis ad proprium sacrificium sufficit: denique participatio hostiæ, quæ in sacrificiis maxime pacificis locum habet; Christus namque apud Lucam cap. 22. inquit: *hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*, id est præsenti tempore offertur: quibus pro vobis Paulus inquit 1. ad Corinth. 11. juxta græcum textum: *quod pro vobis frangitur*. Et vero, quum epulum illud Eucharisticum, quod in institutione hujus sacramenti celebravit Christus, immediatam relationem habeat ad epulum agni Paschalis, adeo ut Paschali epulo epulum Eucharisticum successerit, quemadmodum Warburtonus, Cudvvorthus, Pfaffius, & doctiores quique Protestantium facillime concedunt, immo & docent: Paschalis autem cæna, ut ex Thalmude, & Magistris Judæorum clare patet, epulum fuerit sacrificiale; miramur vehementer, cur adversariorum plurimi adhuc dubitare pergant, Christi verba non tantum de futura mox cruenta in cruce oblatione, sed de oblatione incruenta, quam tunc in cæna peragebat, intelligenda fiint; præsertim quod declaraverit Concil. Tridentinum sess. XXII. *Christum Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum constitutum, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse*.

263. Ejusmodi Eucharistiæ institutionem verum fuisse sacrificium negavere multi Protestantes; sed alii concessere, inter quos Celeberrimus Cudvvorthus, & Pfaffius sæpe adeo a nobis allegatus, tum quod recentissimus sit, tum etiam quod doctissimus Lutheranorum appelletur. Semel autem constituto, ut ex Talmudis, & Rabbinorum testimoniis doctiores hodierni Augustanæ Confessionis Scriptores faciunt, Eucharisticam institutionem fuisse epulum sacrificiale juxta ritus Hebræorum, ea in re aliis cum antiquis gentibus præsertim Orientalibus, qui sacrificare aliquibus in conviviis solebant, convenientium, Miramur, cur iidem Lutherani inficientur, Eucharistiæ celebrationem verum, & proprium esse sacrificium. Siquidem vix prolatis institutionis Eucharistiæ verbis, statim subjecit Christus: *hoc facite in meam commemorationem*: non dixit hoc dicite, hoc scribite, hoc cogitate, hoc repræsentate, sed dixit, facite; quod propterea Christi exemplo, & præcepto facit Catholica Ecclesia; siquidem in Eucharistiæ celebratione Sacerdotes nostri verba institutionis usurpantes, eadem, qua Christus ratione panem, & vinum consecrant, sicque Corpus a Sanguine mystice separant, ideoque vere etiam, & proprie sacrificant. Quamvis enim Christus ratione status gloriosi etiam in Eucharistia impassibilis, & immortalis sit, tamen ponatur ipsius corpus sub specie panis, & sanguis sub specie vini, ideo mystice immutatur mysticeque immolatur, sicque in verum offertur sacrificium; nam quemadmodum præparata cæna Christus panem, & vinum benedixit, obtulit, ac Discipulis dedit suis, ut veluti Sacerdotes hostiam consummantes Judaico more verum explerent sacrificium; ita & Sacerdotes nostri præparata munera consecrant, offerunt, & oblata symbola cum digne participare volentibus, si adsint, consumunt, quo sacrificium perficiant; quapropter sicut incruentum quidem, sed tamen verum a Christo postrema peractum in cæna institutionis Eucharistiæ sacrificium, fuit repræsentativum, & figurativum cruenti sacrificii crucis mox futuri: ita celebratio perpetua Eucharistiæ incruentum quidem est, sed proprium in se tamen, verumque convivale sacrificium, quamvis repræsentativum, & commemorativum sit sacrificii cruenti crucis jam præteriti, & peracti (*a*).

264. Probatur eadem veritas ex Apostolo 1. ad

(*a*) Patres, qui post tria priora sæcula floruerunt, Eucharistiam vocasse sacrificium concedunt Protestantes; eosque de sacrificio commemorativo tantum, & repræsentativo intelligendos censent; negant vero trium priorum sæculorum Patres vel ipsam sacrificii vocem usurpasse. Sed mirum quammaxime est, id a Viris eruditionem ostentantibus prolatum. Justinus, Irenæus, Origenes, Tertullianus, Cyprianus, ad tria priora spectare sæcula: attamen quid eorum testimoniis evidentius ad sacrificii dignitatem Eucharistiæ afferendam? Justinus in Dialogo cum Tryphone scribit: *Universos igitur, qui per nomen istius sacrificia afferunt, quæ Jesus fieri tradidit, hoc est in Eucharistia panis, & calicis, quæ in omni loco a Christianis fiunt, præveniens Deus, grata sibi esse testificatur*. Irenæus lib. 4. contra Hæreses cap. 32. scripsit: *Christus novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo. Et prior quidem populus offerre Deo cessavit; omni autem loco sacrificium Deo offertur, & hoc purum*. Origenes Homilia XXIII. in Numeros habet: *Impeditur sacrificium indesinens in iis, qui conjugalibus necessitatibus inserviunt; unde videtur mihi, quod illius solius est offerre sacrificium indesinens, qui perpetuæ se devoverit castitati*. Tertullianus lib. 2. ad Scapulam inquit: *Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris*. In libro de cultu fœminarum cap. 7. ita rursus: *Mulieribus nulla procedendi causa . . . . ; aut imbellis aliqui ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut verbum Dei administratur*. Libro tandem de Oratione habet: *Accepto Corpore Christi, & reservato, utrumque salvum est, & participatio sacrificii, & executio officii*. Divus Cyprianus lib. 2. Epist. 3. apertissime: *Quod Jesus Christus Dominus noster sacrificii hujus author*,

Digitized by Google

ad Corinth. 10. ubi avocare volens fideles a sacrificiis idolorum, hæc scribebat: *Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? sed quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo; nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* His verbis confert Apostolus mensam, & altare Christianorum cum mensis, & altaribus Gentilium; ideoque sacrificium Christianorum cum sacrificiis Gentilium; atqui hæc, esto mails spiritibus oblata, erant tamen vera, & propria sacrificia; itaque etiam id, quod in missa, & in altari offerebatur Christianorum, Corpus nempe, & sanguis Domini, de quibus aperte tunc loquebatur Paulus, in verum, & proprium offerebatur Deo sacrificium. Idem Apostolus in Epist. ad Hebræos cap. 13. revocaturus fideles ab esu sacrificiorum Judaicorum, scribit: *habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Sicut igitur habebant altare Judæi, ita & Christiani; sicut illi verum habebant, & externum sacrificium; ita & Christiani. Nam si & isti altare habent; ergo habent & sacrificium: cum autem Christiani nil aliud de altari edant suo, quam Eucharistiam, consequens est, eam, dum celebratur, offerri in sacrificium.

265. Quum vero Patres omnes Eucharisticum magnifice adeo sacrificium celebrent, quid regerant Protestantes? regerunt, id quidem verum esse, si de Patribus sermo fit, qui post tria priora floruere sæcula, verum eos non de reali, & proprio, sed de commemorativo, & repræsentativo solum loqui sacrificio. Hæc tamen responsio duplicem continet errorem. Nam Ignatius, Justinus, Clemens, Origenes, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus &c. tribus prioribus floruere sæculis, qui adhuc, ubi sermonem de Eucharistia habent, voces altaris, oblationis, immolationis, victimæ, Liturgiæ, & sacrificii usurpant, quas nulla de causa ad mysticum modo, & spirituale quis semper referret sacrificium. In Eucharistia vero & ratio est veri proprieque convivalis sacrificii, & ratio est sacrificii repræsentativi, & commemorativi sacrificii crucis. Hæc illam non aufert, aut destruit, sed potius confirmat. Nam, sicut vetera sacrificia erant figuræ sacrificii Christi futuri; & tamen erant in se vera sacrificia; ita etiamsi Eucharistia sit figura sacrificii præteriti Christi, est tamen in se verum sacrificium. Imo imago sacrificii non esset, nisi æque sacrificium esset; nam quemadmodum cœna Eucharistica commemoratio non esset cœnæ Dominicæ, nisi vere manducaremus; ita celebratio Eucharistiæ imago sacrificii Christi non esset, nisi vere sacrificaremus. Quare si Patres Eucharistiam celebravere tamquam sacrificium commemorativum, & repræsentativum, eam credere debuerunt verum esse, propriumque sacrificium.

CAPUT XXX.

Refutatio eorum, quæ contra Sacrificium Eucharisticum objiciuntur e Scripturis.

266. Divus Paulus in Epistola ad Hebræos ita sacrificium crucis prædicat, ut solum velit esse Christianæ religionis sacrificium efficax, & sufficiens ad remissionem omnium peccatorum, adeo ut post illud, nullum aliud requirendum sit sacrificium, neque præter summum, atque æternum Pontificem Christum, nullus sit in nova lege Sacerdos agnoscendus. Nam capite inquit 7. *& alii quidem plures facti sunt Sacerdotes idcirco quod morte prohiberentur permanere. Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium; unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis; talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior Calis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Et cap. 8. vers. 1. scribit: *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur; unde & necesse est, & hunc habere aliquod, quod offerat. Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos, cum essent qui offerrent, secundum legem, munera;* Qua ex sententia palam videtur esse, post sacrificium crucis, nullum in terris relictum esse quod offeratur vere & proprie sacrificium.

267. Obj. Si verum foret sacrificium, necessario esse oporteret in Eucharistia Corpus Christi qua mortuum, & Sanguis ejus effusus extra venas,

auctor, & doctor fuit, & docuit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem, & vinum, suum scilicet Corpus, & sanguinem. Hæc speciminis loco habeantur; alia enim addi possent æque clara testimonia, ex quibus confirmaretur adhuc magis, ante quartum sæculum, & initio, & ubique, & semper, Eucharistiam verum habitam fuisse propriumque novæ legis sacrificium.

nas; sed Catholici ex opposito dicunt Christum esse in Eucharistia eo modo quo nunc in cælis est; ergo &c.

268. Respondemus, id quod symbolis, quibus Christi Corpus obvelatur, convenit, de Corpore quoque Christi affirmari; quemadmodum de homine vestito asseruntur, quæ de ejus vestibus dicuntur. Quare Christus dixit: *quis me tetigit?* licet mulier Hæmorrohissa vestimenta ejus dumtaxat tetigisset. Ita quia Christi Corpus in Eucharistia est sub specie panis, qui frangitur, & Sanguis sub specie vini, quod funditur: & fractio illa exterior atque effusio immolationem Christi cruentam semel in cruce pro nobis factam repræsentant: recte fractio, & effusio de Christi Corpore, & Sanguine sub hoc statu asseruntur. Convenientissime quippe Corpus Christi sub Sacramento frangi, & Sanguis fundi dicitur, statim atque sub Sacramento vere & realiter continetur; sicut convenientissime se ab Hæmorrhoissa tactum Christus dixit, quia sub veste, quam mulier tetigerat, continebatur. Itaque in institutione Sacramenti dixit Christus: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis frangitur; hic est Sanguis meus, qui pro vobis effunditur;* ut incruentum Eucharistiæ significaret sacrificium, futuri cruenti sacrificii repræsentativum. Quam enim seorsim vi verborum Corpus, & Sanguis sub symbolis sistantur; etsi propter viventis, gloriosique Corporis statum neque Corpus absque Sanguine, neque fusus extra venas Sanguis præsens fiat; ideo Corpus, & Sanguinem suum, quæ pro nobis in altari offeruntur, pro nobis dari, frangi, fundique Christus dixit, quatenus sub specie panis, & vini Deo pro nobis, & pro multis in remissionem peccatorum offeruntur. Et hæ quidem responsiones valent, si verba Christi præsentis vim temporis habeant. Nam si ad tempus proxime futurum referantur, prout Latinus interpres, multique veterum retulerunt: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hic est Sanguis meus, qui pro vobis effundetur;* omnis evanescit difficultas.

269. Capite nono idem urget Paulus argumentum, scribens: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium Sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione inventa;* non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cælum ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in Sanguine alieno; alioquin oportebat, eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione sæculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit: Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, sic & Christus *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Hic Apostoli locus, præterquamquod unicam agnoscit, & inculcat novæ legis oblationem, videtur etiam aperte submovere Sacerdotes offerentes sanguinem alienum, quemadmodum evenire creditur pro sistemate Catholicorum, quorum Sacerdotes dicuntur sanguinem offerre non suum, sed Christi. Deinde cap. 10. eandem repetit Paulus aliis verbis doctrinam, scribens: *& omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & eorde sæpe offerens hostias, quæ numquam possunt auferre peccata. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.* Deinde totam disputationem suam his sententiis concludit: *una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, hoc est sanctificandos; *& ubi peccatorem remissio, jam non est oblatio pro peccato*. Quare consequi oportet, post consummativam illam crucis oblationem, nullam aliam statui debere; præsertim cum innumera sint Scripturarum loca omnem externi sacrificii apparatum nova in lege rejiciendum fore præstolantia, cultumque in sola veritate, & spiritu futurum.

270. Hoc tamen argumentum, cui adeo fidunt Protestantes, mirum est, quam sit extra rem, quantisque laboret falsis præconceptis. Primum enim in omnibus allegatis testimoniis nil aliud præstat Apostolus, quam conferre Sacerdotium, & Sacrificium Christi, cum Sacerdotio, & sacrificiis Aaronicis, ut illius infinitam excellentiam ostendat præ istorum infirmitate. Itaque constituto crucis sacrificio, & Christi Sacerdotio, non Eucharisticum, & Christianum, sed Aaronicum excludit Sacerdotium, & sacrificium. Porro tota Apostoli oratio contra Catholicos valeret, si hi fortasse tuerentur, Sacerdotes nostros esse Christi successores, aut eos diversam hostiam offerre ab ea, quam obtulit Christus, aut oblationem in cruce factam, non fuisse sufficientem pro peccatis; aut in Eucharistico sacrificio Christum iterum pati, & mori; quæ profecto omnia Apostolicæ essent opposita doctrinæ. Verum ab his erroribus alieni sunt quammaxime Orthodoxi: Sacerdotes quippe nostri non habentur veluti successores Christi, sed successores modo sunt Apostolorum, qui quum dispensatores mysteriorum Dei essent, panem frangebant per domos, scilicet Eucharistiam offerebant. Ministri igitur Dei quum sint hodierni etiam Sacerdotes, & in conficiendi Eucharistia personam Christi agant, atque repræsentent, non humanam hostiam, neque humanum sanguinem, sed ipsum Deo Patri offerunt oblatum in cœna, & in cruce Christum, quemadmodum egregie docet Chrysostomus homilia 17. in Epistolam ad Hebræos his verbis: *offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam; & ipsa una est, non multa, quoniam semel fuit oblata, sicut illata fuit in sancta Sanctorum; eumdem enim semper offerimus, non nunc quidem alium, nunc vero alium; sed semper eumdem; quamobrem unum est sacrificium, quoniam multis in locis offertur, mul*ti ne

ti ne sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui & hic est plenus, & illic plenus unum corpus; quomodo ergo multis in locis oblatum unum est corpus, & in multa corpora; ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam detulit hostiam, qua nos mundat. Illam nos quoque offerimus, qua tunc fuit oblata; hoc fit in commemorationem ejus, quod tunc factum est: hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Hucusque Chrysostomus. Dum igitur Paulus unicam prædicat hostiam, unicum Sacerdotem, unicum Sacrificium, ad imperfectionem, & infirmitatem respicit Sacerdotum, & sacrificiorum veteris legis, non relate ad sacrificium Eucharisticum, in quo nomine ipsius Christi eadem, quæ in cruce oblata fuit, hostia offertur.

271. Verum inquiunt: Paulus quamcumque sacrificii repetitionem excludit. Fateor, si de repetitione agitur sacrificii crucis, non autem si de repetitione sacrificii cœnæ, quemadmodum pro Christi præcepto: *hoc facite in meam commemorationem* celebratio est Eucharistiæ, quæ verius dici debet Eucharisticæ Christi cœnæ continuatio; respectu sacrificii crucis, non respectu sacrificii Eucharistici, in quo eadem, quæ oblata fuit hostia, offertur: rectissime scribente Chrysostomo, homilia L. in Matthæum: *Credite igitur nunc illam cœnam celebrari, in qua Christus ipse recumbebat; nihil quippe hæc ab illa differt. Neque enim hanc homo efficit, illam Christus; sed hic ipse utramque. Quando igitur Sacerdotem tibi præbentem vides, ne putes Sacerdotem hoc facere, sed Christi mensam esse, qua extenditur.* Itaque si in celebratione Eucharistiæ ille idem adest Sacerdos, eadem illa victima, & illud idem sacrificiale convivium celebratur, quod instituit Christus antequam morti traderetur; quemadmodum tunc non opponebatur tale sacrificiale epulum mox futuro crucis sacrificio, sed hujus erat potius repræsentativum; ita nunc non opponitur sacrificio crucis jam præterito, sed ipsius est commemorativum: ideoque uti in institutione sua, ita & in perpetua celebratione, sacrificium verum, propriumque est, Deo gratum, & acceptum.

272. Et vero objecta Pauli loca non modo legerunt Veteres Patres, & Ecclesiastici Scriptores, verum quotquot sunt jam a V. sæculo divisi a Catholica Ecclesia Nestoriani, Armeni, Ægyptii, Æthiopes, Græci postmodum Schismatici, aliæque Gentes, quæ de postremis Occidentalibus nostris Conciliis nullam rationem habuerunt; atqui omnes illæ adhuc tamen Gentes, Nationes, & Ecclesiæ, Eucharistiam tamquam verum & proprium sacrificium celebravere; deque Protestantium argumento ab adductis D. Pauli locis derivato horruere; ut ex tot evidentibus, juratis, & solemnibus eorum testimoniis, ubique prostantibus, clarum est; itaque Pauli loca non alium habent sensum, quam quem in illis post Patres, & Ecclesiam universam Catholici viderunt.

273. Contra est. In celebratione Eucharistiæ hostia non occiditur; itaque verum non est sacrificium; neque respondere satis est, sacrificium hoc esse incruentum, cum sacrificium proprie sic dictum, & simul incruentum res sit contradictoria; quinimo, si sacrificium Eucharistiæ incruentum esse statueris, vix apparebit, quanam ratione affirmare simul possis, sanguinem Christi verum in eodem præsentem esse; nisi dicere velis, Sanguinem Christi incruento modo ibi existere, quod rursus contradictorium est.

274. Respondemus, hoc etiam argumentum falsa præconcipere, scilicet non dari, nisi sacrificium cruentum. Quot, obsecro, in Exodo, Levitico, & Numeris præcepta fuere a Deo incruenta sacrificia? Nullum sane sacrificium esse potest absque aliqua mutatione, sed necesse non est, ut mutatio semper realis sit; sufficit enim, si sit mystica. Realis requiritur ad sacrificium cruentum, mystica tantummodo ad incruentum: Chrysostomus hom. 50. Eucharisticum sacrificum incruentum probat ex incruento Isaaci sacrificio, subdens hæc verba: „ sed est sacrificium etiam sine Sanguine; sciunt illi, qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus; propterea & sacrificium Isaac sine sanguine perfectum est, quoniam Eucharistici figura futurum erat sacrificii. " Vides in Veteri testamento imaginem multo ante adumbratam; si adumbratio verum fuit sacrificium, multo magis proprium erit sacrificium res adumbrata, in qua verus Christi Sanguis cruento quidem existit modo, sed immolatur modo incruento per spiritualem verborum gladium, quæ mystica immolatio sufficit ad commemorativum & repræsentativum crucis Christi sacrificium: utpote quæ diversa erant ab eo, quod Christus obtulit, demum sacrificia; non vero ad sacrificium respicit Eucharistiæ, quod idem illud est, quod in cœna obtulit, & a nobis offerendum præcepit Christus.

275. Sed attente animadvertendum est, confundendam non esse rationem veri sacrificii, cum ratione sacrificii commemorativi, & repræsentativi: utraque scilicet habet sacrificium Eucharisticum, verum enim propriumque sacrificium est, secundum quod est repetitio sacrificii Paschalis in cœna a Christo peracti: sacrificium autem repræsentativum est, juxta quod fit in commemorationem sacrificii crucis. Ut igitur objectis D. Pauli locis respondent fratres Valemburgici: in celebratione Eucharistiæ non repetimus sacrificium cœnæ, quod sicut repræsentativum fuit sacrificii crucis mox futuri, ita & Missæ sacrificium est commemorativum sacrificii crucis jam peracti. Porro repetitio sacrificii arguit imperfectionem Sacerdotis, quemadmodum argumen-

mentatur D. Paulus; proindeque repetitio sacrificii a Christo in cœna ultima peracti arguit imperfectionem nostram; sed repetitio sacrificii non arguit ipsius imperfectionem, neque id ab Apostolo contenditur. Potest vero dupliciter imperfectum dici sacrificium, vel quod non habeat proprie dictam sacrificii rationem, vel quod non habeat perfectionem in aliquo sacrificio possibilem. Si velint adversarii, sacrificium, quod repetitur, non habere veram rationem sacrificii, errant gravissime; neque id docet D. Paulus qui agens de repetitis veteris testamenti sacrificiis, non negat ipsis veram rationem sacrificii, quamvis ea inter aliqua cruenta fuerint, aliqua fuerint incruenta; sin autem velint, sacrificium, quod repetitur, non habere perfectionem omnem aliquo in sacrificio possibilem, id verum quidem est, quia revera sacrificium crucis propria virtute Deum placat, sacrificium autem Missæ vim habet suam a sacrificio crucis, quin adhuc tamen rationem amittat veri sacrificii *(a)*.

276. Testimonia Scripturarum spiritualem cultum, & sacrificium cordis Messia orbi ostenso, præstolantia, quemadmodum non excludebant externum sacrificium crucis; ita neque excludebant externum Eucharistiæ sacrificium. Promittebantur quidem inter novæ legis fructus & effectus, spiritus justitiæ, misericordiæ, pietatis, & ferventiores interni aliarum virtutum actus, quin tamen omnis exterior cultus foret abrogandus. Si enim pro ipsorum doctrina Protestantium, illis ex promissionibus perperam inferunt Anabaptistæ, nullam Christiana in Ecclesia esse sacri ministerii necessitatem, sed habendam modo rationem interiorum afflatuum, atque raptuum; ita ex eo quod uberiora futura forent novo in testamento cordis sacrificia, perperam infertur, celebrationem Eucharistiæ non habere veram, propriamque sacrificii rationem.

277. Minus vero recte heic objiciunt adversarii, Pastores animarum numquam appellatos esse novo in testamento Sacerdotes, sed solummodo Presbyteros: quo consequantur, nullum vere & proprie offerri a Ministris sacris sacrificium. Non, inquam, recte id objiciunt. Quid enim sibi volunt illa Isaiæ cap. 66. de futuris diebus Messiæ, & credituris in eum: *& assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus*? Quid illa Jeremiæ, novam præstolantis legem cap. 33. & in Persona Domini dicentis: *De Sacerdotibus, & Levitis non interibit Vir a facie mea, qui offerat holocautomata?* Futuri igitur erant in nova Leges Sacerdotes veri, & proprii, sed quare? Certe ad sacrificium offerendum. Cur autem Ministri sacri non fuerint appellati novo in Testamento Sacerdotes, diximus in Tractatu de Sacramento ordinis, ne scilicet existimaretur eos, Judæorum, & Gentilium more Sacerdotum, solita animalium offerre adhuc debuisse sacrificia. Presbyterorum vero vocem non ætatis nomen fuisse, sed sacræ Potestatis, animadvertimus tunc, Svicerum ipsum, quamvis Zuinglianum, ex Patribus in suo Lexico fateri.

CAPUT XXXI.

Refutatio eorum, quæ contra Sacrificium Eucharistiæ objiciuntur ex Sanctis Patribus.

278. Diximus jam, non negare Protestantes, a Patribus prædicari oblationem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, sed repræsentativam modo, & commemorativam. Id autem evincere satagunt eorumdem testimoniis Patrum, quibus adfirmant, oblationem fieri in Christi commemorationem. Divus, inquiunt, Augustinus Epist. scripsit 23. *nonne semel immolatus est Christus in se ipso, & tamen in Sacramento omni die populis immolatur? si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt*. Sed & sexcentis docet Augustinus in locis, sacrificium crucis unicum esse, & singulare Christianorum sacrificium, adeo ut nullum habere aliud ipsi debeant, aut possint, quemadmodum etiam D. Fulgentius loquitur libro de fide ad Petrum.

279. Ad-

(*a*) Chrystophorus Matthæus Pfaffius in Differt. de oblatione Veterum Eucharistica §. 42. Qui Theologorum Anglicanorum scripta legerunt, norunt utique, eos de oblatione Eucharistica multa differere, pluresque esse, qui sacrificium Eucharistiæ verum, propriumque, atque propitiatorium nuncupent, uti videre est ex testimoniis Overalii, Andreæ, Laudi, Medi, Taylorii, Heylini, Bramhalii, Thorndikii, Potteri, Beveregii, Stillingfleeti, Bulli, Dodwelli, Georgii Hickesii, Joannis Johnsonii, aliorumque, & præsertim Joannis Ernesti Grabii, qui Reformatoribus Ecclesiarum Protestantium dicam scripsit, quod sacrificium Veteris Ecclesiæ abrogaverint. Observat heic vero Pfaffius id sacrificium Eucharistiæ, quod statuunt ejusmodi Theologi Anglicani, diversissimum omnino esse a Sacrificio Missæ, quum hoc in sacrificio Corporis, & Sanguinis Domini reperito; illud vero in oblatione panis, & vini, quæ mysticum Christi corpus sunt, verumque tantum repræsentant, constituunt. Ceterum negata reali præsentia, & transubstantiatione, hanc de oblatione panis, & vini controversiam in meras [illegible] pag. 343.

Digitized by Google

279. Addunt, Scholasticos, non stilo oratorio, sed accurato, proprioque sua essari consuetos, præcipue eorum Principem, nempe Magistrum sententiarum, qui lib. 4. dist. 12. ad quæstionem, num quod gerit Sacerdos proprie dicatur sacrificium, & num Christus semel tantum immolatus sit? respondet: „ ad hoc breviter dici potest, illud, quod offertur, & consecratur a Sacerdote, „ vocari sacrificium, & oblationem; quia memoria „ est, & repræsentatio veri sacrificii, & sanctæ „ immolationis factæ in ara crucis; & semel „ Christus mortuus in cruce est, ibique immolatus in semetipso: quotidie autem immolatur „ in Sacramento quia in Sacramento recordatio „ fit illius, quod factum est semel. " D. Thomas vero 3. part. qu. 73. art. 4. scribit; *hoc Sacramentum est commemorativum Dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, & secundum hoc nominatur sacrificium*, & qu. 83. art. 1. inquit: *celebratio hujus Sacramenti imago quadam est repræsentativa passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio, & ideo celebratio hujus Sacramenti dicitur Christi immolatio.*

280. Si tota ratio quare Sacramentum hoc dicitur sacrificium, est, juxta ipsos scholæ Principes, quia fit in ejus celebratione commemoratio, & repræsentatio sacrificii crucis; itaque talis celebratio non est nisi commemorativum, & repræsentativum sacrificium.

281. Respondetur tamen, hanc differendi rationem non esse diversam ab ea, quam refutavimus in limine Tractatus. Sancti Patres, dicebant adversarii, Eucharistiam appellant typum, antitypum, imaginem, figuram, repræsentationem, similitudinem, & symbolum Corporis, & Sanguinis Christi; igitur, inferebant, in Eucharistia Corpus, & Sanguis Christi realiter, juxta Patres, non sunt. Falsissimam ostendimus ejusmodi illationem, propterea quod etiamsi juxta quosdam respectus ita potuerunt Eucharistiam appellare, aliis in locis tamen præsentiam Christi realem in Sacramento iidem Patres docuerunt, atque vindicarunt. Simili pacto loqui possumus in præsens. Patres Eucharistiæ celebrationem sacrificium vocandam esse aliquando dixere, propterea quod est repræsentatio, & commemoratio sacrificii crucis; num proinde negavere celebrationem Eucharistiæ esse verum, propriumque cœnæ sacrificium? veramque sacrificii naturam habere? id autem quod ab illis præfiguratum est, quod illis successit, & quod eorum est perfectio, & complementum, minus habere realitatis, nec nisi improprium esse sacrificium? Nil profecto minus; quum immo innumera ipsorum præstent hac de veritate testimonia.

282. Neque negandum tamen, inquit Pfaffius in dissertatione Apologetica de oblatione, & consecratione veterum Eucharistica, posteris temporibus sensim sine sensu opinionem de sacrificio Missæ proprie sic dicto invaluisse, etsi semper fuerint, qui opinioni huic contradicerent, id quod ex actis Conc. Tridentini hanc in rem patet, ubi cum columbia satis argumenta ab aliquibus pro sacrificio Missæ ex sacris litteris prolata fuissent, nervum eorum acute satis Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus incidit, memorante Paulo Sarpio lib. historiæ illius Concilii VI. Errant autem, subdit Pfaffius, qui sacrificio Missæ propriæ dicto vindicando Chrysostomi Liturgiam urgent, cum ex illa non appareat nisi repræsentativa, & commemorativa Christi immolatio. Ut enim utar, inquit, verbis Gabrielis Metropolitæ Philadephiensis in Apologia pro Ecclesia Orientali, ordo ejusmodi est illius Liturgiæ: Diu ante consecrationem, cum simplex, & communis panis, vinumque adhuc in Protesi, sive in altari propositionis sunt, tunc Sacerdos sacra indutus stola panem sumit, & eumdem tenens, signo crucis vivificæ supra sigillum eum consignat, ter dicens: *in memoriam Domini, & Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi;* & hoc ter dicto lanceam sanctam recta infigit a dextera panis parte, in qua extat signaculum, & secans dicit: *in humilitate ejus judicium ejus sublatum est*. Quarto secans in inferiore parte, ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* tunc attollens signaculum, dicit: *quoniam tollitur e terra vita ejus*. Quibus omnibus peractis Sacerdoti hæc verba suggerit Diaconus: *macta Domine;* sequiturque etiam ista mactatio, sed mere repræsentativa, inquit hic Pfaffius, eoque vel maxime, quia multo ante consecrationem fit. Sacerdos quippe panis supine jacentis micam eminentem crucis in formam decussans, & incidens, ait: *mactatur agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, consumatque sacrificium, lanceola in panem adacta, habitis verbis: *& unus militum lancea latus ejus aperuit, statimque exivit Sanguis, & aqua.* Quæ omnia precibus finiuntur juxta eamdem Chrysostomi Liturgiam recitandis. Cum itaque hæc omnia a Græcis ante recitationem verborum institutionis, & quæcumque ante consecrationem peraguntur, consequitur allegatus auctor, nil nisi repræsentationem, & figuram sacrificii in celebratione Eucharistiæ perpetrari; eam propterea repræsentativum modo, non vero sic dictum esse sacrificium.

283. Hæc Protestantium tamen disputandi ratio nobis videtur convenire cum ratione differendi Woolstoni a Protestantibus ipsis quam maxime damnata. Impius iste, quo omnia Christi miracula everteret, ea sublimiori modo interpretanda esse duxit, idest, sensu allegorico, & spirituali: idque sexcentis confirmare simulavit Patrum testimoniis, qui suis revera in homiliis sæpenumero ex Christi factis, & miraculis imaginem extundere studuerunt, & spiritualem aliquam interpretationem ad instituendos Christianorum mores accommodatam. Ast num propterea dubitavere Patres de Christi veris & propriis

Digitized by Google

priis miraculis? minime fane gentium, respondent Protestantes, qui adversus Voolstonum disputavere. Si enim prætermissa Patrum doctrina, contextu omisso, aliqua tantum fas sit excerpere hinc inde testimonia, quid non probabimus? quid non propugnabimus? atqui eodem laborant vitio Protestantes, dum contra nos de Eucharistico agunt sacrificio. Hoc Patres dixere repræsentationem, & commemorationem sacrificii crucis, quod equidem nos quoque prædicamus; num propterea negavere, ipsum esse proprie sic dictum incruentum sacrificium? minime profecto; cum imo innumera ipsorum prostent hac de veritate testimonia. Docuere profecto Patres, Missam vocari immolationem, & sacrificium, quia in ea fit memoria veri sacrificii, & veræ immolationis in cruce factæ; sed numquam negavere, talem commemorationem fieri per continuationem sacrificii incruenti cœnæ ultimæ a Christo celebratæ, & per mysticam separationem Corporis a Sanguine, perque mysticam rei præsentis, & oblatæ mutationem, mactationem, & immolationem, ideoque per actionem, cui non deest ratio veri, propriique sacrificii. Expressus est D. Thomas præsertim 2. 2. quæst. 85. art. 3. habet: *Sacrificia proprie dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur, & comburebantur, quod panis frangitur, & comeditur*, & 3. part. quæst. 82. art. 4. inquiens, utrum Sacerdos consecrans teneatur sumere Eucharistiam, his respondet verbis: *Eucharistia non solum est Sacramentum, sed etiam est sacrificium; quicumque autem sacrificium offert, debet sacrificii fieri particeps.* Itaque si juxta D. Thomam Eucharistiæ celebratio tale sacrificium est, ut oporteat offerentem de ipso participare, consequens est, eam verum, propriumque pacificum esse sacrificium, cum sacrificium modo repræsentativum hanc participationis conditionem minime postulare videatur. Tota porro quæstio est an Patres, & scholastici admiserint realem in Eucharistia præsentiam. Quum hoc certissimum esse præconcipiamus, sequitur, eos realem admisisse oblationem. Hæc oblatio veritatem simul, & repræsentationem continet; veritatem quidem quantum ad substantiam victimæ, & iterationem, sive continuationem sacrificii cœnæ; imaginem vero, & figuram, quantum ad immolandi actum, & repræsentationem sacrificii crucis. Recte igitur & Patres, & scholastici dixere celebrationem Eucharistiæ respectu immolationis esse sacrificium mysticum, & repræsentativum; sed numquam dixere eam esse nudum repræsentativum sacrificium: præconcipientes siquidem Christum realiter esse in Sacramento, propterea jure docuerunt, oblationem ipsius verum esse sacrificium, ab eo qui offert, ut inquit D. Thomas, necessario participandum: verum proinde propriumque sacrificium pacificum; quum id, quod nudum est repræsentativum sacrificium hanc participationis conditionem minime postulare videatur. *(a)*

179. Obj..

(a) Renatus Massuetus Diss. 2. prævia in libros Irenæi Art VII. Duo sunt tamen, ait quæ Clarissimo Grabio gratulari debeamus. Alterum est, quod ingenue confessus sit, in notis ad Librum IV. Irenæi, Capitibus 17. 18. al. 22. & 24. certum esse Irenæum, ac omnes, quorum scripta habemus, Patres, Apostolis sive coævos, sive proxime succedentes, sacram Eucharistiam pro vero, & proprie dicto novæ Legis sacrificio habuisse; nec eorum verba, Irenæi præsertim, ad sacrificia spiritualia cordis nostri, orationis, laudis, gratiarum actionis, & beneficentiæ, quæ omni ætati, & legi communia fuerunt, detorqueri posse: sed de nova novi Testamenti, eaque externa oblatione, quam legalibus externis opponit Irenæus, intelligenda esse; quod verissimum. Et hinc Lutheri, & Calvini errorem insectatur, qui adversus publicam, ut recte probat, universalis Ecclesiæ doctrinam, atque praxim insurrexerunt, &c. Alterum quod Grabio gratulari debeamus, est, quod Albertino, Claudio, aliisque Calvinianis candidior, plane, & aperte fateatur, Catholicam de præsentia reali, & transubstantiatione doctrinam longe antiquiorem esse, & majoris, & vetustioris auctoritatis patrociniis gloriari, quam fingerent illi. Clarissimi viri verba observatione singulari dignissima quum sint, integra referam, prout edita leguntur in Annotationibus in Irenæi Librum V. Cap. 11. Edit. Oxon. pag. 399. *Quænam igitur Irenæi, nec non Hæreticorum ejus ævi sententia fuerit, ex iis, quæ hic & præcedentibus Annotationibus edisserui, satis clare patet, ac certissime constat, illum haud minus, quam dictum est, de tremendo Eucharistiæ mysterio credidisse, scilicet panem consecratum, virtute carnis Christi præditum esse, sicque reapse carnem Christi esse. Ulterius vero progressum Irenæum, & eidem, quam Cyrillus Hierosolymitanus, Gregorius Nyssenus, Joannes Damascenus, aliique fortasse plures tenuere, sententiæ addictum fuisse non puto. Hi quippe persuasi erant, Spiritum Sanctum Cælitus descendentem, Pani non modo virtutem Corporis Christi communicare, sicque eumdem ratione qualitatum mutare; sed & divina potentia ipsam ejus substantiam in carnem transmutare, quæ Christi caro fit, & cum illa, quæ ex B. Virginis utero prodiit, & cruci suffixa, indeque in Cælum sublata sit, eadem fiat per superaugmentationem, quodque eumdem Spiritum vitæ in se habeat: sicuti panis, quem Servator in terris comedit, vi naturalis caloris in carnem ejus vertebatur, & noster panis quotidianus in substantiam corporis nostri transit: quod corpus a nobis hodie gestatum, idem dicitur cum illo, in quo ante plures annos versati sumus, quoniam eadem anima vegetatur, licet particulæ ejus prorsus sint diversæ, & nulla forte ex prioribus superstes existat. Lege post Cyrilli Catechesim IV. Mystagogicam, Gregorii Nysseni Orationem catecheticam magnam,*

284. Quomodo allegari ab Adversariis potest Augustinus, qui libro Confessionum IX. cap. XI. loquens de Monica Matre sua jam mortua, scribebat: *In eis precibus, quas tibi fundimus, cum offertur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere, prinsquam deponeretur, non flevi*. Libro autem XXII. de Civitate Dei cap. 8. domum cujusdam Viri Tribunitii a vexatione Dæmonum, oblato Eucharistiæ sacrificio, liberatam fuisse his verbis refert: *Perrexit unus Presbyterorum, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illis vexatio, Deo protinus miserante, cessavit*, Et Libro XVII. *Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus Corpus ejus offertur, & participantibus ministratur*. Si Eucharisticum sacrificium successit omnibus sacrificiis veteris Testamenti, quomodo verum, propriumque sacrificium non erit? Illa quippe vera quum essent sacrificia, non erant nisi istius umbræ & figuræ: quis autem cogitet umbras, & figuras veram, propriamque habere sacrificii rationem, non illorum veritas?

285. Dixere autem Patres, sacrificium crucis unicam veram esse immolationem, unicum, & singulare Christianorum sacrificium, triplici de causa; primum quia mentem intendebant in sacrificia cruenta tum Judæorum, cum etiam Gentilium, qui plura profecto cum Sanguine habebant sacrificia; cum Christianis ex opposito nullum aliud sit cruentum sacrificium, quam illud crucis. Deinde quia crucis sacrificium numquam fuerit in sacris Christianis repetitum; quomodo enim sine Sanguine repeteretur? incruentum modo, ut dictum est, repetimus postremæ cœnæ sacrificium. Tandem quia cum sacrificium crucis propria virtute, & vi Deum placaverit ad differentiam sacrificii Eucharistiæ incruenti, quod vim habet suam a cruento crucis sacrificio; illud propterea unicum, & singulare per antonomasiam appellatum est Christianæ religionis sacrificium.

286. Ea, quæ addit Pfaffius, omnino falsa sunt. Quis enim Theologorum Tridentini Concilii de vero, & proprio Missæ sacrificio unquam dubitavit? nullus certe. Audiamus quæ Sarpius ipse in objecto loco scribit; sunt enim hæc ipsius verba. Georgius Ataydes Regis Lusitaniæ Theologus ad evertenda aliorum Theologorum firmamenta omnia, quibus e Scriptura sacrificium Missæ adstruebant se se comparavit, præfatus id in controversiam non vocandum, an Missa sit sacrificium; Patres enim omnes id apertis verbis expressisse: idcirco illud pro certo concludendum, doctrinam eam esse Apostolicam traditionem, cujus vis satis est, ac potens ad cudendos fidei articulos, sicut synodus a principio docuerat &c. Verum, subdebat, sibi non placere argumenta pro sacrificio Eucharistico sacris e Literis desumpta, quæ revera oppugnare aggressus ipse & conatus est; ab Antonio tamen quodam Theologo altero Lusitano refutatur: quemadmodum ex utriusque historici Conc. Tridentini testimoniis intelligimus. Quamvis igitur non consenserint aliquando, aut nunc etiam non convenirent aliqui Theologi relate ad omnia probationum genera, quibus ostenditur, celebrationem Eucharistiæ

gnam, cap. 37. & Damasceni Librum IV. de Orthodoxa fide, cap. 14. ejusque Epistolam ad Zachariam Episcopum. Joannis Damasceni priore loco verba sunt. Quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum, & aqua per potum in comedentis, & bibentis corpus, & sanguinem immutatur, nec corpus alterum fiunt, atque a priore ipsius corpore diversum: sic & propositionis panis, & vinum & aqua, per sancti Spiritus invocationem, & adventum mirabili modo in Christi Corpus & Sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem. *Rursus in Epistola ad Zachariam Episcopum*: hoc dilectioni tuæ significamus, duo Christi corpora nos dicere non posse: sed unum est ipsius Corpus. Et sicut infans ex muliere natus, perfectus est; edens autem, & bibens augescit naturali facultate; & licet augescat, non tamen duo efficiuntur corpora, sed unum est: multo magis supervenitu Spiritus sancti panis, & vinum in superaugmentationem Corporis Christi unum fit corpus, & non duo. *Atque ita in Capitulo dictæ Epistolæ suffixo hac de re loquitur*. Hactenus Grabius, ex cujus verbis certissime constare animadvertit Massuetus, præsentiæ realis, & transubstantiationis doctrinam posterioris ævi fœtum non esse, sed jam saltem Concilii Nicæni temporibus natam, & agnitam; non ab uno deinceps, aut altero, sed a Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio Nisseno, Joanne Damasceno, aliisque fortasse pluribus Patribus, ut fatetur Grabius, propugnatam fuisse. Hac suppositione semel admissa, ab imis succussa fundamentis ruit illa hypothesis, quam tot artibus extructam erigere conati fuerant Albertinus, Claudius, aliique Calviniani: dogma de corporali Christi præsentia in Eucharistiæ Sacramento, & transubstantiatione apud Latinos primum a Paschasio Radberto excogitatum nono sæculo, sub ejusdem sæculi finem animos fidelium pervadere cœpisse, ac tandem decimo sæculo ubique Latina in Ecclesia obtinuisse; Græca interim in avita, & Calvinistica fide perseverante. Si enim Grabium audiamus, vel ipsis Concilii Nicæni temporibus; vel paulo post, lucem aspexit doctrina præsentiæ realis, & transubstantiationis; priusque Græcis nota, quam Latinis, ab illis ad nos manasse videtur: hunc siquidem errorem testimoniis veterum Græcorum Patrum dissipat ipse Calviniani dogmatis recentior asecla Grabius.

Digitized by Google

ftiæ verum esse sacrificium; ipso tamen in confitendo dogmate convenire semper, & adhuc perfectissime conveniunt ne dum Latini inter se, sed Græci quoque, & Orientales, ut eorum ex Liturgiis, & fidei professionibus palam est.

287. Relate ad Græcorum Liturgiam distinguenda est commemoratio passionis, & mortis Christi per actionem ab ipso institutam, & præceptam a repræsentationibus mysteriorum Christi per cæremonias, & ritus ab Ecclesia, aut a fidelium pietate excogitatos, & inductos, qui tametsi expresso magis, & sensibiliori possint modo Christi passionem, & mortem Corporis oculis repræsentare, oculis tamen fidei talis repræsentatio fit per solum actum, & ritum a Domino præceptum, quo realis victima sub symbolis præsens sistitur, Sanguis a Corpore mystice separatur, & offertur, & Divino Patri hostia exhibetur, suo postea consumenda modo ab offerentibus quarum modo actionum, & verborum, quæ in consecratione recitantur causa, Eucharistiæ celebratio veram & propriam habet sacrificii rationem. Ex quo autem sacrificium Eucharisticum sit figura sacrificii crucis, & ab isto vim habeat suam, sequitur quidem, sacrificium cœnæ, ex parte operis, non ita perfectum esse, sicut est sacrificium crucis; sed non sequitur, ipsum non esse verum sacrificium. Si enim verissima erant sacrificia ea, quæ veteri in lege offerebantur, quamvis sacrificium crucis tantummodo adumbrarent, & qualemcumque vim suam a crucis sacrificio haberent: quanto magis naturam & proprietatem veri habet sacrificii celebratio Eucharistiæ, eamdem, quam sacrificium crucis obtulit, continentis victimam, tam copiosam conferentis gratiam, nostramque cum Christo unionem perficientis?

CAPUT XXXII.

An Sacrificium Eucharisticum sit Propitiatorium.

288. Concedunt Etherodoxi, celebrationem Eucharistiæ esse actionem laudis, & gratiarum actionis; concedunt esse actionem impetratoriam, sed negant esse propitiatoriam. Nos ex opposito tantæ dignitatis, propter hostiæ excellentiam, esse dicimus sacrificium Eucharisticum, ut in se uno, & contineat sacrificiorum omnium virtutem, & valorem, ideoque sit etiam propitiatorium, non pro vivis tantum, verum etiam suo modo pro defunctis, instar scilicet suffragii; nam sacrificium Eucharisticum, ut diximus, est repetitio sacrificii a Christo in cœna peracti; itaque si hoc fuerit propitiatorium, illud quoque ejusmodi sit oportet. Quod autem propitiatorium fuerit sacrificium cœnæ ostendunt verba tunc a Christo prolata: *hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*; & de calice similiter: *qui pro vobis effunditur*. Si enim ex quo dicitur in sacris Literis Christum dedisse Corpus suum, & Sanguinem, seque ipsum pro nobis in ara crucis, colligunt adversarii contra Socinianos, & recte colligunt, oblationem ab ipso in Cruce factam verum, propriumque fuisse sacrificium; cur ex eadem illa phrasi, qua suum se Corpus dare pro nobis, & pro multis dixit Eucharistica in cœna, non erit æque colligendum, Christum tunc suum Corpus, & Sanguinem in propitiatorium, licet incruentum, obtulisse sacrificium? Quemadmodum igitur in institutione evenit, ita & in continuata Eucharistiæ oblatione, fit sacrificium pro peccatis, id est pro remittendis pœnis peccatorum, ideoque vere propitiatorium. Non dixit: *vobis datur, sed pro vobis datur, immo & pro multis*, videlicet etiam pro tunc absentibus; ideoque in propitiationem peccatorum.

289. Et sane, ut docet Divus Paulus ad Hebræos V. *Omnis Sacerdos constituitur, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*. Itaque cum Christiani Sacerdotes non aliud sacrificium offerant, quam Eucharistiæ; istud debet esse etiam propitiatorium pro peccatis, quemadmodum forma consecrationis evincit, quæ habet, effundi Sanguinem in remissionem peccatorum. Si enim verba Sacramentalia id efficiunt, quod significant, sicut vi verborum consecrationis fit mutatio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi; ita vi eorumdem verborum fit, ut Corpus, & Sanguis Christi in propitiatorium offerantur sacrificium.

290. Orthodoxam hanc veritatem omnes confirmant Patres vulgatioribus in tractatibus citati; sed magis adhuc omnium Liturgiæ Ecclesiarum, quarum conformitatem respectu propitiationis sacrificii Eucharistici ostenderunt Liturgici Scriptores, Cardinalis Bona, Renaudotius, aliique, sed præcipue Lebrunus Tomo III. Dissertatione 12. hujus argumenti. Itaque satis in præsens erit ut occurramus objectioni adversariorum dicentium: si propitiatorium fuit cœnæ sacrificium, sequeretur, quod ante sacrificium crucis remissa fuissent peccata; sed hoc adversatur omnibus principiis Christianæ religionis; itaque propitiatoria non fuit Eucharistiæ institutio, proindeque nec ipsius celebratio.

291. Respondemus, utrumque sacrificium tum cœnæ, tum crucis fuisse propitiatorium, sed diverso modo; sacrificium crucis per modum propitiationis generalis; sacrificium cœnæ per modum specialis propitiationis. Sacrificium crucis in expiationem culpæ, & pœnæ externæ debitæ peccato; sacrificium cœnæ in expiationem temporalis pœnæ post culpam, & pœnam æternam remissam justitiæ Divinæ, vel in hac vita, vel in altera adhuc persolvendæ. Etiamsi igitur ante sacrificium crucis non fuerint remissa quantum ad culpam, & ad pœnam æternam generaliter

liter peccata; fuit tamen ante sacrificium crucis institutum sacrificium, quo beneficium crucis appellaretur, & remitteretur temporali pœna adhuc pro peccato debita; proindeque sacrificium sicut in institutione sua, ita quotidiana in repetitione vere & proprie sit propitiatorium. Habet porro celebratio Eucharistiæ vim & virtutem suam tum a dignitate institutionis, & principalis offerentis Christi, tum a dignitate victimæ, quæ in ea realiter offertur, & mystice immolatur, tum tandem a cruento crucis sacrificio, quod memorat atque repræsentat, & a quo vim quoque, & virtutem habuit, dum fuit primum instituta; sed ex hoc postremo non sequitur, eam ante sacrificium crucis non fuisse propitiatoriam; nam est quidem sacrificium crucis omnium propitiationum finalis causa; ast de ratione finalis causæ non est, quod antecedat tempore effectum, sed solum intentione operantis. Nonne sacrificia veteris legis suam & ipsa vim a futuro tunc habebant crucis sacrificio: quorum tamen plurima erant propitiatoria pro peccatis? Fuit igitur ante sacrificium crucis institutum a Christo sacrificium, quo beneficium sacrificii crucis applicaretur, & remitteretur temporalis pœna adhuc pro peccato debita: proindeque sacrificium Eucharisticum, quemadmodum in institutione fuit sua, ita quotidiana in repetitione, sive continuatione, est propitiatorium.

292. Contra est. Apostolus ad Hebræos IX. docet, sine sanguinis effusione non fieri peccatorum remissionem; sed in Eucharistico sacrificio non fit sanguinis effusio; ergo neque remissio, neque propitiatio.

293. Respondemus, præterquamquod in Missæ sacrificio fit mystica sanguinis effusio, concedi absolute posse, non fieri remissionem sine sanguine; ast sine sanguinis effusione fit applicatio remissionis peccatorum, & beneficium cruenti sacrificii applicatur per sacrificium incruentum, quod in applicatione vere est propitiatorium. Quænam est effusio sanguinis in administratione baptismi? quænam in absolutione peccatorum? quæ in jejuniis, eleemosynis, & orationibus? nulla procul dubio; si hisce applicatur fructus sacrificii cruenti semel in Christo perpetrati, cur idem non eveniet in incruento sacrificio nobis in cœna ultima præcepto?

CAPUT XXXIII.

De Canone Missæ.

294. Quanto partium studio ferantur disputando Protestantes intelligere facile est hoc argumento; siquidem Pfaffius in dissert. Apologetica de oblatione, & consecratione Veterum Eucharistica scribere non erubuit hæc verba: non erraverimus, si ipsummet canonem Missæ Gregorianum, qui in Ecclesia Romana nunc obtinet, & egregias preces continet ex antiquissimis Liturgiis maximam partem extractas, sacrificium missaticum, transubstantionemque jugulare affirmaverimus: id quod in dissert. de oblatione veterum Eucharistica dudum ostendimus, & ostenderunt ante nos alii plurimi, maxime Rodulphus Hospinianus, & Joannes Aymonius, quos ex Romanensibus refutare hactenus nemo, utpote in re tam clara, atque evidenti aleam certaminis non dubiam solum, sed & longe periculosissimam, subiturus, sustinuit. Ita ille.

295. Ex opposito Joannes Gherardus, inter Polemicos Lutheranos facile princeps, lib. controversiarum suarum 2. parte 2. cap. 5. rejiciendum esse nostrum Missæ canonem contendit, quod totus eo spectet, ut Eucharistiæ sacramentum transmutetur in sacrificium propitiatorium pro vivis, & defunctis Deo offerendum, utque confirmet transubstantiationem, & adorationem panis Eucharistici, purgatorium statuat, & cætera Pontificiæ religionis dogmata; qua quidem in re quis non animadvertit quantum dissentiat Lutheranus, a Lutherano; imo quanam fieri ratione possit, ut nostro ex canone suos confirmare satagant errores reformati, ut ajunt, & Augustani, Eucharistica in re aliis alieni (a)?

296. Videamus, quænam nostro in canone contra Catholicam pugnent veritatem. Sacerdos, inquiunt, panem, & vinum ante consecrationem offert pro redemptione animæ, pro spe salutis, & incolumitatis suæ; facta vero consecratione adhuc intercedit apud Patrem, ut hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam propitio, & sereno vultu respicere dignetur, & acceptam habere, sicut accepta habere dignatus est munera justi Abel, & sacrificium Patriarchæ Abrahæ, & Melchisedechi. Nonne, inquiunt, hac dicendi ratione aut vere, & proprie ibi Christus

(a) Theodorus Chrystophorus Lilienthal, Borussus, Librum mox scripsit, cui titulum fecit: Schediasma Historico Theologicum de canone Missæ Gregoriano, in quo, post brevem ejus Historiam, Canonis cum reliquis Liturgiis, convenientia, a posterioribus vero Romanæ Ecclesiæ erroribus ostenditur dissensus. Hæc facies libri: sed quid in corpore? Singulis prope paginis errare nostrum canonem contendit Auctor, tituli sui operis oblitus, nostraque eo confirmari dogmata dolens denique fatetur. Sed tempus omne male tereremus in ejusmodi antilogiis recensendis.

Digitized by Google

Christus non est, sed figura solum ejus, & repræsentatio, aut sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi, vel inferioris, vel æqualis tantum dignitatis cum sacrificiis Patriarcharum constituitur? pergit porro Presbyter, & orat, ut jubeat Deus consecrata symbola perferri per manus sancti Angeli sui in sublime altare suum, in conspectu divinæ majestatis suæ. Ast Christus cælum ingressus est, ut perpetuo appareat vultui Dei pro nobis, ut legimus ad Hebræos IX. rogatur in canone Deus, ut meritis, precibusque Sanctorum concedat, ut in omnibus protectionis ejus muniamur auxilio, scilicet, ubi præsens immolaretur Christus, adhuc indigeremus precibus, & protectione Sanctorum; rogatur deinde Deus, ut oblationem illam Christi benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, & acceptabilem facere dignetur, quasi dubitandum foret, an Deus oblationem Corporis, & Sanguinis Filii sui acceptare nec ne vellet, & diu post consecrationem, repetitis adhuc signo crucis benedictionibus, dicitur: *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis*; sed si illis in symbolis jam est Christi Corpus, certe sanctificari adhuc non egent, vivificari, benedici. Denique in missis privatis idem canon adhibetur, in quibus solus Sacerdos communicat; neque tamen dicere erubescit: *quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum filii tui Corpus & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti, & gratia impleamur: hæc sacra commixtio fiat nobis sumentibus salus mentis, & corporis; quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus*; quæ omnia privatis in missis mendacia, & protestationes contra factum appellant Protestantes, cum præter Sacerdotem nemo tunc communicet, aut de communione cogitare videatur.

297. Verum miramur vehementer, cur a nemine hæc refutata Pfaffius pronunciaverit, cum innumeris a catholicis ea satis explicata habeamus. Primam siquidem difficultatem, quæ oblationem respicit panis, & vini nondum consecrati, ita solvunt Orthodoxi, nempe non panem, & vinum vocari immaculatam hostiam, sed Corpus, & sanguinem Domini, quæ ex pane & vino mox conficienda sunt. Itaque non ob hoc, quod jam sunt, sed ob id, quod paulo post futura sunt, tali digna existimantur appellatione, locutionis genere a sacris literis minime alieno, sicut Judas ab initio vocationis suæ appellatur proditor, quia talis futurus erat; & eodem sensu, quo dum panis, & vinum offeruntur die Epiphaniæ, ita precatur Sacerdos: *Ecclesiæ tuæ quæsumus, Domine, dona propitius intuere, quibus non jam aurum, thus, & Myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & sumitur, Jesus Christus &c.*; id in causa est, quare oblationes illæ nondum consecratæ offeruntur in canone Gregoriano pro redemptione animæ, pro spe salutis, & incolumitatis nostræ; scilicet quia considerantur non secundum quod tunc sunt, sed secundum quod statim facta consecratione erunt, quæ est tota ratio, propter quam oblationes etiam ante consecrationem appellentur tum sacrificium laudis, tum sacrificia immaculata, nedum Gregoriano in canone, sed in missalibus etiam Gelasiano, & Mozarabico, necnon in Liturgia Gallicana, aliisque a Cardinali Thomasio, Martenio, Lebrunoeditis, & illustratis.

298. Alia argumenta jam enodaverat Divus Thomas docens, non esse inconveniens, quod a Deo petamus id, quod certissime novimus ipsum esse facturum, sicut Christus apud Joannem 17. suam petiit a Patre clarificationem. Ceterum recitatis institutionis verbis, patet non adhuc orare Sacerdotem, ut consecratio impleatur, sed ut nobis fiat fructuosa; quare dum ait: hanc oblationem facere digneris benedictam, intelligendum est, juxta D. Augustinum, per quam benedicamur, adscriptam, scilicet per quam in cælo adscribamur; ratam, id est, per quam de visceribus Christi esse censeamur; rationabilem, ut a concupiscibili sensu exuamur; acceptabilem, ut qui nobis ipsis displicemus, unico ejus filio per eam accepti esse inveniamur.

299. Sic per verba illa: per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, & præstas nobis, non petimus, ut post consecrationem iterum sanctificetur Sacramentum; sed potius profitentur totius nomine Ecclesiæ Sacerdotes, suique præsertim, & offerentium, sacramentum in altari positum, & quidquid in eo continetur sanctitatis, & gratiæ, ex ipso per præsentem Christum proficisci; illudque nobis ab æterno donari Patre, & per illud ab illo ipso nobis omnia communicari spiritualia dona, & ornamenta.

300. Quum Eucharistia vere sit Sacramentum unitatis, & per quod homines Christo quammaxime, & Ecclesiæ aggregantur, secundum quam significationem proprie communio appellatur, quid conveniens magis, quam quod in ea celebranda Apostolos commemoraremus, & Martyres, ad denotandam perfectam militantis Ecclesiæ cum Ecclesiæ triumphante communionem, Eucharistici præsertim virtute sacramenti constitutam? Crucis autem signa a Sacerdote post consecrationem facta non diriguntur ad benedicendum, & consecrandum, sed ad commemorandam virtutem crucis, & ad exprimendum modum passionis Christi quibusdam quasi gradibus peractæ, quemadmodum ostendit Div. Thomas; cum enim non magis consecratio hujus sacramenti, quam acceptatio hujus sacrificii & fructus ipsius, procedat a virtute crucis Christi; ideo ubicumque horum mentionem facit, salutari crucis signo utitur Sacerdos.

301. Hisce de significationibus, præter D. Thomam

mam loco citato legendum esset opusculum ipsius 18. alias 66. in quo Missæ expositionem copiosissime prosequitur, & præter tot Liturgicos Scriptores consulendi Merbesius, Grancolas, & Lebrunus ubi de hoc agunt argumento. Ceterum universo canoni explicando ea uti commodi possemus doctrina, qua Cardinalem Orsium usum diximus, ubi de invocatione egit Spiritus sancti in Liturgiis Orientalium, & Græcorum, ea nempe, quæ in sacramentorum celebrationis momento periciuntur a Sanctis Patribus Liturgiarum conditoribus, ita fuisse in illis exhibita, repræsentata, & expressa, ac si per temporum spatia, & intervalla absolverentur, & quo tum nostras statim erigerent mentes, tum nos diutius in mysteriorum ejusmodi contemplatione detinerent, ita eos Liturgicas dispofuisse preces, ut quod aliquando nondum factum esse, veluti jam factum, & quod perfectum aliquando esse, adhuc perficiendum esse videatur. Verum ad solvendam postremum objectionem properamus.

CAPUT XXXIV.

De Missis Privatis.

302. HAS divinæ repugnantes institutioni ajunt adversarii, propterea quod Christus dixerit: *accipite, & manducate: hoc facite in meam commemorationem*; itaque eorum opinione voluit plures communicare, quemadmodum & Apostolus, qui ad Cor. 10. panem, & calicem benedictum vocat participationem, sive communicationem Corporis, & Sanguinis Domini; & cap. 12. opponit inter se Dominicam cœnam & privatam, cum reprehendens Corinthios, ait: *hoc non esse Dominicam cœnam manducare*; quem in locum ita scribit Chrysostomus, quod Dominicum esse privatum fecerant; cœna enim Domini debet esse communis. Itaque consecratus ille panis, & vinum debent illa commemoratione passionis Christi & populo communicari; quod adeo verum est, ut in canone etiam hodierno dicantur verba: *Offerimus, sumimus, capiamus &c.* quare si populus de sacro non participat, neque communicat, contra Domini institutionem, est privatæ missæ cæremonia.

303. Huic Protestantium querelæ opponitur egregia Conc. Tridentini doctrina sess. 22. cap. 6. quæ est ejusmodi; optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret, nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos communicat, ut privatas, & illicitas damnat; sed probat, atque adeo commendat; siquidem illæ quoque missæ communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

304. Adversariorum difficultates feliciter solverunt Theologi Orthodoxi. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 10. allegatæ objectioni ita respondet: Paulus reprehendit cœnam privatam, a qua excluduntur alii, non ad quam coguntur: porro Missæ nostræ non excludunt communicantes, imo, ut Conc. Tridentinum affirmat, optat Ecclesia, ut in singulis Missis, qui adstant, communicent; sed si nulli sunt, qui velint, nulla est culpa Sacerdotis, nec potest reprehendi, quasi solus participare velit cœnam Dominicam. Ita æque docent Cardinales Baronius, Bona, Gotti, Lambertinus &c. Ita & Natalis Alexander in hist. Ecclesiastica sæculi XIII. & XIV. diss. 37. scribens: „ Christus Eucharistiam instituit, ut sumat non solum Sacerdos, sed omnes fideles adstantes, qui velint, & digni sint. Sane Sacerdos, qui nemine Sacramentaliter communicante celebrat, alios esurire non cogit, & nudo sacrorum mysteriorum intuitu pasci, cum paratus sit ipse cum aliis communicare, qui participes esse voluerint, ac digni fuerint. " Quod idem repetit in Theologia sua dogmatica-morali, ubi de hoc agit Sacramento. Juveninus commentario historico dogmatico de Sacramentis diss. 3. qu. 7. art. 1. cap. 3. scribit: „ his verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, continetur præceptum affirmativorum, quod quidem, ut præceptorum affirmativorum moris est, pro semper non obligat, & eo tantum tempore, & loco, quibus fideles, qui adsunt sacrificio Sacramentum sibi dispensari legitime postulant. " Idem habet Bossuetus in tractatu de Missa, idem Polemici omnes.

305. Ceterum non veram habent adversarii privatarum, ut inquiunt, missarum notionem; siquidem nuncupationes Missæ publicæ, ac privatæ rerum essentiam non mutant: celebritas, major apparatus, solemnitas, & quæcumque sunt hujusmodi accidentia, missam non variant; sicut enim orationem dicimus publicam, & privatam ob circumstantias adjacentes, ita & de Missa dici potest ob majorem, vel minorem apparatum, plures ministros, vel pauciores, & ceteras ejusmodi, invariata celebrationis Eucharistiæ substantia. Sicut igitur loca dicuntur publica, & privata, dies publici, & privati, oratoria publica, & privata, sic missæ publicæ, & privatæ suo modo appellatæ sunt ratione temporis, apparatus, solemnitatis, & celebritatis; cum tamen ipsæ etiam privatæ Missæ non occultæ, non angulares, non solitariæ sint, ut a Protestantibus dicuntur, sed publicæ, & communes ratione publici ministri, publici sacrificii, publicæque celebrationis, quæ adeo peragi jure potest, etiamsi populus minime communicet, quia in hoc distinguitur Eucharistia a Sacramentis reliquis; quod

hæc

hæc sint Sacramenta tantum ad sanctificationem suscipientium ordinata; proindeque nisi sit ille, qui recipiat, non possunt celebrari; at Eucharistia non modo est Sacramentum, sed etiam sacrificium ad cultum Dei ordinatum, secundum quam rationem perficitur omnino, si a solo celebrante consumetur, per solam scilicet Sacerdotis communionem, salva ratione Sacramenti, ex eo quod Sacerdos, etiam privatim celebrans, digne accedentibus communionem non sit denegaturus.

306. Verum, dicet aliquis, si ita est, cur populo adhuc communicare parato Sacerdotes privatim celebrantes communionem sæpe adeo in missa non distribuunt, sed eum potius ad altare Sacramenti, ut dicitur, mittunt, unde cogatur communicare extra Missam, & post eam? nonne ejusmodi praxis adversari videtur institutioni Eucharistiæ, & doctrinæ illi, quam contra Hæreticos tuemur; etiam privatas Missas esse ad communionem adstantium, si velint, & digni sint, ordinatas?

307. Maximas hæc quæstio non multos ante annos in proximis Italiæ partibus, excitavit turbas. Fuere, qui non modo proprium Eucharistiam distribuendi modum, & tempus voluerant esse intra Missam, atque ex particulis in eadem consecratis, quasi particulæ in pyxide adversarentur solum in beneficium infirmorum; verum etiam qui contenderent, populum habere jus ita, & tunc communicandi, adeo ut si ita postulanti Sacerdos absque necessaria causa communionem neget, omnino peccet. Hoc illi jus ex natura Missæ derivabant; ordinem vero, sive modum, & tempus ex auctoritate Romani ritualis ita statuentis: *communio populi intra Missam statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda; quum orationes, quæ post communionem in Missa dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.* Cardinalis etiam Brancatius in opusculo de sacro viatico scribit: Damnandi nostra sententia videntur Sacerdotes illi, qui contra ritualis præscriptum in titulo de communione, præbent absque necessitate populo sacram Eucharistiam in fine Missæ, privant enim fideles illis precibus, quas post communionem Ecclesia recitari jubet, quæque non solum ad celebrantes, sed etiam ad cæteros communicantes aperte spectare censentur. Sed & in actis Ecclesiæ Mediolanensis habetur hoc statutum: *Parochus servare studeat, ut quod antiquissimi juris est, intra missarum solemnia post sanguinis sumptionem præbeat sacram Eucharistiam.* Extat denique decretum sacræ Congregationis rituum die 2. Septembris anni 1741. quod ejusmodi se habet: *in Missis Defunctorum, seu in paramentis nigris, non ministratur Eucharistia per modum Sacramenti extrahendo pyxidem a custodia; potest tamen ministrari per modum sacrificii, prout est, quando Fidelibus præbetur communio cum particulis intra eandem Missam consecratis;* atqui, inquiebant ii, qui hanc optarent praxim, uberioris est fructus Communio per modum sacrificii, quam per modum solius Sacramenti; itaque tempus, & modus recte communicandi laicos, est intra Missam eandem, atque ex particulis in ea consecratis. Vindices universalioris hodiernæ praxis hisce argumentis alia opposuere ex nonnullis rubricis, & decretis sumpta, ex oratoriis privatis, ubi non omnibus fas esse ajebant, etiam in Missa communicare, ex Episcoporum auctoritate respectu determinationis temporis, loci, & modi communicandi, & similia. Donec Benedictus XIV. litem hanc ut compesceret sategit Apostolicis litteris die 3. Novembris ad universos Italiæ Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos datis anno 1742. in quibus ab utroque hac in re extremo recedendum prudentissime constituit. Habendam siquidem docuit rationem modi communicandi a Rituali Romano præscripti, qui institutioni & exemplo Christi omnimode convenit, ex quo pietati, & petitioni eorum satisfit, qui missæ adstantes, ad consortium admitti postulant ejusdem sacrificii; quod & ipsi pariter offerunt ea ratione, quæ ipsos decere potest; quare dignos reprehensione declarat Sacerdotes eos, quorum culpa, & negligentia fidelibus participatio illa denegaretur. At quoniam in Ecclesia Christiana, subdit Pontifex, opus est cuncta ordinate, & congruenter disponi, pastores vigilantiam, & curam suam conferent, ut ex una parte fidelium pietas minime fraudetur eo accessu, eaque participatione: ex alia vero ita utrumque fortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis institutis oriatur perturbatio, unde facile confusio etiam & scandalum oriretur; quare pastores monere debent eosdem fideles, ut participes esse cupientes sacræ mensæ, quod maximopere probandum est; studeant tempus, locum, & circumstantias nancisci, quibus & ipsi justorum votorum suorum compotes evadant, nec instituta illa pietatis impediant, hisque pastorum suorum monitis fideles se se dociles præbentes, cavebunt, ne sibi injuriam factam querantur, si quandoque pro tempore, loco, & personis, Episcopus minime opportunum censuerit a Sacerdote celebrante distribui his, qui adstant, quibus scilicet eo ipso tempore facilis & obvia suppetit ratio ad eandem mensam accedendi pluribus aliis locis cuivis instructam. Haud ægre Episcopi, & Parochi id fidelibus persuadebunt, quoties ipsis significent, ex Ecclesiæ disciplina, quæ modo viget, non quidem difficiliorem, sed faciliorem evasisse iisdem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in singulis Ecclesiis passim unica missa celebrabatur, cui fideles qui adstabant, utique participabant; quin a solis propriis pastoribus, quemadmodum

Digitized by Google

modum cetera sacramenta, ita etiam Eucharistiam licite accipere valebant. Hisce vero temporibus ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, altariumque quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate patet cuilibet facile parabilis sacra mensa, & ad sacrum convivium admissio; sin autem iidem fideles ita moniti, importune insisterent pro recipienda Eucharistia in iis temporis, loci, & personarum circumstantiis, quas excipiendas censuisset Episcopus, ritualis Romani auctoritate etiam fretus; hæc illorum petitio, utpote nec justa, nec rationabilis, contumacem, & refractarium animum demonstraret, cupidumque perturbationis, & proinde minime compositum Eucharistiæ, qua par est pietate percipiendæ. Ita Pontifex.

308. Ex cujus sapientissimo & prudentissimo decreto intelligimus, non errasse, qui dixerunt, fideles habentes conditiones ad communicandum requisitas, jus propterea ad ipsam habere communionem, nec errasse, qui idoneum ad laicos communicandos tempus, præsertim per modum sacrificii, pro Romano ipso rituali, esse intra Missam, atque ex particulis in ea consecratis docuerunt. Verum æque intelligimus, veritates ejusmodi esse ita temperandas, ut jus illud laicorum ad communionem, sit adhuc sub Ecclesiæ dispositione, adeo ut, salva communionis substantia, legitimis de causis poterit innocue aliud tempus, atque modus assignari, quo laici divino cibo reficiantur. Si enim Ecclesia jus hoc non læsit, dum statuit laicos una specie contentos esse, cur illud læderet sacramentum præbendo extra Missam? quamvis enim communio tunc non sit per modum sacrificii; est tamen ex particulis in sacrificio consecratis; proindeque tunc etiam participatio est sacrificii; neque alia de causa Sacerdotes nunc sæpenumero communionem non præbent ex particulis intra eandem Missam consecratis, nisi quia jam diu videtur inducta consuetudo communicandi fideles ex particulis in pyxide adservatis. Hac praxi jam semel inducta, & absque prioris præjudicio communiter, & sine ulla offensione, usurpata, iterum reverti velle veluti per legem, & quasi ex necessitate, ad communionem ex particulis intra eandem Missam consecratis, apud simplices novitatem redoleret (quemadmodum ortis his quæstionibus de facto evenit); unde confusio, & scandalum oriretur in sacramentorum administratione diligentissime vitandum.

C A P U T XXXV.

De Vestibus Sacerdotalibus.

309. Publicos Ecclesiæ ministros specialibus dum sacrificarent usos olim fuisse vestibus evincunt omnia Ecclesiæ monumenta. Vituperant ejusmodi ornamenta Etherodoxi, & in Ethnicæ superstitionis crimen vocant eos Ecclesiæ Patres, qui repudiata, inquiunt illi, Apostolicorum temporum simplicitate rei divinæ administratores decenti, propriaque veste primum contempserunt, quando quidem de Syriæ, Junonis, Cæterisque Flaminibus, & Jovis, aliorumque Deorum sacrificulis legimus, quum litarent, vel supplicationes peragerent; albo velata corpora lino, unde factum consequuntur, ut candidam, lineamque vestem tamquam proprium Clericorum sacramenta administrantium indumentum Patres deinque inducerent.

310. At licet id apud omnes ferme nationes quasi ex compacto usu venerit, quænam, quæso, culpa in decore, & munditia est? quæ vestium nitore superis irrogatur injuria? Pulchre, ac diserte Hieronymus in primo contra Pelagium Dialogo insulsam hanc refutavit ex plerisque accusationem scribens: quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habeo mundiorem, si Episcopus, si Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione cum candida veste processerit? Qua vero mente id fiat, accipe ab Isidoro Hispalensi lib. 2. de Ecclesiasticis officiis cap. 8. ubi habet: albis induti assistunt, ut cælestem vitam habeant, candidique ad hostias, immaculatique accedant, mundi scilicet corpore, & incorrupti pudore; Hoc sane sensu omnis suspicio superstitionis amoveatur.

311. Difficilior quæstio est, an sacrarum mos vestium in sacrificando Apostolicis a temporibus queat repeti. Valafridum Strabonem, Hugonem Victorinum, Honorium Augustoduuensem patronos, testesque adferre solent, qui negant. Ex Orthodoxis vero negant nonnulli, quibus persuasum fuit, prima Ecclesiæ ætate Presbyteros, cæterosque ministros omnem rem sacram cum communi, usitatoque indumento perfecisse. Sed hi longe a Conc. Tridentini mente videntur abire, quod sess. 2. vestes sacras ex Apostolica disciplina, & traditione invectas docet; consultius proinde eorum sententia sequenda est, qui nihil dubitant, Apostolos, eorumque successores, licet inopia laborarent, Ethnicorumque insidiis, & malevolentia undique premerentur, peculiari quodam habitu, eo saltem, qui tunc temporis esset mundior, & honestior, inter sacrificandum esse usos. Horum præcipui sunt Pasqualigus, Ssuffajus, Cardinalis Bona, & ipsius enarrator Robertus Sala, Honoratus a S. Maria, Georgius &c.; hos enim, qui solo veritatis inveniendæ studio adierit, illud levi negotio in animum inducet sibi, silentium Scriptorum perperam hac in re nobis objectari, nec deesse monumenta quibus probetur, insignia Sacerdotalia longe ante Constantini pacem in Ecclesia merito obtinuisse, pietatemque fidelium, qui opes suas in ministrorum utilitatem longe conferebant, vestes etiam ad Liturgiam obeundam verosimiliter comparasse, Canones profecto Laodiceni, Carthaginenses, Narbo-

Digitized by Google

Narbonenses, Braccarenses, & Toletani, qui de tunica alba, orario, & cæteris indumentis ejusmodi agunt, eo sermonis genere utuntur, quo sacras illas vestes non tum primum ab ipsis inductas, sed antiquiorem satius morem per illos consecratum, & confirmatum fuisse apertissime intelligimus.

312. Admirationem vero movet Heinecius in commentatione sua Historica de Habitu, & insignibus Sacerdotalibus Apostolorum, in qua conrasis ex Luthero, Calvino, Magdeburgensibus, Hospiniano, Dalæo, inficetis, & centies difflatis criminationibus sacrarum vestium antiquitatem convellere, usumque tamquam ridiculum traducere adnisus est; nam, ne dicam multa illum callide dissimulare, multa, nec secum consentanea contexere, quæ vitio suo cadunt, multa falsa, confictaque coacervare, vide incredibilem ejus nostrarum rerum inscientiam! ait quippe sect. 3. „ Canonistæ, & scholastici, quorum doctrinæ in rebus Pontificiis omnes assurgunt, habitum Sacerdotalem non pro cæremonia libera venditum, nec ob solam ordinis decentiam inventum volunt, sed sacrum, & mysteriorum plenissimum esse, & ad ipsamque Sacramentorum essentiam pertinere, & sic ab illis inseparabilem esse contendunt, id quod facile patet ex reliquis eorum doctrinis, quibus hoc falsum principium ubique produnt. " Sed quænam sunt ejusmodi detestandæ canonistarum, & scholasticorum doctrinæ? Si Heinecius audierit; nempe quod dixerint numquam licere Corpus Christi conficere absque sacro indumento, etiamsi homini moribundo foret præbendum. Quonam, Deus bone, sublimia illa Juris-consulti mens avolarat, dum istæc scriberet? utique sacrarum vestium usus cæremonia libera non est, neque libera esse potest; neque enim Ecclesiæ, cui hæc potestas divinitus data est, ut ministros eligat, deputet, consecretque, qui suo, & Christi nomine offerant, alteram negare quis potest decernendi, constituendique adjuncta, quibus rebus sacris majestas augeatur, religio, cultus, pietas amplificentur; decrevit autem Ecclesia, sanxitque jure optimo, ut qui in hac hominum societate visibile sacrificium offert, adspectabilia preseferat collati sibi juris indicia, quibus legitimus Christianæ reipublicæ minister appareat. Quænam autem in communi, vulgarique vestitu Sacerdotalis auctoritatis indicia translucent?

313. Mortifere igitur delinquit qui latam ab Ecclesia legem violat, & sine apta suppellectili, apparatuque præscripto Deo sacrificat; si tamen violaverit, quis inficiabitur validam esse augustissimi Corporis consecrationem? valere profecto sentiunt cum D. Thoma omnes Theologi Orthodoxi, illi etiam, qui necessariam modo postulant exteriorem intentionem ad valorem sacramenti. Qui enim juxta ipsos debitam formam debitæ materiæ serio applicat, Christi, & Ecclesiæ intentionem censetur habere, quanta satis est, ut sit valida consecratio, etsi Ecclesiasticum ritum omittens, non eam ostentet in exteriori intentionem, quam ad religionem, piamque sacramenti confectionem præscribit Ecclesia, ideoque quammaxime peccet. Itaque, ut Subalpinorum illustre decus Celeberrimus Paciaudius, ex quo plurima hic desumpsimus, egregie animadvertit in suo de sacris Christianorum Balneis libro cap. 15. aut prima Catholicæ doctrinæ erudimenta ignoravit Heinecius, aut invidiam Catholicis conflare studuit, dum Pontificios in ea esse sententia, ut contendant vestes sacras ad essentias sacramentorum pertinere scripsit, proptereaque suum illud falsum principium, quod in nos temere jacit, ipsi jure summo exprobrari posse quis non videat?

Sunt hæc, præclarissimi Auditores mei, quæ vobis pro opportunitate præmonstrare potui ad innuendam viam, qua intimiora ad hoc altissimum mysterium spectantia vestigaretis. Ad id olim obtinendum lucidissimam vobis suppeditabunt facem post Theologorum principem, Guilelmum Estium, inter Veteres Polemicos Cardinalis Perronius, Albaspinæus, & Cœsetavius. Adjungetis istis acutissimum Bellarminum, ingeniosissimum Bossuetum, & Præfationes Editionibus sanctorum Patrum, quas curarunt Maurini Monachi præmissas, sequentur Cardinales Thomasius, & Bona, præ ceteris vero Richardus Simonius in adnotationibus suis ad Apologiam Gabrielis Severi, Renaudotius, Lebrunus, uterque Assemanus, & reliqui recentiores Liturgici Scriptores, quorum ex lectione maximam haurietis cum jucunditate utilitatem. Et hæc de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento sint satis.

FINIS TOMI PRIMI.

IN-

INDEX

CAPITUM ET PROPOSITIONUM

Quæ in hoc Primo Volumine continentur.

DISSERTATIO I.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

De Sacramenti nomine, ejusque definitione. pag. 1

CAPUT II.

Quare Deus Sacramenta concesserit. Spenceri meditationes refelluntur. 2

CAPUT III.

De numero Sacramentorum novæ legis. 4

CAPUT IV.

Septenarius Sacramentorum numerus ostenditur. 6

CAPUT V.

Numerus septenarius Sacramentorum vindicatur, adversus præcipue Latrozium. 10

CAPUT VI.

Idem argumentum adhuc illustratur ex vetustissimis Orientalium Liturgiis. 13

APPENDIX.

De lotione pedum. 15

CAPUT VII.

De essentia Sacramentorum contra scholasticæ Theologiæ osores. 17

CAPUT VIII.

De auctore Sacramentorum, ubi Harduini opinio expenditur. 18

CAPUT IX.

De efficacia Sacramentorum novæ legis, an scilicet per se conferant gratiam. 23

CAPUT X.

Ad quodnam Causæ genus reduci debeat actio Sacramentorum, physicum ne sit, an morale tantum. 26

CAPUT XI.

An iniquitas ministri officiat virtuti, ac valori Sacramentorum, ubi de illicita ab invalida administratione, distinctione fuse differitur. 28

CAPUT XII.

De intentione ministri. Ambrosii Catharini aliorumque doctrina expenditur. 31

CAPUT XIII.

De effectibus Sacramentorum. 34

CAPUT XIV.

De vero Ecclesiæ sensu circa cæremonias Sacramentorum adversus Claudium Vertium. 35

CAPUT XV.

De Jesu Christo vere, & proprie in Sacramentorum institutione legislatore adversus præsertim Bohemerum. 38

DISSERTATIO II.

De Baptismo.

CAPUT I.

De origine, ac institutione Baptismi ubi de historia balneorum adversus Flojerum, Spencerum, & Marshamum differitur. ib.

CAPUT II.

De qualitate Baptismi contra Quakeros. 46

CAPUT III.

De partibus Baptismi, materia scilicet & forma; ubi de trina immersione, & de Baptismo in nomine Christi collato fuse disseritur. 48

CAPUT IV.

De Præcepto Baptismi adversus Socinianos. 52

CAPUT V.

De necessitate Baptismi *ubi de supplemento Baptismi, præcipue de Patrum fide, & desiderio.* 53

CAPUT VI.

De puerorum Baptismo adversus Anabaptistas. 55

CAPUT VII.

De Confirmatione Baptismi contra Erasmum, & Nuperum scriptorem. 57

CAPUT VIII.

An liceat baptizare Pueros infidelium. 62

CAPUT IX.

An valeat Baptismus adultorum, qui ad eum coacti fuerunt. 64

CAPUT X.

De Baptismate non iterando, seu de hæreticorum Baptismo. 65

CAPUT XI.

De Charactere Baptismi. 67

CAPUT XII.

De Gratia Baptismali, ubi de Baptismo pro Mortuis. 69

CAPUT XIII.

De Ministro Baptismi. 71

CAPUT ULTIMUM.

De antiquitate rituum, & Cæremoniarum Baptismi adversus Basnagium. 73

DISSERTATIO III.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

Confirmatio verum, & proprium est novæ legis Sacramentum adversus præcipue Dallaum, ubi de antiqua lactis, & mellis in Baptizatis degustatione. 76

CAPUT II.

De institutione Divina Confirmationis. 83

CAPUT III.

De Confirmationis materia, ubi de Chrismate Confirmatorio adversus Basnagium. 84

CAPUT IV.

An impositio manus, vel unctio per quam Conversi ab hæresi recipiebantur in Ecclesia fuerit Sacramentum Confirmationis. 87

APPENDIX.

De celebri Arausicano Canone, qui respicit materiam Confirmationis. 91

CAPUT V.

De forma Confirmationis. 92

CAPUT VI.

De Ministro hujus Sacramenti, ubi recentium nonnullorum Theologorum sententia expenduntur. 93

CAPUT VII.

De Subjecto Confirmationis. 97

CAPUT VIII.

De effectibus hujus Sacramenti. 98

CAPUT IX.

De necessitate Confirmationis. 99

CAPUT X.

De Cæremoniis Confirmationis. 100

DISSERTATIO IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

De hujus Sacramenti Præstantia. De reali Corporis Christi præsentia. 101

CAPUT II.

Esse in Eucharistia verum Christi Corpus & Sanguinem ostenditur ex sacris literis. ibid.

CA-

CAPUT III.

In Eucharistia verum esse Christi Corpus & sanguinem ex sanctis Patribus evincitur. 104

CAPUT IV.

Illustratur antecedens argumentum adversus præcipue Santeurenundum. 107

CAPUT V.

Non est contra rationem Christum vere & realiter esse in Sacramento Eucharistico. 112

CAPUT VI.

Quare Gentilibus, & Catechumenis occultatum fuerit hoc mysterium. Ubi de Disciplina Arcani. 114

CAPUT VII.

Verum Christi Corpus & sanguinem in Eucharistico esse Sacramento ex antiquis Liturgiis demonstratur. 117

CAPUT VIII.

Christum vere, proprie, ac substantialiter esse in Sacramento Eucharistico confirmatur ex maxima Christianorum veterum Religione. 121

CAPUT IX.

De falsa origine quam adversarii Doctrinæ tribuunt Orthodoxæ. 125

CAPUT X.

De materia Sacramenti Eucharistiæ. 127

CAPUT XI.

De azymo, & Fermentato. 128

CAPUT XII.

Latinorum in pane Azymo Eucharistiam Celebrantium ritus indicatur. 130

CAPUT XIII.

Illustratur magis idem argumentum. 131

CAPUT XIV.

De azymi Panis Figura, cæterisque ad materiam Eucharistiæ pertinentibus. 133

CAPUT XV.

De Forma Sacramenti Eucharistiæ. 134

CAPUT XVI.

Idem argumentum magis illustratur. 137

APPENDIX.

De Invocatione sancti Spiritus in Liturgiis Orientalium, & Græcorum. 138

CAPUT XVII.

De Transubstantiatione. 139

PROPOSITIO.

In Eucharistico Sacramento post Consecrationem nullam remanere panis, & vini substantiam ex sacris literis evincitur. 140

CAPUT XVIII.

De Transubstantiatione juxta Orientales, & Græcos ubi de Chrysostomi Epistola ad Cæsarium. 141

CAPUT XIX.

Idem argumentum juxta latinos Patres. 144

CAPUT XX.

De Transubstantiationis explicandæ ratione. 146

CAPUT XXI.

Tridentinæ Synodi modus dicendi circa Transubstantiationem vindicatur a Covrajevi Censuris. 147

CAPUT XXII.

De speciebus Eucharisticis ubi & Peripateticorum, & recentium Philosophorum placita cum Catholico dogmate conciliari demonstratur. 148

CAPUT XXIII.

De permanentia Corporis Christi in Eucharistia. 149

CAPUT XXIV.

De necessitate Eucharistiæ. 151

CAPUT XXV.

De dispositionibus ad hoc Sacramentum requisitis, deque frequenti Communione 152

CAPUT XXVI.

De Communione sub utraque Specie relate ad Laicos adversus Novatores. 154

CAPUT XXVII.

Idem argumentum magis illustratur adversus Joan. Gherardum Vossium. 156

CAPUT XXVIII.

De Patrum mente circa Communionem sub utraque specie. 159

De Missæ Sacrificio.

CAPUT XXIX.

Missa Sacrificium Eucharisticum verum, & propriam Sacrificii rationem habet. 160

CAPUT XXX.

Refutatio eorum, quæ contra Sacrificium Eucharisticum objiciuntur à Protestantibus ex S. literis. 163

CAPUT XXXI.

Ex SS. Patribus nullum pro eorum sententia argumentum. ibid.

CAPUT XXXII.

Sacrificium Eucharisticum Propitiatorium est. 170

CAPUT XXXIII.

De Canone Missæ adversus Calvinianos. 171

CAPUT XXXIV.

De Missis privatis adversus Novatores ubi de Communione Laicis facienda intra Missam. 173

CAPUT XXXV.

De vestibus Sacerdotalibus. 175

Digitized by Google